

(Fabricius)
NTB

Fabricius

IO. ALB. FABRICII

BIBLIOTHECA LATINA

NVNC MELIVS DELECTA

RECTIVS DIGESTA ET AVCTA

DILIGENTIA

IO. AVG. ERNESTI.





TOMVS I.

LIPSIAE

APVD WEIDMANNI HEREDES ET REICHIVM

MDCCLXXIII.

VIRIS

ILLVSTRIBVS MAGNIFICIS

IVRIS CONSVLTISSIMIS

IAC. HENRICO BORNIO

EPISCOPATVS MISENENSIS CANCELLARIO

IN IVDICIO PROVOCATIONVM A CONSILII

PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE

CIVITATIS LIPS. CVMMAXIME

CONSVLI

CHRISTIANO GVILIELMO KVSTNERO

IN CVRIA PROVINC. ET CONSIST. LIPS.

ASSESSORI CAPITVLI WVRCENSIS

DECANO CIVITATIS LIPS.

CONSVLARI

CAROLO GOTFRIDO WINCKLERO

IN AVLA PR. ELECTORIS SAXONIAE ET IVDICIO PROVOCAT. A CONSILIIS COLLEGIO ICTORVM IN ACAD. LIPS. ASSESSORI CIVITATIS LIPS. CVMMAXIME PRAETORI

VIRI

MAGNIFICI ILLVSTRES CONSVLTISSIMI

Magnum profecto civitatis bonum est in Magistratibus, qui ceteris eius tuendae ornandaeque artibus atque adiumentis iungant literarum amorem, praesertim eum, qui a studio earum atque scientia ducatur: neque enim aliter aut verus, aut constans sit, aut satis civitati fructuosus. Etenim quam multa in Civitate, sine literis, nec ipsa bene constituta esse aut perfecta, nec recte curari et administrari possunt? Primum institutio iuventutis, praesertim melioris, et cultum ingenii expetentis, per quem apta fiat usibus pu-

 blicis,

blicis, et praeparetur ad capiendam fortunam maiorem, non minus pertinet ad magistratus curam, quam ceterarum reipublicae partium. Nam et iuventus est in partibus magnis reipublicae numeranda, numeraturque ab omnibus, qui reipublicae veram et perfectam notionem animis sunt complexi: utinam, ut numeratur in eo loco, ita et curetur. Enimvero, cum eius curae praecipua pars sit in delectu idoneo doctorum, et in sumtibus, non minus in hanc liberaliter faciendis, quam in ceteras reipublicae partes: quomodo eam, vel suscipere libenter, ac sustinere constanter, potest magistratus, qui non ipse amorem literarum a bona institutione traxerit; vel administrare prudenter ac salubriter, nisi ipse literas egregie et ad judicandum apte didicerit? Et cum in omni parte reipublicae gerendae, in primisque in disciplina publica regenda, maximam vim habere putetur exemplum eius, qui reipublicae praeest, sitque, ut liberis in parentis, ita civibus in magistratus exemplo, optima disciplina; profecto intelligitur, nullam, neque pulcriorem, neque efficaciorem, et iuventuti ad bene discendum, et magistris ad diligenter docendum, disciplinam constitui posse, quam quae

per

per magiſtratus perſpicuum amorem erga ſtudia literarum, et claram earundem ſcientiam proponatur. Nec illud profecto parum eſt, quod facilius et copia magiſtrorum bonorum exoritur, ubi tales magiſtratus rempublicam tenent, et cavetur iuventuti a magiſtris parum idoneis. Nam et iis, qui publice admoveri iuventuti erudiendae cupiunt, maior cura iniicitur verae et accuratae doctrinae, etiam ab ſpe votorum potiundorum maiori, et deterrentur atque arcentur a petendo, qui ſibi ſatis confidere non poſſunt.

Nec vero parvus fructus ab talibus magiſtratibus ad doctrinam religionis publicam venit: quae cum hactenus ad eorum curam pertineat, ut legant, quibus ea credatur; facile intelligitur, eum delectum tanto fore rectiorem, quanto maior ſit in iis, qui legant, ſcientia literarum. Neque enim committent, ut ratio habeatur eorum, qui parum docti ſint ipſi, nec aut aliud ad docendum adferant, quam vulgaria elementa doctrinae ſacrae, e compendiis vulgaribus, per aetatem iuvenilem hauſta, aut aliud, quam quod vulgo omnibus vel e puerili inſtitutione cognitum ſit, proferre poſſint aut velint: in quo genere

ſunt omnes ii, qui linguarum et aliarum literarum iuſta ſcientia carent, cuius adiumento et ipſi proficere longius in cognoſcendo, et aliis prodeſſe ad ſalubriter augendam rerum divinarum ſcientiam docendo poſſint. Et cum legerint doctores tales, in quibus ſit ea ſcientia literarum et doctrinae; quanto iis incitamento erunt, ad eam conſervandam et augendam ſtudio et diligentia diſcendi et cognoſcendi, etiam ut probentur in dies magis, et cariores fiant iis, quorum iudicio ad eum, quem tenent, locum pervenere. In quo etiam, ut ſuperioris generis doctores ipſarum literarum, liberalitate eorum in libris ſuppeditandis, et praeſidiis doctrinae publicis comparandis, adiuvabuntur.

Omnino dici non poteſt, quantum literis univerſis profuerint, inde ab iis reſtitutis, Magiſtratus, praeſertim in maioribus urbibus, qui eſſent ex eo, de quo dicimus, genere, nec modo in civitatibus ſuis, ſed etiam per univerſam Germaniam noſtram, auctoritate, exemplo, liberalitate publica privataque, bibliothecis privatim publiceque inſtituendis et locupletandis; in quibus etiam nunc literis parata ſunt praeſidia publica multis locis.

Et

Et quoniam literae ipsae magnam habent vim ad animos mitigandos, mores emolliendos, sermonem, vitaeque cultum omnem quadam humaniori elegantia imbuendum; intelligitur, quantum ad ea omnia valeant magistratus tales: videmusque, in iis urbibus, in quibus per tales magistratus literarum studia vel iniecta, vel incitata sunt, plus esse vulgo humanitatis, in sensu omni, sermone et consuetudine vitae communis.

Atque, ut ab literis ipsis earumque commodis discedamus, et ad ipsam magistratus personam veniamus, et ad ceteras reipublicae partes; quantum adiumenti putamus iis accedere ab literis ad rempublicam bene gerendam, bonis et salutaribus institutis ornandam, et utilitatibus communibus augendam? Nam primum, literatis manibus omnia melius proveniunt, quoniam et elegantius curantur; tantumque interest inter magistratum literatum, et rudem a literarum cultu, quantum inter artificem et hominem operarium. Deinde, cum multa multorum ingeniis inventa sint ad civitates bene constituendas, ordinandas, iuvandas et ornandas, quae literarum monimentis tradita reperiantur; quanta facul-

tas datur magistratui literato ex his discendi, quibus ad suam civitatem accommodandis et conferendis, consulere possit vel securitati communi vel utilitati. Neque enim aliam ob caussam ea summis ingeniis historicorum et philosophorum prodita sunt, quam, ut in iis materia augendae prudentiae civilis esset, possetque inde capere quisque, quod suae civitati tempore quoque profuturum videretur.

Ac quis nescit, quam multae sint vicissitudines rerum humanarum, nec modo privatim, sed etiam, et multo magis publice; quam multa et varia pericula proposita civitatibus in omni genere rerum; quam multi impendeant casus, quibus saepe opprimantur ante, quam ulla suspicionis praesensione possit quisquam odorari: quae et ipsa oportet habere cognita atque percursa animo, qui cum fiducia velit in republica administranda versari, ne in ipso discrimine trepidet; et vero etiam parata consiliorum remedia atque praesidia, ne cum usus venerit, frustra ea circumspiciat ac requirat. Sed illa omnia suo usu cognoscere, longum ac periculosum fuerit; haec autem quaerere ac reperire in tempore, serum. Enimvero nihil est in omnibus illis generibus vicissitudinum,

peri-

periculorum, casuum, cuius non et exempla, et remedia, et ad cavendum, et ad consulendum proposita sint graecis et latinis literis. Quo magis intelligitur, quam praeclarum instrumentum reipublicae bene gerendae paratum habeat, qui literis bene inundatum pectus ad eam attulerit, quantum bonum Civitas in tali magistratu.

Ac nescimus, an hoc viderint olim, post restitutas in Germania nostra, ipsaque Saxonia, literas, qui mentem atque spem ad civitates regendas contulissent. Nam ita traditum reperimus, ab iis inprimis frequentatas esse Petri Mosellani, Camerarii, Melanthonis scholas; multosque ex iis, cum curriculum scientiae legitimae decucurissent, vel in Academia, in qua didicissent, vel etiam in schola aliqua oppidana, aliquandiu docuisse literas ante, quam Doctoris nomen et ius appeterent, aut viam ad civitates regendas sibi munire aggrederentur: ex quo genere fuit *Ioannes Scheffelius*, Civitatis Dresenensis Consul inprimis clarus, qui huius talis exercitationis caussa, in illius ipsius Civitatis schola, per aliquot annos literas graecas et latinas docuit, in qua postea Consulatum gessit; ex eodemque alii, qui a

Caspa-

Casparo Bornero se adscisci collegas in schola nostra Thomana ad certum tempus voluerunt, cum vitae genus civile spectarent, clari postea in ipsius huius Civitatis amplissimo Ordine.

Quo minus est mirandum, si ab illo tempore in multis Germaniae urbibus literatissimi eruditissimique magistratus fuere, quorum doctrina et amore literarum, scholis, ecclesiis, literis ipsis eo, quo supra diximus, modo, civitatibusque ipsis universis praeclare prospectum est etiam in futurum, legibus, institutis, ac disciplina publica. Nec, ut opinamur, Lutherus nobilem illam epistolam ad Magistratus Senatoresque Civitatum Germaniae, de scholis latinis et graecis instituendis, cum aliqua spe scripsisset, nec ea tantopere apud omnes valuisset, nisi de ea re ipsi constitisset.

Sed in hoc genere vix alia Germaniae aut Saxoniae Civitas felicior fuit hac nostra, quae semper, inde ab *Georgii* Ducis et *Mauritii* temporibus, magistratus habuit, et omnino in ordine amplissimo Senatores plures, qui literas et amarent vehementer, et callerent ipsi excellenter, et propter utramque caussam iu-

varent

varent enixe ac liberaliter, in eoque interdum eos vincerent ipsos, quibus proprie mandata esset earum docendarum ornandarumque provincia; ut quibusdam etiam dubium fuerit, Academia ipsa utrum plus iis apud nos profuerit docendo, an Ordo Civitatis Amplissimus favendo, et auctoritate ac liberalitate iuvando. Audivi equidem olim *Ernestum Salom. Cyprianum*, apud Gothanos rarae doctrinae atque prudentiae Theologum, cum diceret, illam Academiae nostrae praecipuam, et per duo amplius secula sine intervallo servatam felicitatem, e copia iusta discentium, quae in aliis ita variasset, gloriamque reliquam, maxime a perpetuo literarum humaniorum in Civitate nostra honore et studio ortam esse: eius autem boni decus prope magis Ordini amplissimo, ob eam, quam diximus, caussam, quam Academiae ipsi deberi; in qua semper illae literae, inde a *Petri Mosellani*, qui eas primus hic fundavit, aetate, obtrectatores, et adversarios, et contemtores habuissent.

Nam, ut tempora mittam antiquiora, quibus multos Ordinis Amplissimi viros, reperi, celebratos literis doctorum Academicorum, et propter literarum eximiam scientiam, et pro-

pter

pter insigne studium earum, auctoritate, liberalitate iuvandarum: proxime superioribus quidem tales fuisse in ordine illo, quis nescit? Totius orbis literati fama vivi floruere, atque etiamnum celebrantur, *Frider. Bened. Carpzovius*, *Gotfridus Graevius*, *Gotfr. Christianus Goezius*, *Baudisius*, *Mascovius*: qui quantum ornarint ordinem suum, quantum etiam, vel doctrina, vel liberalitate publica et privata, vel exemplo, vel ipsa fama nominis, profuerint Academiae et literarum studiis, nemo ignorat. Omnino animadverti, hunc quasi insitum Ordini universo sensum semper fuisse, ut omnium aliarum disciplinarum scientiam tum demum satis probarent, si iis literarum elegantiorum studium et scientia accessisset. Mihi quidem, cum in hanc urbem, atque in *Stiglitii*, Senatoris tum praetorii, domum venissem, eique sciscitanti dixissem, in quo genere doctrinae veluti domicilium studiorum collocare vellem, hoc adfirmavit mihi ille, hunc esse sensum melioris partis in hac civitate, in primisque Senatus; ut nemo ullo in genere doctrinae satis probaretur, nisi literarum humaniorum egregiam scientiam cum eo coniunxisset: itaque cum is, qui me sibi tradidis-

set,

ſet, ita de me confirmaſſet, ut in me earum non modo magnum ſtudium, ſed etiam ſcientiam egregiam eſſe dixerit, earum ſtudium non dimittendum eſſe inter ceterae doctrinae ſtudia, immo vero etiam augendum, ſi probari melioribus, ſi Ordini in primis ampliſſimo cuperem; eademque mihi poſt alii eius Ordinis principes, quibus eram commendatus, in his *Gotfr. Langius*, Conſularis, dixere.

Sed hoc Ordinis Ampliſſimi tam antiquum decus, hanc tam egregiam gloriam, Vos, inter plures, hoc tempore praecipue et ſuſtinetis et augetis, VIRI ILLVSTRES; qui cum, conſentientibus omnium iudiciis, in Iuris Conſultorum principibus, et ſcientia et prudentia, numeremini, etiam graecarum, latinarum, et omnium ceterarum literarum, quae humanitatis nomine continentur, et ſcientiam tenetis eam, quae vulgaris modum, non modo copia, ſed etiam exquiſito elegantiae iudicio, longe longeque ſit ſupergreſſa. Quod cum omnes, adeo perſpicua res eſt, iudicent, tum ego vero praeter ceteros perſpectum habeo, uſu quidem crebro, cuius mihi copiam benigne, et illo ipſo literarum amore moti, facitis, Veſtrum omnium, in Vobis vero etiam, KVST-

NERE

NERE et WINCKLERE, VIRI ILLVSTRES, e disciplina vetere, cuius memoria me, vel ob felicem illum vestrum literarum earum discendarum ardorem, delectat.

Ea vero res quam fructuosa et fuerit adhuc, et posthac futura sit civitati nostrae, cum cogito, magna suavitate animus perfunditur. Quanta primum cura scholas eius publicas complexi estis fovistisque illa ipsa literarum bonarum scientia, in his meam illam, nam amore mea est, Thomanam, et cum maxime tuemini? Bibliothecam publicam, in qua ipsa ille singularis Amplissimi Ordinis amor, illa etiam liberalitas erga bonas literas, illustre documentum ad omnem posteritatem habebit, eam igitur quanto studio tueris, auges, ornas, ILLVSTRIS atque MAGNIFICE BORNI? qui eius tutelam proprie sustines. Quid? in delectu, non modo eorum, qui in illis scholis Vestris, sed etiam qui in templis doceant, quam sapienter providetis, ne ratio habeatur eorum, qui sint rudes illarum literarum; quod genus hominum non modo parum idoneum est ad bene docendum, sed etiam obnoxium fraudibus somniorum nugarumque fanaticarum. Neque vero illud ad spem posteritatis parvum

est,

est, quod filios habetis, a Vobis imbutos ipso Vestro illo literarum, ut ceterarum virtutum, amore ac studio, per quos Civitas nostra omnia bona, quibus per Vos cum maxime fruitur, iterum sibi data gaudebit.

Has ob res cum Vos ego, VIRI ILLVSTRES, faciam, uti debeo, debeantque omnes, maximi, atque etiam amem vehementer; praesertim cum et Vos me, supra, quam mereri mihi videor, ametis: volui huius mei in Vos animi aliquod monumentum etiam ad posteros extare. Eius autem prodendi locum idoneum existimavi esse in hoc opere, quod Vobis argumento suo iucundum fore sperabam. Nam et ad eos pertinet scriptores, in quibus cognoscendis Vos illum ipsum amorem literarum suscepistis, et ad id genus librorum, quod Vos inprimis scio amare. Atque etiam in iis, quae de eo tradidi, cum non parum me iuverint Bibliothecae illius copiae, quae Senatus beneficio patet studiosis literarum: putavi, per Vos me genus quoddam gratiae adversus *Ordinem Amplissimum* demonstrare posse, cui me etiam aliis, non ignotis de caussis, plurimum, ac prope omnia, fatear debere; cuius denique dignitati ita faveam, ut in eo concedam nemini.

Rogo Vos, VIRI ILLVSTRES, atque oro, ut benevolentiam eam, quam erga me habetis, multisque rebus a multis annis demonstrastis, mihi etiam in reliquum vitae tempus conservetis, existimetisque, nihil me, neque studio, neque cura maiori, acturum, quam ut eo me dignum rebus omnibus praestem, eumque, quem erga Vos habeo, animum, plenum illum virtutum Vestrarum admiratione atque amore, ad finem usque vitae permansurum

VIRI ILLVSTRES

ATQVE

MAGNIFICI

VOBIS

addictissimus

IO. AVGVSTVS ERNESTI.

LE-

LECTORI ERVDITO

S. D.

IO. AVG. ERNESTI

Anni multi sunt, cum librario Hamburgensi, novam editionem Bibliothecae latinae *Fabricii* praeparare volenti, operam in ea re suam addixit vir quidam doctus, qui et amaret historiam librorum, eiusque scientiam egregiam sibi comparasset. Sed cum ille e patria alias in terras abisset, ibique sedem fortunarum reperisset, destituit spem librarii, remque totam renunciavit. Ibi tum ventum est ad me. Nec ego me alienum ostendi ab eo, quod deferebatur. Qui illum librum paene puer legissem, et cognoscendorum librorum, praesertim ex eo genere, studiosissimus semper fuissem, denique multa, tum apud alios reperta, tum tractandis libris ipsis animadversa, quae ad id institutum pertinerent, adnotassem; non sustinebam hunc laborem a me amoliri, quo suscipiendo mihi et utilis et iucunda necessitas veniret, veterum scriptorum latinorum historiae ex ordine

omnium accuratius vel recognoscendae, vel corrigendae, vel etiam locupletandae. Sed morae librarii, et, eo deinde mortuo, heredum, qui non urgebant negotium, fecere, ut rem prope abiicerem. Denique cum ius suum ad nostratem aliquem transtulissent: res serio coepit agi, rogatusque sum, ut illud prope vetus promissum persolverem. Tum vero accinxi me negotio, et temporis subsecivas partes ei destinavi. In eo quid spectarim, quid egerim atque adeo perfecerim, dicendum videtur. Sed caussa ea explicari satis non potest, nisi, opus Fabricianum quale acceperim, demonstrem.

Fabricius, cum primum illam a se institutam et collectam bibliothecam latinam usibus communibus patefaceret: erat is annus a. 1696. tenuis ea adhuc erat et parum copiosa. Et tamen multum et ipsa habuit laudis, et auctori peperit. Nam nihil simile uspiam ei aut par erat, nec in eodem, nec in alio historiae literariae simili genere: necdum extabat historia editionum, vel unius auctoris veteris, satis diligens et usibus criticis apta, unde exemplum capere quis rei rite tractandae posset. Interea tot emtores opus reperit, ut saepius repetendi necessitas veniret: in quinta repetitione finis factus est. Ceterum cum in singulis, ante quintam, repetitionibus aliquid vel correctionis factum esset, vel accessionis: tum vero haec cum fieret, supplementorum tanta copia accreverat, ut duo nova volumina accederent, quorum quodque totum volumen superius aequaret. Itaque tum volu-

men

men alterum et tertium, supplementorum nomine, accessit. In quo ab viro doctissimo male consultum erat et rei ipsi, et usibus doctorum. Nam quae in primo volumine falso tradita erant, aut perperam, ea salva reliquerat in volumine primo, correctionibus in supplementa relatis. In quo videtur labori pepercisse, qui corrigendis tollendisque vitiosis, rectioribus in locum reponendis, et iis, quae nova accederent, suo quaeque loco inserendis. Quem laborem etiam fugerunt repetitionis in Italia, Venetiis a. 1728. factae auctores: qui tamen hoc fecere, ut quae ad quemque locum pertinerent supplementa, ea adderent ei, interposita stellula, qua supplementum quodque ab eo, cuius esset explendi, discerneretur. In quo tamen relinquebatur illud incommodi, quod perperam dicta salva relinquerentur, alio loco essent recte dicta, quaedam breviter uno loco, alio post eadem cum aliquo auctario. Nec id mutavit *Fabricius* in exemplo Veneto, quod ille, charta munda singulis foliis interposita, habuit, adscriptis saepe novis observationibus: de quibus post.

Sed hoc nunc misso, alia vitia duo inprimis habuit hoc opus: primum, quod nimis compilatorem olebat: hoc est, qui nihil fere, nisi collegisset undecunque, quod ad quemque scriptorem pertineret, et per omnes occasiones, saepe intempestive captatas, collatas a se copias super aliqua re effunderet: unde multa superflua, multa aliena, etsi per se non omnia

spernenda, auctorum eandem rem tractantium, levium graviumque promiscue, magnus numerus. Talia sunt de versibus inopinatis, i. e. qui exciderunt oratoribus, historicis, in c. de Tacito: de versibus germanicis, non homoeoteleutis, per occasionem versionis Lucani talibus versibus scriptam, in cap. de Lucano: de nominibus latinis a numeris, ut Primus, Secundus, Tertius etc. in c. de Plinio iun. de iis, qui prosa, non iidem carmine valuere, in c. de Statio: de vocabulis, quibus voces animalium exprimuntur apud Graecos et Latinos, c. de Ovid. ad carmen de Philomela etc. Eius generis est etiam, quod nonnulla traduntur alieno loco: nam ex eodem fonte nascitur. De Sweinhemio et Pannartio tradit in c. de Lucano. Cur hic demum, si tamen volebat aut debebat dicere, et non in prima eorum mentione, saltem in Cicerone, cuius libri prope omnes ab iis sunt per formulas typographicas vulgati?

Alterum, etiam maius, est in Catalogis editionum, in quibus est magna, ac, non dubitem dicere, princeps talis operis pars, certe, quae maxime prosit iis, qui subsidia librorum circumspiciant, aut bene lectas bibliothecas instituere cupiant. Nam et nomen Bibliothecae habet in primis a librorum exemplis, et qui eo utuntur, profecto vel maxime de exemplis cuiusque scriptoris cognoscere cupiunt, non modo quae extent, sed etiam qualia sint; usum aliquem vel ad emendandum textum, vel ad intelligendum, habere possint nec ne; differant inter

inter se, utrumne, et quomodo, quaeque adeo vel comparanda sint studioso literarum latinarum, vel negligenda. At in Fabricianis Catalogis hoc nimis raro, et saepius alieno testimonio, quam ipsius iudicio et usu traditur: nec id videtur adeo curasse. Nam nec in raris exemplis, cum ipse habere se diceret, id lectorem docet: veluti cum Ausonianorum carminum commemorasset editionem eam, quae auctorem habuit Thaddaeum Vgoletum, eius exemplum penes se esse dicit: nihil amplius. Enimvero, si praefationem legere, librum ipsum inspicere leviter, et comparare cum alio recentiori exemplo, ut Tolliano, voluisset, facile reperisset id, quod lectoris maxime intererat scire; id exemplum non modo e scriptis libris ductum esse, sed etiam primum omnium habere omnia Ausonii carmina, quae in recentioribus exemplis essent, esse adeo inter principes editionem, usu quidem, principem.

Sed haec non eo consilio dixi, ut laudes et gloriam *Fabricii* minuerem: absit hoc a me longissime, qui illum Virum maximi semper feci, et cummaxime facio, e cuius libris me multum didicisse scio. Nempe ea vitia sunt non hominis, sed temporis, et, pro illius temporis ratione, ipse plus etiam ceteris in hoc opere praestitit boni, quam quisquam aliorum, aut ante ipsum effecit, aut alius tum efficere potuisset. Nam omnino tum, in hoc genere historiae, sicut et in aliis fere generibus, laus magis colligendi diligentia, et inde ortis

copiis, quam iudicandi elegantia petebatur, et historia in primis librorum, non libris ipsis diligenter tractandis, legendis, comparandis, discebatur, sed ex indicibus bibliothecarum, auctionum, similibusque; magisque externa, tempus, forma, raritas, et similia spectabantur, et tradebantur, quam interna, et ad usum librorum ipsorum profutura: unde et illi de libris raris libri fere nati sunt, in quibus raro, quod ad usum librorum pertineat, reperitur.

Hoc vitium illius historiae, in hoc quidem, de quo agimus genere, nostro demum seculo coepit animadverti diligentius, et corrigi per Criticos, qui, in scriptoribus antiquis edendis, recte et accurate uti libris antiquis, scriptis editisque, coepissent, exemplo ante proposito a Io. Friderico Gronovio, in editionis Livianae praefatione, per Graevios, Perizonios, I. Gronovium, Burmannos, Dukeros, similesque; cum illi in editionum ab se curatarum praefationibus, vel de recensionibus universis, quod tamen ipsum rarius factum, vel certe de exemplis antiquis, quibus ipsi usi essent, accuratius a se tractatis, dixissent. Burmannus in primis coepit reprehendere illorum compilatorum inanem diligentiam, ut in primis Maettarii, in colligendis titulis editionum veterum, nullo ad crisin fructu; frustra querente hoc, ut in libello de editionibus Quintiliani antiquis, sibi iniuriam factam. Verum illi ipsi praeclari, et in hac re recto iudicio viri, plerumque non potuere efficere, quod vellent, ut universam editionum

tionum seriem recensere critica diligentia possent, quod exempla omnia nec ipsi haberent, nec, ubi laterent, scirent, ut ad cognoscendum petere possent. Atque etiam res illa est multi laboris, magnae diligentiae, in qua adeo facile etiam diligentissimi homines defatigari possunt: cuius rei haud pauca exempla reperimus. Vt nunc igitur sunt tempora, et ut nunc de eo genere historiae librorum iudicatur, si quis efficere velit, quod probari a peritis, immo quod prodesse possit, ad illius exempli, quod ab istis viris proditum est, quod nosmet ipsi in recensione editionum Taciti, etiam Homeri, Callimachi, Xenophontis nuper, proposuimus, normam dirigere laborem debet. Sed quid a nobis in hoc tali opere Fabriciano vel emendando vel augendo factum sit, sive quid facere etiam voluerimus, exponendum videtur.

Cum igitur rationem eius esse eam, quam exposuimus, cognovissemus, facile videbamus, minus nobis laboris fore, si relicto illo, ipsi plane novum opus, quod totum nostrum esset, struere instituerenmus. Sed, cum illi viro, ut ante diximus, multum deberemus, non sustinuimus facere, per quod eius opus vel obscurare velle, vel excutere de manibus hominum videremur. Itaque eius opus maluimus vel corrigendo vel augendo aptius facere usibus studiosorum. Primus igitur labor fuit in hoc, ut melius ordinaremus ab eo tradita, correctionibus et auctariis Voluminis secundi et tertii suis locis inserendis, ut iam unum opus esset. Ad hoc

genus pertinet etiam illud, quod non raro, in primo quoque Volumine, erat aliquid alieno loco positum, quod inde tollendum, et alibi apte ponendum esset. In hoc igitur, etiamsi non dicamus, tamen sua sponte quisque intelligat, quantum molestiae nobis exhauriendum fuerit. Itaque speramus etiam, veniam nobis daturos lectores, si quid in hoc genere a nobis non animadversum aut praetermissum repererint: cuius generis aliquot exempla, opere leviter recognoscendo, notavimus, veluti p. 239. Vol. I. alieno loco relictum esse vidimus iudicium de Pomponio Laeto et L. Carrione. Vol. II. autem in cap. de Floro, quod de poesi eius dictum et carminibus, ipsi tributis a nonnullis, erat bis, semel in primo volumine, iterum in supplementis cum unius adiunctione, id in nostro etiam contextu bis esse. Cum per intervalla temporis ista legenda fuerint, lectionisque labor saepe sit interruptus, ut fit, non est mirandum, si memoria interdum lapsi sumus, quae profecto in nemine potest esse tam felix, tam tenax, ut in tali genere nunquam aberret.

Tum vero in ea operis parte, quae historiam auctorum exponit ipsorum, librorumque ab ipsis scriptorum notitiam tradit, multa nos correximus, vel melius post Fabricii laborem cognita, vel accuratius a nobis observata: multa etiam addidimus de nostris observationibus. Ea omnia sint *Fabricii*: si qua in re et ipsi lapsi sumus, aut aliquid erroris Fabriciani reliquimus; id vero nobis imputetur. Quae autem

tem a *Fabricio* vel aliena ab consilio operis, vel non necessaria diximus, pro illius aetatis more, ostentandarum lectionis copiarum, ea quidem plerumque reliquimus intacta, nisi nimis abhorrentia et inania essent, ut, in capite de Floro, catalogus eorum, qui historias Flori nomine scripsere, ut *Florum Francicum*, *Danicum*, *Polonicum* etc. ut in cap. de Gellio, eorum qui libros sub *Noctium* nomine edidere, etc.

In omnibus capitibus proprium locum *Fabricius* fecit versionibus: non male: si modo delectu usus esset, nec promiscue omnes undecunque congessisset. Nos quidem ea omnia integra reliquimus: nec tamen eum locum auximus, nisi ubi essent versiones, quae propter adiectas vel disputationes vel notas usum habere ad intelligendum aut corrigendum contextum viderentur; aut a quibus cavendum lectoribus putaremus, ne fama earum decipi se paterentur. Itaque opportunitate huius loci augendi v. c. in Italicis, quam nobis recens opus *Paitoni*, anno 1766. et seq. quinque Voluminibus editum sub nomine Bibliothecae scriptorum veterum Graecorum et Latinorum, in linguam recentiorem conversorum, suppeditabat, usi non sumus. In graecorum librorum versionibus quibusdam latinis aliquid esse boni, quod eruditis ad crisin prodesse possit, scimus: in latinis secus est. Ad Catalogos editionum veniamus.

Hi quales sint in opere Fabriciano, ante dictum est, nec potest esse ignotum viris doctis, qui eos inspexere. Hunc igitur locum nobis inpri-

in primis fumfimus et corrigendum et locupletandum, i. e. nostro modo, quem supra tradidimus, elaborandum, ut quasi familiae editionum fierent, quisque praecipui quaeque, aut novi boni haberet, sive in critico, sive in exegetico genere, demonstraremus, quae novi exempli, quae repetitiones modo alicuius superioris, quae sine Critici cura e libro scripto ductae essent, quae solis coniecturis correctae, traderemus. Itaque, ut in superiori parte omnia *Fabricii* esse volumus, sic hos nobis Catalogos vindicamus: non, quo nihil insit de Fabricianis: immo multa, sed quae nos etiam sine illis tradere poteramus: et illa Fabriciana sunt, uti diximus, tenuia, et fere ad Catalogi vulgaris modum.

Neque tamen sumimus nobis hoc, ut in omnibus nos, quod voluimus, effecisse dicamus: fatemurque, in nonnullis satisfacere nos nobismetipsis non potuisse, quod nos etiam non pudet fateri. Quidni etiam, cum omnium venia, nos dicamus in omnibus non potuisse, quod adeo pauci hoc ipso seculo efficere in singulis scriptoribus potuere. Burmannus et Gesnerus, quanti viri! at neuter in Quintiliano perfecit, quod in iusta recensione editionum eius postulari potest; ut quisque intelliget, qui eorum recensiones, cum nostra comparaverit: nam et ipsi tandem ad Catalogorum tenuitatem lapsi sunt. Eius rei caussas in istis aliisque viris doctis obiter aliquo loco commemoravimus. Sed, ut quandam quasi disciplinam eius rei habeant

beant studiosi historiae librorum in hoc, quo de agitur, genere, nec modo exemplis uti cogantur, dicam breviter, quo modo ego totum hoc genus tractaverim, quid mihi in eo profuerit. Ita intelligi etiam poterit id, quod dixi, non in omnibus me idem efficere potuisse, et quomodo maxime consecutus sim, ut in permultis ac paene plerisque plenam editionum historiam contexere potuerim.

Igitur cum me providentia divina, ante quadraginta amplius annos, ab ea, quam institeram, via studiorum, deflexisset ad humaniores literas in schola huius civitatis Thomana tradendas, eamque mihi disciplinam, et insita suavitas rerum, et successus in iis, quorum mihi ingenia ad humanitatem erudienda essent tradita, in dies faceret iucundiorem, coepi de eo apparatu librorum, ad illarum literarum excellentem scientiam necessario, qui mihi tum erat, ratione aliquo et modo augendo cogitare. In quo cum principatum tenere intelligebam scriptores ipsos veteres, graecos et latinos, eorumque interpretes, comparavi in primis exempla, quae virorum in hoc literarum genere excellentium notas vel commentarios adiunctos haberent. Ab hac parte cum satis instructum me ornatumque putarem; magis ad criticam rationem me converti, conquirendis exemplis veteribus. Nec tamen promiscue omnia petebam, qui facile viderem, non esse unius hominis omnia vel reperire, vel emere: cum nec in Bibliothecis publicis omnia reperiantur: sed rem

sic

sic institui, ut ea modo cuiusque scriptoris exempla vetera quaererem, quae cognovissem, atque adeo scirem, nondum esse ad textum eorum constituendum a Criticis idoneis collata, praesertim si in iis videretur esse aliquid novi, vel a Codicibus, vel ab ingenio eius, a quo essent facta: a qua tamen regula recessi in iis, quos velut amicos interiores haberem, et familiari iucundaque consuetudine cognitos, in Lucretio, Cicerone, Livio, Virgilio, Horatio, Plinio utroque, Tacito, Quintiliano et aliis nonnullis: quorum editiones etiam usurpatas bene, siquidem propriae recensionis essent, habere non nolebam. Institueram autem hoc mature, ut in istorum scriptorum omnium exemplis, quibus uterer in legendo, interpretandove, notarem, si quid aut nondum bene se haberet, etiam de confessione interpretum, aut propter aliquam caussam vel aliis fuisset, vel mihi esset dubium ac suspectum, etiam si in quo variarent iudicia eruditorum, et editiones collatae ab aliis. Cum exemplum novum in manus venisset, raro ante in locum suum reposui, quam cum exemplo illo meo contulissem, quam praefationem, margines etc. inspexissem, ut mihi iudicare liceret, ab aliquo superiori exemplo ductum esset, an novam recensionem, et aliquid novi haberet: si statim fieri non poterat, subsecivas aliquot post horas ei rei insumsi. Ac mihi in ea re ita bene successit, ut saepe exempla admodum rara in manus venirent, praesertim aliquem auctorem cum diligentius tractare coepissem.

pissem. Cum ante hos quinque et viginti annos Plinii historiam naturalem legissem totam, libros autem priores undecim, et sex ultimos, et quosdam alios, aliquoties, in Harduini editione, captus copia rerum, et vero etiam ingenio viri in descriptionibus, sententiis, aliisque, essemque ea, qua dixi ratione usus; mox, annis non valde multis, meliorum recensionum exempla nactus sum, quibus post et alia accessere; ut iam omnium clararum recensionum, inde a Romanis editionibus, exempla habeam ad duodecim: quae, cum nondum ab ullo, ne Harduino quidem, satis accurate sint ad constituendum textum collata, saepe me e difficultatibus intelligendi expedivere. Atque etiam cum in Bibliotheca utraque publica nostra non exiguus numerus sit editionum antiquarum, iis interdum usus sum ad illud institutum meum. Tum vero etiam in editionibus, quae novi exempli essent, notavi novas lectiones insigniores, per quas possem agnoscere earum repetitiones. Ita mihi accuratiorem editionum veterum cognitionem licuit consequi: multaque didici, quae in recensionibus editorum recentiorum non reperceram: cuius generis exempla etiam reperient lectores nostri in recensionibus, a me in hoc opere factis. Nam quicquid mihi hoc modo observatum est, id in hoc opus est relatum. Atque etiam hoc ipsum cum agebam, si qua commemoranda esset editio, quam nondum, qualis esset, cognossem, dedi operam, ut exemplum eius nanciscerer ad cognoscendum.

Sed

Sed id, quod facile intelligitur, in omnibus fieri non potuit. Sed ad has recensiones etiam profuere lecti antea libri aetatis eius, qua literarum bonarum facta est instauratio, Petrarchae, Sabellici epistolae, libellus de restitutione literarum, Decembrii Politia literaria, Barzizii epistolae, a Furietto editae, et aliorum clarorum illis temporibus virorum: certe ad cognoscendas origines editionum primarum. Profuit etiam ad hanc historiam lectio multorum recentiorum librorum, qui ad aliquam partem historiae literariae veteris pertinerent, Brixiae literatae, Saxii historiae liter. Mediolan. Apostoli Zeni Diss. Vossianarum, et multorum aliorum, etiam epistolarum, a Burmanno aliisque editarum, ut in manus venerunt, instituta per otium. Nam omnino tota res haec est eiusmodi, ut cogi non possit, hoc est, ut si quis ad id vocetur, qui non ita praeparatus veniat, etiam, qui non ipse in magna copia talium librorum versetur, ut ei non sit necessarium saepe aliunde petere auxilium, in eo nihil nisi compilatorem mediocrem agere, nihil, ne mediocre quidem, efficere possit. Itaque si non ita praeparatus antea fuissem; (non quo eiusmodi quid scribere unquam in animo habuerim, sed meo in eo genere studio ut satisfacerem) nunquam me ullis conditionibus induci ad hoc negotium suscipiendum passus essem. Nunc in hac re quidem, ut ante dixi, multum molesti laboris habui, sed magis in corrigendis Fabricianis et ordinandis, quam in illis recensionibus scribendis; in quibus si

quid

quid laboris fuit, id vetus historiae literariae recte institutae amor emollivit. Ceterum, ut ante dixi, non potui in omnibus mihi satisfacere, praesertim qui sum in eo quoque genere, ut in aliis, difficilior, semperque fui, amore ac studio ἀκριβείας. Itaque aliis aliud spicilegium, interdum etiam in his, in quibus me puto satis consilio operis fecisse, colligendum relictum est, qui ea, qua ipse, via in hoc genere ire consveverint.

In hoc de editionibus loco, *Fabricius* saepe commemoravit, si quem repererat virum doctum in animo habuisse, nova editione prodesse studiosis literarum, nec tamen perfecisse, quod voluisset, aut promisisset. Ea quoque erat ante historiae literariae pars, in qua quidam viri docti proprie elaboraverunt. Nihil tota illa res prodest, saltem perraro: nec tamen ea, quae sunt ex eo genere, volui delere, ne nimium mihi in alieno opere sumsisse viderer.

Dixi supra, me habuisse exemplum huius operis Venetum, cui multa adscripta essent a *Fabricio*, quorum in nova editione usus foret. Ex iis quaedam ad Catalogos editionum pertinebant, notatis praesertim novis, et conatibus, quales ante diximus; plerumque ex epistolarum Sylloge Burmanniana: in qua parte crebra erant indicia Diariorum, ubi recensiones editionum novarum reperirentur; quo genere et ante saepe

 pe

pe usus erat, nullo aut raro ad lectores fructu: Tum quaedam addita in ceteris partibus, quae aliquam cum rebus ante traditis, vel scriptore quoque, coniunctionem haberent. Ex iis delegimus, quae grata lectoribus, aut utilia ad cognoscendum id, quo de ageretur, fore putabamus.

In fine Libri secundi additae sunt a *Fabricio* Epistolae, quae sub *Q. Curtii* nomine editae sunt primum Regii Lep. a Rugerio, ut suo loco dictum. Eas omisimus in hac editione: sunt enim, ut notum est, spuriae et nullius pretii aut usus. In iis legendis qui volet aliquid temporis perdere, adire exemplum huius Bibliothecae Fabricianum potest. Omittetur etiam in Libro tertio fragmentum scholiorum in Periegesin Dionysii, quod primum ad explendam lacunam illam e Cod. scr. Bibl. Claromontanae editum est, quoniam id iam insertum est editioni Dionysii Oxon. a. 1697. quae *Ed. Twaites* debetur: quod ignorabat, opinor, tum Fabricius: nec minus *Celsi* Rhetorica, quam nemo desiderat. Qui legere volet, adibit editionem huius operis superiorem.

Sed adhuc de reliquis operis partibus dicendum aliquid videtur; quando nunc Libri tantum duo prodeunt. Nam alias quasdam, de quibus admonere possem, minutias mitto.

Liber tertius operis Fabriciani habet historiam scriptorum inde ab Antoninorum aetate ad

ad corruptam penitus linguam latinam, sic enim inscribitur: hoc est, ad seculum usque sextum: desinitque in Jornande. Sed in eo nullo certo consilio usus est Fabricius. Nam ex illius tractus scriptoribus perpauci memorantur, e Christianis quidem vix sex aut septem. Sed hos coniecit in Libri quarti capita de poëtis Christianis et de scriptoribus Christianis: verum ita, ut eos tantum veluti digito attigerit. Sed cum supplementa scriberet his capitibus, multa ille quidem addidit, sed quae tamen non satisfaciunt consilio huius operis. Itaque mihi destinatum est, Christianos scriptores e Libro tertio semovere: ei autem appendicem facere, quae habeat e Libro quarto ea, quae ad literas humanas pertineant: deinde vero addere librum proprium Christianis ex illa aetate scriptoribus, sed illum totum meum: in quo historia eorum, librorumque ab ipsis profectorum, ad eum modum tractetur, quo factum est in antiquioribus, omninoque tota res referatur ad scientiam et latinitatis Christianae, et literarum humanarum, quoad e libris Christianorum hauriri potest. Hoc modo de istis scriptoribus nondum est ab ullo actum: cum eorum notitia talis sit valde et utilis et necessaria. Sed eorum scriptorum historia omnis nondum criticis manibus diligenter satis tractata est. Itaque initium fiet a Versionibus latinis scripturarum sacrarum, ut quomodo ab iis primum, deinde aliis scriptoribus Christianis, nova lati-

nitas nata sit, etiam ad gentiles propagata, et eam formam acceperit, quam in legibus, edictis Principum, tum Christianorum, tum barbarorum habet, intelligatur. Itaque etiam de his dicetur, quoad literatori necessarium est, ea cognoscere ad Historiae, Geographiae, Chronologiae et latinitatis rationem: omninoque, quid scriptorum illorum quisque ad quaeque studiorum genera prosit, docebimus. Sed de ea re plenius in illa ipsa parte dicetur, si Deo visum erit. Ita vale, Lector docte, et labore nostro, fruere. Scr. a. d. VI. Kal. Mai. a. C. cIↃ IↃ CCLXXIII.





IO. ALB. FABRICII
PRAEFATIO AD LECTOREM
EDITIONIS PRIMAE.

Tria mihi in hoc libro proposui, mi Lector, quorum primum fuit, ut latinos auctores veteres, non Ecclesiasticos, quorum scripta aetatem tulerunt, recenserem universos ordine Chronologico: alterum, ut singula eorum, quae exstant, scripta commemorarem: tertium denique, ut, quantum fieri posset, quasque singulorum, certe praecipuas, annotarem ac prae ceteris commendarem editiones. Neque nomina auctorum nuda apposui, sed paucis simul per-

ſtrinxi, quae certiora et praecipue obſervatu digna de unoquoque memoriae meae occurrerent. Quod de celebrioribus inprimis dictum velim. nam in tanto auctorum numero, uti inter ſtellas quoque, non pauci ſunt obſcuri, atque, ut ita dicam, nebuloſi, quorum praeter exiguam nominis tanquam lucis ſtricturam oculos noſtros nihil non praeterit. Scripta vero illorum quae exſtant ſingula, non tantum recenſita cuiusvis inſcriptione commemoravi, ſed et genuina diſtinxi a dubiis ac ſuppoſititiis, dedique operam, ut de argumento librorum ac ſcribendi genere, et quibus illi ab auctoribus ſuis inſcripti eſſent, pariter conſtaret. Editiones porro praeſtantiſſimas vocare ſoleo, quae vel e MSS. Codicibus primum editae, vel ab Aldis, Stephanis, Iuntis, Plantinis et ſimilibus typographorum principibus emendatius excuſae ſunt, vel alio nomine eximii quid habent, vel denique ad uſus ſtudioſorum iuvenum, quibus potiſſime hac opera mea prodeſſe volui, accommodatiſſimae redditae ſunt caſtigationibus, notis et indicibus virorum doctorum. Horum ſtudio effectum eſt etiam, ut qui Ioannis Friderici Gronovii, Ioannis Georgii Graevii, Iacobi Gronovii et paucorum huiusmodi noſtra aetate, qui cum iudicio et induſtria in his litteris verſati ſunt, editiones habet, antiquas illas non adſpernetur

netur quidem, si possit illas consequi; minus tamen desideret. Itaque utriusque generis singulas quam potui studiose indicavi, ut quilibet facili opera intelligere posset, quantum operae et industriae scriptoribus singulis et per quos esset navatum. Neque aliarum editionum, leviorum licet, prorsus omisi notitiam, si quae meae sese offerrent inquisitioni, ut faciliorem redderem laborem iis, qui post tenues hosce conatus meos aliquando plenam latinorum scriptorum Historiam nobis dare voluerint. Vniversum autem opusculum divisi in libros et capita, ut tanto facilius possit evolvi, respondeatque Bibliothecae meae Graecae, similiter in libros et capita distributae. Ad calcem libri postremi subieci notitiam celebriorum typographorum, eorumque nomina qui prae ceteris laudem et gloriam in libris emendate ad MStos codices ac luculenter imprimendis consecuti sunt, asterisco distinxi. In eodem libro praeterea annotavi si qui viri docti veterum scriptorum, quorum integra scripta perierunt, fragmenta collegissent, imitati nautas naufragium passos, quos Poëta ait:

Navibus amissis fluctantia quaerere aplustra.

Sed et collectiones Veterum scriptorum latinorum, Grammaticorum, Rhetorumque et alio-

aliorum, diligenter recensui, non praeteritis ICtis, Medicis, et Poëtis Christianis. Omitto alia, quae in hac libri mei quasi repastinatione recens accesserunt, quaeque malim te ex ipsius opusculi inspectione cognoscere, laetaturus, si studiosis hominibus, in quorum gratiam totus hic à me susceptus est labor, usum aliquem afferre queat. Vale.

Hamburgi, Nonis April.
anni MDCCVIII.




PRAE-

PRAEFATIO
VOLVMINIS SECVNDI.

Cum ab eo tempore quo Bibliothecam meam latinam postremum auctibus novis locupletatam, atque inde sine novis accessionibus semel iterumque recusam in lucem edidi, non pauca iterum fuerint a me observata, sive quae intra illud duodecennii spatium a viris doctis recens in vulgus emissa adiungi merebantur, sive quae ex antiquioribus editionibus me antea fugerant, sive alioqui non indigna videbantur esse observatu, et ad notitiam scriptorum veterum latinorum facere: ea nolui suis quaeque locis statim inserere novae, quae iam prodit editioni, quod in promptu et huius lectoribus fortassis oportunius futurum erat, sed quo et huius et prioris emtoribus simul consulerem, potius separatim emittere in modum supplementi, atque paginas ad quas referenda singula sunt, in ora libelli annotare. Nihil praeterea habeo, quod praefationis loco illi praemittam, nisi quod conceptas gratias me debere profiteor viris doctissimis, qui me de nonnullis publice etiam monere sunt dignati, quibus praesens locupletare supplementum potui, e quibus nominatim laudare iuvat V. C. *Michaelem Maettarium*, qui in iucundo et utili Annalium typographicorum opere pulcherrimam studiosis operam praestitit: nec non *Christianum Iunckerum* τὸν μακαρίτην, qui, cum viveret, iunctus mihi amicitia, et propter felix atque indefessum bene de litteris

promerendi easque ornandi studium, mihi inprimis dilectus, in suis ad latinos scriptores, quos in studiosae iuventutis usum in lucem emisit, prolegomenis subinde quaedam me docuit, quae me praeterierant, et quae libenter ex illo didici. Ingratus etiam sim, si silentio involverem laudabilem industriam eruditi et praestantissimi Viri *Ioannis Gottlieb Krausii*, eiusque amicorum, qui in Ephemeridibus litterariis Lipsiae, in patria mea, Germanice editis à. MDCCX. Bibliothecae meae latinae ita fecere mentionem, ut quaedam non protrita addiderint, quae mihi usui fuisse non inficior, quemadmodum et illa, de quibus per litteras monitus sum a clarissimo Viro *Christiano Schoetgenio*. Tu vero, optime Lector, vale, et indices scriptorum, quos auctae huic supplementi editioni passim insertos videbis, ac qualecunque studium meum commodis tuis inserviendi, boni consule: volumenque tertium, quo altera supplementi pars similiter locupletata continebitur, brevi a me exspecta. 1721.



PRAE-

PRAEFATIO

VOLVMINIS TERTII

In locupletiore hoc Bibliothecae meae Latinae, quintum nuper editae supplemento, cuius partem residuam studiosorum usibus nunc offero, id mihi propositum fuisse profiteor, ut observationes alibi praeteritas a me de scriptoribus veteribus Latinis, de eorum monumentis, singulorumque editionibus et versionibus quam possem accurate ac breviter exponerem: deinde quod de Graecis in Graeca Bibliotheca, non improbante doctorum Virorum iudicio, consuevi facere, ut interfererem passim Indices scriptorum, qui a Latinis scriptoribus priscis allegantur. Illos indices partim ipse composui, vel ab aliis compositos ex libris ipsis supplevi, vel ex editionibus, quas nomino, mutuatus sum, aut denique debeo doctissimi *Casp. Barthii* industriae, cuius manu consignatos amicus quidam nobilissimus benevole mecum communicavit. Barthii itaque nomen praefixum indicibus nonnullis videbis, qui licet plures etiam sive composuerat, sive manu sua in eodem Codice descripserat, tamen illis uti non potui, quoniam meliores iam et pleniores accuratioresque in mundo mihi erant. Ex illis indicibus, sive fragmenta clarissimorum scriptorum aliquis lustrare gestiat, quorum lucubrationes nobis temporum iniuria subtraxit; sive deperditorum monumentorum requirat notitiam, titulis ipsis atque argumentis, nedum auctoribus

 suis

suis commendabilem: lector studiosus et hos et alios illustrandae antiquitati usus poterit capere, praecipue vero hunc, ut quorum fide atque auctoritate illi, quos habemus scriptores inprimis nitantur, haud obscure constet. Postremo *Aurelii Cornelii Celsi* libellum Rhetoricae institutionis, dignum Quintiliani iudicio, qui non sine cultu ac nitore eum scripsisse affirmat, veluti purpuram panno meo adtexui. Cum enim brevis esset, obviusque rarissime, et in antiquis Rhetoribus Francisci Pithoei praetermissus, placuit eum, licet extrema parte mancum, revocare in lucem ex unica Sixti Popmae editione, quam Parisiis cum versaretur, descriptam ad me misit egregius Vir *Georgius Wallinus*, a cuius virtute et doctrina merito patria ipsius Svecia et Ecclesia resque literaria potest magna ac praeclara sibi polliceri. Vale.



BIBLIO-

BIBLIOTHECAE LATINAE,

SIVE

NOTITIAE AVCTORVM VETERVM LATINORVM,

LIBER I.

De Scriptoribus Aureae Aetatis, qui libros suos edidere intra duo saecula ante Tiberii imperium.



CAPVT I.

DE

M. ACCIO PLAVTO

VMBRO SARSINATE. *a)*

I. *Plauti aetas.* II. *Comoediae quae exstant.* III. *Vidularia una desideratur ex illis XXI. quas omnium consensu Plauto tributas Varro esse scripsit.* IV. *Poëtae, quorum dramata ad Plautum a nonnullis relata.* V. *Comoediae deperditae, quae a Veteribus sub Plauti nomine laudantur.* VI. *Grammaticorum Veterum Scripta in Plautum deperdita.* VII. *Acrosticha Plauti Comoediis, quae exstant, praemissa.* VIII. *Plauti editiones.* IX. *Varia scripta eruditorum Virorum Plauto lucem afferentia.* X. *Querolus supposita Plauto.* XI. *Philodoxius.*

I. M. *Accius* a pedum planitie sive πλατύτητι initio *Plotus*, postea *Plautus b)* est dictus, patria Sarsinas ex Vmbria, lepidissimus Poëta Comicus. A temporibus belli Punici Secundi floruit, ingenio magis dives quam opibus. nam ad molas manuarias *c)* se locare coactus est pistori. Fatis concessit Romae, cum Terentius vix novennis esset, Anno V. C. 570. *d)* ante

a) Arnoldus Pontacus ad Eusebii Chron. p. 462.

b) Festus in *Ploti.*

c) Hieron. Chronico, et Gellius III. 3. qui e Varrone refert binas illum fabulas, Satyrionem et Addictum et tertiam, cuius nomen non adscripsit, in pistrino composuisse. Apud Minucium quoque Felicem c. 14. *Plautinae prosapiae hominem* pro pistore poni observant Viri docti. Vtrum vero, quod in trusatili mola asinorum veluti vicem gesserit Plautus, in pistrinis versatilibus molentium, ideo *Asinii* cognomento veniat in quibusdam libris, in medio relinquo

d) Cicero Bruto c. 15. Apud Vossium de Poëtis latinis, etiam in nova operum editione in fol. perperam excusus Vrbis annus 1075. Epitaphium Plauti in Io. Baptistae Fer-

ante C. natum 184. P. Claudio et L. Porcio *Coss. Plautum ad exemplum Siculi properare Epicharmi* scripsit Horatius *e*) non tam, quod eius fabulas expresserit, quam quod, ut ille Graecas, sic hic Latinas Comoedias cum singulari laude composuerit. Quintiliani tamen iudicio X. 1. in Comoedia maxime claudicant Latini, nec comparandi Graecis sunt, licet Varro dicat, Musas, Aelii Stilonis sententia, Plautino sermone locuturas esse, si Latine loqui vellent, et Caecilium veteres laudibus ferant: Terentii autem scripta ad Scipionem Africanum referantur; quae tamen sunt in hoc genere elegantissima, plus illa habitura gratiae, si intra versus trimetros stetissent. Muretum si audimus lib. XVI. cap. 13. Var. Lect. cui acutissimus Burmannus ad Quintilian. pag. 913. assentitur, si Plautino ore loquerentur Musae, meretricio saepius quam virginali more locuturae essent, et plebeio quam honesto. In Rabani Mauri libro II. de arte Grammatica Tom. 2. Opp. pag. 46. edit. Colon. 1627. fol. Horatio teste laudato, afferuntur hi versus

Dicitur et Plautus vexisse poëmata Thespis
Quae canerent agerentque infecti fecibus ora.

Sed ex Horatii arte poëtica v. 276. obvium erat emendare:

Dicitur et plaustris vexisse poëmata Thespis.

Eadem pagina apud Rabanum; *Poëtae primi Comici, Sussurim, Bullus et Magnes.* Lege: *Susarion, Mullus et Magnes*, ex Diomedis lib. III. p. 486. Sequitur apud Rabanum: *Secunda aetate fuerunt Aristophanes, Eupolis et Horatius* (lege *Cratinus*) *qui et principum vitia insectati acerbissimas comoedias composuerunt. Tertia aetas fuit Menandri, Phili* (fortasse *Philippidis*) *et Philemonis, qui omnem acerbitatem comoediae mitigave-*

Ferreti Musis lapidariis IV. 20. p. 250. obvium est e Gellii lib. I. c. 24. *Pompilii Plauti*, Magistratus Faventini mentio in veteri instrumento composito A. C. 540. apud illustrem Scipionem Marchionem Maffeum in historia diplomatica Italice edita p. 159.

e) Horat. lib. 2. epist. I. v. 58.

gaverunt, atque argumenta multiplicia graecis erroribus (Diomedes, *autoribus*) *secuti sunt. Ab his Romani fabulas transtulerunt, et constat, apud illos primo Latino sermone comoediam Liboeum* (lege *Livium*) *Andronicum scripsisse.* Corruptissimus etiam locus apud eundem Rabanum pag. 47. *Cuius planipedis acta togatarum scriptor ita in aedilicia fabula meminit, datur inest Scaurus exultat planipes.* Lege ex Diomede pag. 487. *Cuius planipedis* (sive mimi) *Atta, togatarum scriptor, ita in aedilicia fabula meminit: daturin' estis aurum? exultat planipes.* S. Hieronymus Epist. 101. ad Pammachium de optimo genere interpretandi: *Terentius Menandrum, Plautus et Caecilius veteres Comicos* (Graecos) *interpretati sunt. Numquid haerent in verbis? ac non decorem magis et elegantiam in translatione conservant?* Rufinus eidem Hieronymo obiicit, quod in Monasterio Bethlehem pueris, ad discendum Dei timorem sibi traditis, Maronem suum Comicosque, Plautum et Terentium, ac Lyricos et Historicos auctores exposuerit. Nimirum non putavit timori Dei adversum esse Hieronymus, efficere, ut lingua Graeca et Latina, et suavitates atque elegantiae, quae in Ethnicorum libris exstant, non fugerent Christianos, et ab illis intelligi, atque in usum verti possent. Nihilominus maius merito studium idem posuit in Christi fide et obsequio teneris animis instillando. Vtinam, quod questus olim Plautus fuit Rudente IV. 7. 23. id solis Comicis in scena, non in cathedra etiam Philosophis, et sacris Concionatoribus de suggestu identidem esset conquerendum:

Spectavi ego pridem Comicos ad istum modum
Sapienter dicta dicere, atque iis plaudier,
Cum illos sapienter mores monstrabant poplo:
Sed cum inde suam quisque ibant divorsi domum,
Nullus erat illo pacto, ut illi iusserant,

II. Exſtant ex ipſius Comoediis, quarum 130. aetate A. Gellii ſub Plauti nomine circumferebantur, ut ipſe auctor eſt libro et capite tertio Noctium Atticarum, *viginti*, ordine fere litterarum a Grammaticis digeſtae, ad evolvendi, ut credibile eſt, facilitatem. Eas collocatas hoc ordine a *Priſciano* putant, et *Acroſticha* ſingulis Comoediis praemiſſa *f*) ad eundem referunt; quod tanquam incertum et non magnae rei relinquo.

1. *Amphitruo*, in quam inſerti ſunt a recentiore manu verſus CLXXXII. poſt Actus IV. ſcenam 2. quos perperam pro genuinis Plauti habuerunt Pylades Brixianus aliique. In Plauto Taubmanni ad calcem voluminis reiecti leguntur, pag. 1271. ſeq. A Plauti dictione abire, magisque tumentia eſſe, et vetera licet, tamen omnino ſequioris aevi adiectamenta notat Voſſius lib. 1. de vitiis ſermonis cap. 27. In Plautinis ſuis exemplaribus non reperiri teſtatur Iac. Moſantus Brioſius pag. 105. Epiſt. Ipſum Amphitruonem Tragico Comoediam appellat Luctatius ad Statii Theb. v. 47. immo ipſe Plautus in Prol. v. 59. *Hiſpanice* vertit D. Villabolos, Hiſpali 1574. 8. Imitatus eſt *Gallico* ſermone praeter Ritrovium, in Amphitruone ſuo Io. Baptiſta Poquelinus Molierius, ac Baelio iudice longe poſt ſe reliquit. Imitatus etiam eſt *Italus* Poëta ſive Bocacius ſive alius in dramate cui titulus: *Gieta, e Birria.* Vide Diarium Venetum, Giornale de' letterati d'Italia T. VI. p. 236. Poſtea Amphitruonem Italice dedit Petrus Piareta.

2. *Aſinaria*, ex ὀναγῷ *Demophili* Comici Graeci expreſſa. (*Onagos* enim legendum, quod *aſinarium* ſignificat, non *onagros*, quo ferus aſinus denotatur. Vide Vlyſſem Aldrovandum de quadrupedibus ſolidipedibus p. 313. 352.) *Aſinariam* Plauti imitatus eſt, et ad ſacrum argumentum de Saule, filiam Davidi dote cruenta praeputiorum Philiſtaeorum deſpondente, deflexit *Io. Burmeiſterus.* Luneb. 1625. 8.

3. *Aulu-*

f) Vide infra ad num. VII. pag. 9.

3. *Aulularia* sic dicta ab aulula sive olla auro referta sordidi hominis Euclionis. Extremam huius dramatis partem supplevit et adtexuit *Antonius Codrus Vrceus*, Professor Bononiensis, qui clarebat sub Sigismundo et Friderico III. Impp. Habeo editam separatim cum Vrcei supplementis, Daventriae 1512. 4. et hoc Octosticho Angeli Politiani:

Facient profecto maiora operae pretia nunc
Longe adulescentes isti, siquidem insueverint
Puro sermoni Romae urbis vernaculo,
Quam si magistris freti trivialibus
Linguas tenellas polluunt stribligine,
Siquidem ita traditum est a laudatis viris,
Latine vellent etiamsi Musae loqui,
Nullis usuras nisi Plautinis vocibus.

Aliud brevius supplementum legitur in editione Plauti Lugdunensi Gryphii, in Coloniensi Giberti Longolii, tum in Pareana, et aliis recentioribus. Alia denique ex ingenio adornarunt Martinus Dorpius, Ioach. Camerarius et Georgius Reimannus Leibschütz, Professor Regiomontanus. Iamque olim Plauti Aululariae alienos versus insertos fuisse colligas e Plinii XVIII. 1. Aululariam seorsim illustravere Steph. Riccius, Mauritius Sydelius etc. In veteribus Codicibus Monasterii Egmondani scholiasten Luciani antiquum et Aululariam Plauti versibus elegiacis expressam fuisse refert Isaacus Vossius Epistola ad Nic. Heinsium data A. 1650. T. 3. sylloges Burmannianae p. 588. *Aulul ariam* versibus Germanicis, ut illa aetate rudibus, reddere non dubitavit quidam *Ioachimus Greff*, Zviccaviensis Magdeburg. 1535. 8. Sed meritam ingenii laudem aetate nostra tulit *Molierius* g) Comicorum Gallicorum princeps, qui ex Aulularia Plauti *Avarum* suum expressit amoenissima imitatione.

 Supple-

g) Molierius *Plautus nostri saeculi* vocatur a clariss. Burmanno pag. 91. ad Petronium. Ejus Comoediae toties recusae Gallice, leguntur etiam ex Italica, Germanica et duplici Anglica versione. Bibl. raisonnée T. 9. p. 485.

Supplementum Aululariae, nescio an diversum ab editis, memorat Goldastus in literis MSS. ad Iohannem Meursium XI. Kal. Nov. 1604. *Supplementum Aululariae illud quaero, quod Camerarius ait apud Georg. Fabricium vidisse, non quod abs te h) editum. Numquid super eo aliquid ex Scaligero? tenta, et vale mi Meursi, ac amicitiam nostram fove.* Camerarii verba sunt: *Noster quidem Fabricius annotarat quaedam Romae reperta, quibus supplerentur haec deficientia, sed ne illa quidem satis Plautina, neque causa cur adiici vellemus, visa fuit.* Sane praeter illud supplementum versuum CXXII. quod *Codro Vrceo*, i) Professori Bononiensi debemus, quodque incipit, *quod non habeo. LY. feram, Velis nolis cum te quadrupedem strinxero:* exstat aliud brevius XXVIII. versuum, quod incipit: *Quid hic quondam pervicus addit?* quod ante *Meursium* variae Plauti editiones exhibuerant, ut dixi supra, Simonis Carpentarii Parisiensis, Lugdunensis Gryphii, Giberti Longolii Coloniensis, et Hervagii Basileensis, neque aliud a Camerario innui suspicor. Eo puto etiam pertinere quod legas in Pithoeanis, *il y a quelque chose au Plaute de Gryphe, qui n'est pas aux autres.* Praeter haec duo exstat etiam supplementum recentius versuum CCLXXV. *Martino Dorpio k)* auctore, cuius initium: *Non feram, carnifex.* Prodiit separatim Plauti Aulularia cum Vrcei supplemento etiam Argentorati 1514. 4. et adiuncto altero longiore Martini Dorpii, Antuerp. 1537. 8.

4. *Captivi*,

h) In Meursii curis Plautinis Lugd. Bat. 1599. Confer Plautum Taubmanni p. 1279

i) Codrus Vrceus lepidi vir ingenii obiit Bononiae A. 1500. aet. 54. cuius vita scripta a Bartholomaeo Blanchino exstat ad calcem Vrcei operum iunctim excusorum A. 1540. De eodem consulendus Bernardus Moneta in observationibus Gallice editis ad Menagiana Tom. IV. p. 150. seq. et Memoriarum literariarum scriptor, editarum Gallice A. 1716. 8. Tom. I. pag. 331. seq.

k) Martinus Dorpius vir egregius et amicus Erasmi in flore aetatis extinctus Lovanii A. 1525. De eo Valerius Andreas in Bibl. Belgica et in Athenis Belgicis Franciscus Sweertius. Rich. Simon Tom. I. Bibl. selectae p. 88. Io. Clericus Bibl. selectae Tom. V. p. 210 seq. etc.

4. *Captivi*, de qua Comoedia sua Auctor ipse, Prologo:

Non pertractate facta est, neque item ut caeterae,
Neque spurcidici insunt versus immemorabiles.
Nullae sunt subagitationes, nulla amatio.

Et in calce dramatis:

Spectatores, ad pudicos mores facta haec fabula est.
Huiusmodi paucas Poëtae reperiunt Comoedias,
Vbi boni meliores fiant. — — —

Haec non mihi soli inquit Sam. Werenfelsius *l*) sed emunctissimae naris iudicibus una omnium Comoediarum Plautinarum elegantissima videtur. *Captivos* Plauti Ioach. Camerarius putabat intercidisse; huic autem, quae aetatem tulit, Comoediae titulum fuisse *Captivi duo*. Illam elegante prosa Gallica donavit praestantiss. Vir Petrus Coste Paris. 1713. et Amstelod. 1716. 8. Gallice et Latine cum notis. *m*) De spatio temporis, quod ad actionem huius dramatis requiritur, num ad leges theatri sit exactum, vide si placet Anonymi Criticas Observationes, quae editae sunt in Historia Critica Reip. litterariae Massoni Gallice edita T. XIII. p. 1. et laudati Coste Epistolam in Novellis Reip. litterar. A. 1716. p. 464. Memoriis Trevoltinis A. 1716. Iul. p. 1388. et A. 1717. p. 317. Historia Critica Reip. litterar. Tom. XIV. p. 56. Hällische Nachlese der Newen Bibliothec. V. p. 404. Eobani Hessi *Captiva*, D. Lutheri nostri et Melanchthonis commendata Epistolis, Ecclesiae illorum temporum calamitatem miseratur. Vide Frid. Iacobi Beyschlagii Syllogen p. 294. 300.

5. *Curculio*, quod est nomen parasiti, impositum a verme, qui frumentum exedit, unde iocus Ausonii Epist. XXII. *Tota illa familia hominis litterati non ad Ciceronis frumentariam* (3. in Verrem,) *sed ad Curculionem Plauti pertinebit.*

l) Oratione de Comoediis T. II. diss. varii argumenti p. 366.
m) Nouvell. Rep. lettr. 1716. p. 279. Bibl. ancienne et moderne T. V. p. 249.

6. *Casina*, pro quo nomine *Canissam* malebat Sam. Petitus II. 19. Misc. sed infelici coniectura, ut docuit Sam. Bochartus parte I. Hierozoici II. 55. Vide etiam si placet Guil. Canterum VII. 22. Nov. lect. Iohannes Meursius in mantissa ad librum de luxu Romanorum cap. 17. Casinam dictam coniicit *a casu* sive sorte; translata enim est de Graeco Diphili dramate, quod inscribebatur κληρέμενοι, i. e. sortientes. Festo in *remiligines* haec Plauti fabula laudari videtur sub titulo *Patinae* sive *Patinariae*. Confer Casinam IV. 3, 7. De *Casina* Plauti, eiusque latranti nomine adeundus etiam Desiderius Heraldus animadversionibus in Salmasii observationes ad Ius Atticum et Romanum lib. 2. cap. 27. p. 189. seq. qui tamen non persuadet, cum apud Plautum *latratae* pro *latranti nomine* scribendum coniicit, quod Casinam omnes latrarent scilicet, hoc est, poscerent, et super qua sortitiones fierent. Ex Plauti Casina *Clitiam* suum confinxit Machiavellus, ex latina bona Hetruscam, Balzaco iudice Epist. select. p. 673. non malam.

7. *Cistellaria*.

8. *Epidicus*, auctori suo prae caeteris probata. Vide Bacchides II. 2. 36. Hanc separatim illustravit Andreas Wilckius. Erfurt. 1604. 8.

9. *Chrysalus* sive *Bacchides*. Prologus ac scenae primae initium a Lascari repertum est Messinae in Sicilia: ab aliquibus tribuitur Francisco Petrarchae. Exstat in editione Plauti Longoliana Coloniensi, atque inde in aliis.

10. *Phasma* sive *Mostellaria*, sic dicta a *Mostella*, sive monstro deminuto, seu mostello, aedes infestante.

11. *Menaechmus*, cuius Dramatis, uti Poenoli quoque, Italicam translationem vidi editam Venetiis 1526. 8. In eam lepida exstat Angeli Politiani praefatio Epistola VII. 15. ad Paulum Comparinum, atque inter eius Poëmata in Operibus Politiani T. 3. pag. 333. et Tom. 2. Delic. poëtar. Italorum p. 363. Menaechmi Plauti et Mi-

les gloriosus Hispanice versi prodiere A. 1555. forma minore. Militem Italica prosa reddidit Caelius Calcagninus.

12. *Pyrgopolinices* sive *Miles gloriosus.*

13. *Mercator*, translata ex ἐμπόρῳ Philemonis Comici Graeci. In hac quoque post Actus IV. scenam quintam bene multi versus adsuti sunt a recentiore manu, nec non et versus undecim praemissi scenae III. Actus V.

14. *Pseudolus.* Cicero Catone Maiore c. 14. *Quam gaudebat bello suo Punico Naevius, quam Truculento Plautus, quam Pseudolo!*

15. *Poenolus*, qui et *Patruus*, et *Phagon*, *de Graeco versus* a Plauto, ut constat e prologo, *barbare*, hoc est Latine. Nonnulli Poenoli loca bene illustrat elegantissimus Muretus libro XVII. Variar. lect. Punica in hoc dramate occurrentia, quae parum a puritate hebraismi *n*) abesse affirmat Iosephus Scaliger Epist. CCCLXII. et Hebraicis litteris in sua Plauti editione descripsit Pareus, illustrarunt Iosephus Scaliger ad fragmenta Graecorum p. 32. Salmasius Epist. XVIII. Thom. Reinesius de lingua Punica c. XII. sed maxime Sam. Petitus lib. II. Misc. c. 1. 2. 3. eoque felicius Bochartus II. 6. Chanaan, et Io. Clericus Vir Cl. Tomo IX. Bibl. Vniversalis p. 256. qui rythmos esse docet; quod subodoratus quoque fuerat Io. Seldenus prolegom. de Diis Syris cap. 2. Vide praeterea, si lubet, Hugonem Grotium Epistola CVI. ad Gallos (collectionis maioris CCLVIII.) Brianum Waltonum apparatu ad Biblia Polyglotta prolegom. II. num. 6. seq. Stephanum le Moyne ad Varia Sacra p. 112. Io. Christoph. Wagenseilium in telis igneis Satanae retusis p. 411. Io. Braunium Virum Cl. in selectis sacris p. 484. Loescherum de caussis linguae Hebraeae pag. 31. Is. Casaubonum in Casaubonianis, editis a Io. Christophoro Wolfio,

n) Plautum hebraissare interdum, scripsit Goldastus notis ad Valerianum Cimeliensem pag. 92. edit. primae.

Wolfio, pag. 121. Athanasium Kircherum in prodromo Copto pag. 179. Bernardum Aldrete in Antiquitatibus Africae et Hispaniae, Hispanica lingua vulgatis p. 207. Antonium Bynaeum de Natali Christi p. 102. et Olaum Rudbeckium T. 3. Atlanticae p. 731. seq. Ad dialectum Aramaeam refert Georgius Henricus Saphunius in commentatione o) erudita ad Plauti Punica, quam edidit Lipsiae 1713. 8. Vide Acta Eruditorum T. V. supplementi pag. 421. Post actus postremi scenam sextam Io. Sambucus e MSto Codice aliam subiunxit, quam in manu exaratis libris reperit etiam Iustus Lipsius V. 19. Antiq. Lect. Specimen divinationum suarum in Poenolum Plauti memorat Thomas Erpenius Epistola ad Casaubonum, quae inter Casauboni Epistolas p. 661. legitur edit. novae in fol. Linguam Punicam in hodierna Melitensi superesse, specimine linguae Punicae, p) Marpurgi A. 1718. 8. edito et in Tomo XV. thesauri antiquitatum Siciliae Lugd. Bat. 1725. fol. recuso, demonstratum ivit exquisitae eruditionis et praeclari ingenii vir Io. Henricus Maius, filius, humaniorum literarum in Gissensi Academia dignissimus Professor. q)

16. *Persa*, e qua fabula Plinius XIV. 13. affert de vino myrrhae odore condito, quod in ea hodie incassum quaeras.

17. *Rudens*, quo titulo, perinde ut Trinummo et Truculento, non expleri indicationem argumenti disputat Iulius Caesar Scaliger p. 766. Poetices. Anna Daceria, quae eleganti illam fabulam veste Gallica induit, inscribit *Felix Naufragium*. Eam e Diphilo Plautus transtulit, ut ipse testatur, fortasse ex eius *ἀνασωζομένοις*.

Fallitur

o) nimis sinistre de ea iudicans Maius p. 17. perexiguae imo nullius frugis commentationem, invitis plorantibusque Musis editam appellat.

p) Acta Erudit. 1720. pag. 40. Bibliotheca novissima Hallensis pag. 293.

q) Vir nobilissimus *Shaw*, qui per XIV. annos Consulem Anglorum egit apud Algeritanos, Historiae Algerii, Tuneti et Tripoleos A. 1734. subiunxit *Vocabularium veteris linguae Punicae*, quali utuntur in montibus Barbariae.

Fallitur enim V. C. Ioannes Clericus r) qui expressum putat ex Menandri ἁλιεῖ, rectiusque inscribi debuisse *piscatorem.*

18. *Stichus.* In hac fabula leguntur loca bina, quae e *Nervolaria* Plauti producit Festus in *Nasiterna* et *Osculana:* forte quod Plautus similes versus in diversis quandoque adhibuit Comoediis. Sane quae e Nervolaria tum apud Festum, tum apud alios plura leguntur, in Sticho frustra quaeras.

19. *Trinumus*, quem separatim illustravit in Plauto Philologo Critico *Henningus Succovius.* Iulio Caesare Scaligero iudice rectius fecisset Plautus, si *Thesaurum* inscripsisset. Ex Philemonis Comici Graeci Θησαυρῷ expressum constat. *Henningi Succovii* commentarius in Trinumum vidit lucem Francof. 1643. 8.

20. *Truculentus*, caeteris depravatior hodie exstat, etsi ut supra in Pseudolo dixi, Plauto ipsi hoc drama suum mire placuit. Maiore ex parte a Iosepho Scaligero vindicatum a mendis celebrat Frid. Taubmannus Epistola ad eum data Tom. 2. sylloges Burmannianae pag. 339.

III. Aetatem igitur tulerunt (praeter unam *Vidulariam*) Comoediae Plauti Varronianae omnes, sive XXI. illae, quas *Varro in libris de Comoediis Plautinianis* consensu omnium pro genuinis habuit teste Gellio III. 3. Vidularia quoque exstitit olim in antiquissimis membranis Palatinis, in quibus eius titulum post Truculentum observarunt Viri docti, sed fabula ipsa desiderabatur, quam plus simplici vice in testimonium citant Nonius, Priscianus, et alii.

IV. Post mortem Plauti, eius Comoediae, quae incertae ferebantur, Plautinae tamen de iocorum copia cognitae sunt, ut narrat Macrobius lib. 2. Saturnal. c. 1. Alia-

r) ad fragmenta Menandri p. 8.

s) Gellius III. 3. e Varrone refert *Plautinum fuisse quempiam Poëtam Comoediarum, cuius quoniam fabulae Plauti inscriptae forent, acceptas esse quasi Plautinas, cum essent non a Plauto Plautinae, sed a Plautio Plautianas.*

Aliarum Plauto passim tributarum auctores fuere M. *Aquilius* quidam, vel M. *Accius* sive *Acutius*, vel *Plotius*, vel denique *Turpilius*.

V. Nomina deperditarum Comoediarum sub Plauti nomine haec apud veteres Grammaticos observata sunt Viris doctis, Georgio Fabricio praecipue, Taubmanno, ac Pareo, qui fragmenta Plauti collegerunt. 1. *Acaristio*, pro quo alii apud Nonium legunt ἄχαρι *studium*. 2. *Abroicus*, al. Ambroicus vel Agroicus, ἄγροικος. 3. *Addictus*. 4. *Anus*. 5. *Artemon*. 6. *Astraba* sive *Clitellaria*. 7. *Baccharia*. 8. *Bis compressa*. 9. *Boeotia*. 10. *Caecistus*. 11. *Calceolus*. 12. *Carbonariae*. *Clitellaria* (supra *Astraba*.) 13. *Coecus* sive *Praedones*. 14. *Colax*. 15. *Commorientes* e Diphili fabula, cui titulus συναποθνήσκοντες, expressa, teste in Adelphis Terentio. Tamen hanc quoque Varro videtur Plauto abiudicasse. 16. *Condalium* e Menandri δακτυλίῳ. 17. *Cornicularia*. 18. *Dyscolus*. 19. *Foeneratrix*. 20. *Fretum*. 21. *Frivolaria*. 22. *Fugitivi*. 23. *Gastron*, aliis *Restio* vel *Gestio*, vel *Quaestio* denique. 24. *Hortulus*. 25. *Leones* (al. *lenones*) *gemini*. 26. *Lipargus*, sive Parasitus piger. 27. *Medicus parasitus*. 28. *Moechus*. 29. *Nervolaria*. *Praedones*, (supra *Coecus*.) 30. *Plocinus*, al. Plociona; πλοκιώνης, stuparum institor. 31. *Satyrio*. 32. *Scytha lithurgus*, ex Antiphontis Σκύθῃ. 33. *Syrus*. 34. *Trigemini*. 35. *Vidularia*. Possent et catalogo deperditarum inseri *Parasitus*; supra, *Medicus*: *Patina* sive *Patinaria*: nisi eadem haec fuit cum Casina: *Phasma* (nisi eadem cum Mostellaria) et *Sisennaria*, nisi falsa lectio Camerarium decepit.

VI. Plautum olim illustraverunt Grammatici veteres *Aruntius Celsus*, *Flavius Caper* et *L. Sisenna*. Indices super fabulis Plautinis scriptos a *Vulcatio Sedigito*, *L. Aelio*, *Claudio* quodam, itemque *Accio* et *Aurelio*, *Manilioque* memorat Gellius: *Varronis* librum secundum Plautinarum quaestionum Diomedes: *Q. Terentius*

Scau-

Staurus. Sed horum omnium labores pridem intercidere.

VII. *Acrosticha*, sive versus nomina singulorum dramatum primis litteris indicantes, eorumque argumentum complexi, qui in codicibus et editionibus Plauti ante singulas fabulas leguntur, *Prisciano* nonnulli tribuunt; alii e stilo colligunt illa vel ipsius esse Plauti, vel alterius prope aequalis, ut visum Bocharto T. I. Hierozoici p. 664. Verba quaedam ex argumento Asinariae citat, tanquam Plauti, Donatus ad Andriae III. 5. 4.

VIII. Plauti Comoediae XX. primum e MS. Florentino prodiere Venetiis Opera et impendio Ioannis de Colonia Agrippinensis, et Vindelini de Spira A. 1472. fol. cura *Georgii Merulae* Alexandrini Statielensis *t*) et inde Tarvisii 1482. fol. opera et impendio Pauli de Ferraria atque Dionysii de Bononia. Sed annotamenta eius et Plautinae quas promittit quaestiones dubito an viderint lucem. Cornelius Vitellius de observatione dierum, mensium, annorumque ad Pyladem Buccardum Brixianum: *Habeo sexcentos et amplius errores ipsius* (Merulae) *ex commentariis Iuvenalis et Orationis in Ligarium ac emendatione Plauti, Columellae Censorii, et Varronis collectos, quos iam edidissem, nisi expectarem ipsius* quaestiones Plautinas, *quas iam decem annos in utero gestat, et adhuc* (A. 1481.) *non modo non parit, sed ne parturit quidem, cum ei opus sit recantare, quae in toto Plauto depravavit.* Confer Diarium Venetum, Giornale de' letterati d'Italia T. XVII. p. 297. seq.

Post Merulam recognitae Plauti Comoediae ab eius discipulo sunt *Eusebio Scutario*, Vercellensi, Mediolan. 1490. fol. in officina Vlderici Scinzenzeler, ipsius et magistri *Ioannis Legnani* opera et impendio. Porro a *Io. Petro Valla*, cum cuius commentario et *Bern. Saraceni*,

t) In praef. dicit: omnia exempla Plauti, quae extent, ab uno exemplari ducta esse, eamque ob causam Plauti correctionem difficilem esse. vide Brixia liter. T. I. pag. 2.

cesi, fine anni nota Plautum habeo editum Venetiis fol. ut omittam editionem huius Comici Venetam A. 1495. 4. A *Pylade Buccardo* Brixiano, Brixiae 1506. fol. qui Plautum termille amplius erroribus a Saraceno et Pio corruptum queritur. *u*) Hinc ut omittam editiones Daventriensem Anni 1482. et Brixiensem cum Commentario *Bernh. Saraceni*, quam procuravit Simon Papiensis, Venetasque cum commentario eiusdem Saraceni et *Io. Petri Vallae* additis etiam commentariis *Io. Baptistae Pii* Bononiensis 1499. 1511. fol. et Vlmensem A. 1499. Plautus cum commentariis *Io. Baptistae Pii* prodiit Mediolan. 1500. fol. sed castigationes et retractationes notarum suarum in Plautum subiecit commentariis suis in Lucretium editis Bonon 1511. fol. et Paris. 1514. fol.) et cum *Burchardi Pyladis* Brixiani, etc. *Thaddaei Vgoleti* commentario Parmae 1511. fol. In hac editione praeter *Pyladis Buccardi* Brixiani scholia in quinque priores Comoedias, occurrunt ad undecim sequentes et principium Rudentis, hypomnemata *Thaddaei Vgoleti:* commentarii *Francisci Marii Grapaldi*, et in reliqua *Georgii Anselmi* Epiphyllides. Commemorandae porro veniunt editiones. Argentinensis, curante *Adolfo Mulingo*, An. 1508. quam laudat Taubmannus, et *Lipsiensis* singularum Plauti Comoediarum Anno 1506. 1511. 1512. etc. fol.

Sed in his editionibus textus Plautinus male tractatus est, dum quisque eum ad metri, quod sibi finxerat, leges, addendo, detrahendo, mutando, revocare conatur: quod animadvertit *Simo Carpentarius*, qui Plautum edidit, ut videtur, Lugduni sub hoc titulo: *M. Plauti Sarsinatis Comoediae XX. Varronianae ex antiquis et recentioribus exemplaribus invicem collatis diligentissime emendatae.* A. 1513. 8. In qua primum editum est supplementum Aululariae, quod deinde Gryphius, Meursiusque

u) vide de hoc Pylade et alia haec pertinentia in eadem Brixia liter. l. c. vbi et de editione Murulae agitur.

fiusque vulgaverunt. Sed caufam corruptionis ex libidine inprimis fulciendorum et concinnandorum verfuum agnovit *Nic. Angelius*, qui Florentiae, apud Philippum Iuntam, An. 1514. et 1522. 8. Plauti Comoedias edidit, quocum plane confentit in hac re *Io. Frid. Gronovius*. Sed *Carpentarius* in concinnando textu editis modo exemplis ufus videtur, *Angelius* autem etiam fcriptis. Ille viciffim verfus melius ordinavit, quam *Angelius*, qui interdum duos in unum contrahit, aut dimidiatos ponit pro integris. In *Carpentarii* porro editione in fine *Aululariae* XVIII. verfus funt, qui in fuperioribus non reperiuntur. Eos temere fibi vindicat *Seb. Gryphius*, et in fuperioribus exemplis reperiri negat. *Angelius* autem primus *Bacchidibus* Prologum et initium Actus primi addidit, fpurium tamen, quem male in *Gisb. Longolii* editione primum editum effe putat *I. Fr. Gronovius*. Tum *Moftellariae* fcenas *Angelius* ad meliorem ordinem redegit, in quo tamen a *Camerario* fuperatus eft. Plautus ad Florentinam editionem caftigatus, additis notis Io. Petri Vallae, Bernardi Saraceni, Pyladis Brixiani, Baptiftae Pii Bononienfis, fcholiis Vgoleti, Grapaldique et Anfelmi indicibus, prodiit et Venetiis 1518. fol. cum indice Grammatico editoris *Lucae Olchinienfis* Canonici, et iconibus ligno incifis utcunque. de qua ed. vid. Brix. liter. Quirini P. I. p. 39. fq. Exftat et editio Florentina, A. 1554. 8.

Aldina, Venet. 1522. 4. in titulo ipfo carmina Plauti magna ex parte in menfum fuum reftituta promittit, et *Francifcus Afulanus* in praefatione profitetur, fe exemplar ab Aldo et Erafmo caftigatum typographis exfcribendum propofuiffe. Sed haec tota profeffio eft falfa. Nam Iuntinam repetit, et correctiones Aldi et Erafmi ad vitia typographica pertinent. Hanc Aldinam *Roberti Stephani* editio fequitur, quae prodiit Parifiis 1529. fol. itemque Lugdunenfes apud *Gryphium*, 1535. 1540. 8. 1549. 12. 1554. 16. At altera *Rob. Stephani*, A. 1530. fol.

exemplaribus multis, ſed *recentibus* invicem collatis, facta dicitur. Sequitur editio Colonienſis *Gyberti Longolii* Vltrajectini, 1538. 8. apud Ioannem Gymnicum: ante quam prodierant etiam Comoediae Plauti ſelectiores cum notis Longolii Pariſ. 1530. 4.

Soſpitator Plauti iure dicitur *Ioachimus Camerarius*, qui quinque primum Comoedias recenſuit, An. 1545. 8. dein totum Plautum A. 1551. et 1558. 8. editum Baſileae, cum fragmentis a *Georgio Fabricio* collectis, et praefixa eiusdem Camerarii de Carminibus Comicis diſſertatione. Vſum ſe eſſe teſtatur membranis antiquis *Viti Verleri* Franci, quem Lipſiae Comoedias Plautinas interpretantem audierat, deinde antiquiſſimis Bibliothecae Palatinae. Operam eius in Plauto navatam eximie laudat Douſa Explan. Plaut. p. 108. Ipſe dicit, nullum eſſe prope verſiculum ſine aliqua emendatione ſua. Hinc igitur ſequentes editiones fluxere, ut *Plantiniana* cum caſtigationibus eiusdem Camerarii, *Coelii Secundi Curionis*, *Io. Sambuci*, *Adr. Turnebi*, *Adriani Iunii*, *Caroli Langii*, et aliorum, Antwerp. 1566. 12. *Baſileenſis Hervagiana* Anno 1568. 8. in qua, praeter caſtigationes iam memoratas Virorum doctorum et Caroli Langii lectiones in Plautum, occurrit *Andreae Alciati* Mediolanenſis de Plautinorum Carminum ratione libellus, et Lexicon Plautinum. *Baſileenſis Andreae Cratandri*, Anno 1573. 8.

Novi exempli recenſio e MSS. et edd. deinde facta eſt per *Dionyſ. Lambinum* cum commentariis ab ipſo inſtitutis, ſed perfectis, cum mors eius interceſſiſſet, ab collega eius *Io. Helio*: eaque primum prodiit Pariſ. 1577. deinde 1587. fol. cuius repetitiones ſunt Col. 1578. Genev. 1581. 1587. 1595. 1605. 1622. 4. item Heidelberg. A. 1581. 8. quo pertinet etiam Plautus cum variis Lect. ex Lambini et aliorum variorum obſervatione adſcriptis Lugd. apud Sanctandreanum. 1587. 8.

Poſt

Post Lambinum *Ianus Gruterus* Plautum castigatum ad Codices Palatinos x) edidit A. 1592. ita, ut Comoedias actibus et scenis, versuumque numeris distingueret. In hac editione Grutero iniquior est Io. Philippus Pareus, de quo suo quondam discipulo Gruterus queritur Epist. 121. 122. post Gudianas: nec Pareo parcit in scriptis suis Gruterus, quam miseram virorum doctorum certantium invicem maledictis conditionem merito dolet Michael Piccartus litteris ad Io. Kirchmannum, post Gudianas p. 260. atque acerbe nimis, novisque maledictis exagitat Iac. Gretserus lib. I. rerum variarum, Ingolstad. 1628. 8. capite IX.

Bene etiam de Plauto meritus est *Ianus Dousa*, filius, ex cuius recensione cum brevibus eius animadversionibus prodiit. Antuerp. 1589. post Lugd. Bat. 1595. Francof. 1610. 12.

Ex recensione autem et cum praefatione *Augusti Buchneri*, prodiit Witteb. 1640. 12. 1652. 1659. etc. Praefationem in posterioribus Plauti editionibus omissam queritur Thom. Crenius, Vir Clar. parte 2. animadvers. p. 2. De editione hac non praeclare sentit Io. Frid. Gronovius praef. ad Plautum: nec tamen iniuriam viro facit, diserto illi quidem, sed ad hanc criticam rationem non bene exercitato.

Extat etiam Plauti editio Paris. 1642. in folio ex typogr. reg. splendore magis, quam aliis suis bonis commendabilis.

Extat etiam Plautus e recensione *Io. Isaaci Pontani*, editus, Amst. 1650. forma minore: sed in quo non multum lucratus est textus Plauti.

Praestantissimae ad intelligendum hunc Comicum sunt editiones Taubmannianae, quarum prima Francof. 1605. altera 1612. cum secundis *Frid. Taubmanni* curis,

 tertia

x) Palatinus Codex unus antiquissimus Pandectis Florentinis non inferior aetate. Vide Io. Philippi Parei provocationem ad Senatum Criticum pag. 28. ubi orthographiam in utroque Codice similem observat.

tertia post illius obitum (vita enim excessit Wittebergae Anno 1613. IX. Cal. April.) accedente eximii Viri *Iani Gruteri*, sed variis invectivis *y*) in Io. Philippum Pareum molesti, industria A. 1621. 4. *z*) Hae editiones licet non usque quaque sunt emendatissimae: primae enim se ideo pudere scribit Taubmannus in literis ad Godofr. Iungermannum datis prid. Cal. Sept. A. 1606. et tertiam hoc nomine reprehendit Io. Clericus Vir. Clar. T. 3. Bibl. selectae p. 364. seq. tamen contextum pluribus locis exhibent meliorem, ac praeter luculentos commentarios, omnium, quiqui ante Plauto manus admoverant, industriam delibantes ac vincentes, *fragmenta* ex amissis Plauti Comoediis, post G. Fabricium diligentius collecta, tum hypobolimaea seorsim ad calcem coniecta notisque illustrata exhibent. Eadem fragmenta deinceps subiuncta sunt Plauto cum Indice phrasium excuso Cothenis Anno 1620. 8. tum editionibus Plauti, quas consultis MSS. inprimis Camerariano, adornavit *Io. Philippus Pareus* Francof. 1610. 8. Neapoli Nemetum sive Spirae *a*) 1619. 4. et Francof. 1641. 8. tum illis, quas cum variorum notis vulgarunt Lugduni Batavorum M. *Zuerius Boxhornius* Anno 1645. 8. a Nic. Heinsio exemplar manu *Iosephi Scaligeri* notatum nactus, et Anno 1664. 1684. 8.

Etiam *Nic. Heinsius* recensuit textum Plauti ediditque Lugd. Batav. 1635. 12. quae recusio repetita est Amsterd. 1661. 12.

Sed,

y) Hae totis plaustris etiam in Pareum effunduntur a Grutero in Epistolis ad Mich. Piccartum T. IV. amoenitatt. literar. Io. Geo. Schelhornii p. 532. sq. atque in Epistola monitoria sub Christophori Pflugii typographiae Schurerianae praefecti nomine edita, tum in ἀντιλήψει Erfordiana et in Eustachii SV. P. Asini Cumani fraterculo e Plauti electis electo. Respondit Pareus non minus acerbe in provocatione ad senatum Criticum pro Plauto, et in Analectis Plautinis, quae thesauro sive Faci Artium Gruterianae tomi septimi instar maligne subiuncta sunt.

z) Hanc minus emendatam esse monet Thom. Crenius par. 16. animadv. hist. philolog. p. 221.

a) Haec editio a *Io. Gravio* collata cum Miss. et passim castigata fuit in Bibl. Io. Mori Eliensis in Anglia Episcopi.

Sed, quod ad Criticam rationem pertinet, melius longe meritus de Plauto est *Io. Frid. Gronovius*, qui e sex Codd. MSS. atque ex sagaci ingenio non paucis Plauti locis correctiorem textum fecit, etiam loca multa egregie interpretatus Amst. 1684. 8. quae editio repetita est cum praefatione *Io. Aug. Ernesti* de editionibus Plauti Lips. 1760. 8. additis excerptis ex eiusdem Gronovii Lectionibus Plautinis. Vide Gronovii Epist. ad Nic. Heinsium p. 493. 496. T. 3. Syll. Burm. Eiusdem Gronovii commentarius amplus in Plautum MS. cum *Io. Georgii Graevii* notis ineditis in Amphitruonem et partem Asinariae fuere in Bibliotheca Schalbruchiana p. 152. 157. de quo post dicetur. *Io. Frider. Gronovium* in Plauto, senariorum versuum rationem non satis habuisse perspectam, arguit Rich. Bentleius V. C. in emendationibus ad Menandri reliquias pag. 54.

Plauti textus etiam est in corpore Poëtarum Latinorum Genevae 1603. 1611. 4. Lugduni 1616. 4. et praestantissimo viro Michaële Maittaire curante Londini 1713. fol. edito, in Genev. etiam additis Variis Lectionibus.

In usum serenissimi Galliae Delphini Plautus editus est a *Iacobo Operario* Constantiensi Presbytero, et Domus de charitate S. Mariae Provisore Paris. 1679. 4. duobus Voluminibus, cum interpretatione sive paraphrasi et notis, omniumque *b*) Indice Vocabulorum, quod ne saepius monere necesse sit, semel annotasse sufficiat, ita adornatas esse omnes auctorum editiones, quas moderantibus Carolo Sanctamauraeo Montauserii Duce, Iacobo Benigno Bossueto Episcopo Condomensi atque in-

 de

b) Multi reprehenderunt, quod in Indicibus hisce laboriosis sane ac perutilibus nulla tamen phrasium ratio habita est, neque acceptionis variae vocabulorum, ut laudatissimo studio factum est in Indicibus Matthiae Berneggeri, Io. Freisheimi etc. sed haec simplicia et nuda modo exhibentur, atque parum utilis sive superstitiosa potius diligentia iactatur in eiusmodi qualia nemo sanus requisierit, uti sunt *et*, *est*, *qui* etc. Praeterea quod librariorum vitio numeri interdum perperam positi, vocabulaque omissa, ut in Plauto ipso annotavit Thom. Crenius T. V. animadvers. p. 197.

de Meldensi, et Petro Daniele Huetio, doctrinae et ingenii laude illustrissimo, in Delphini usum Galli vulgarunt. *Iacobus Operarius c)* testatur se usum fuisse ineditis notis *Iacobi Corbinelli* Florentini, ad oras editionis Plauti a Sambuco factae, manu auctoris adscriptis. Amphitruo, Captivi, Epidicus et Rudens cum Iacobi Operarii notis recusus, *Samuele Patrick* curante, Lond. 1723. forma maiore octava.

Editionem Plauti nitidam atque emendatam doctissimis fratribus *Ioanni Antonio* atque *Hieronymo Vulpiis* debent studiosi, vulgatam Patavii 1725. 8. cum utili indice rariorum dictionum dilucide explicatarum. Acta Erud. 1730. p. 427. Giornale de' letterati d'Italia T. 37. p. 475. New Memoirs T. V. p. 154.

Prodiit etiam Plautus ex *Francisci Guieti* Critici severissimi recognitione, addita Gallica translatione prosaria *Michaelis Marolesii* Paris. 1658. 8. Ab eo tempore *Anna T. Fabri* filia quasdam Plauti Comoedias, Amphitruonem puta, Rudentem, atque Epidicum nova veste eleganti Gallica induit, notisque et dramatum ad leges theatri examine illustravit, Paris. 1683. et Amsterd. 1691. 12. tribus Voluminibus. Haec Plautum Terentio ita notat praestare ingenio et inventione atque apparatu, ut Terentius vincit arte et dictionis elegantia.

Ianus Hautenus versionem *Belgicam* aliquot Plautinarum Comoediarum edidit, in quam hendecasyllabos Iusti Lipsii habes in eius poëmatis num. 17. *Anglice* versi Amphitruo, Epidicus, Rudens, cum notis criticis prodiere Lond. 1694. 8.

Novissime binas metaphrases amoenas Plauti nacti sumus sermone Gallico prosario, alteram *H. P. Limierii*, pluribus aliis scriptis et Ludovici XIV. Galliarum Regis, historia clari, qui Captivos ex Costei, Amphitruonem

c) Giornale de' letterati di Roma, A. 1679. p. 39.

nem, Epidicum et Rudentem ex Daceriae interpretatione servavit, notasque adiunxit: Stichum vero et Trinummum totidem versibus Gallicis reddidit. Haec versio Latinis Plauti ex adverso positis lucem vidit Amstelodami 1718. 12. decem Voluminibus. Alteram debemus Benedictino monacho *Gueudevillio*, A. 1719. defuncto, cuius versionem Moriae Colloquiorumque Erasmi, librum *l'Esprit des Cours*, et dissertationes Atlanti Historico Gallice edito insertas, aliaque ingenii monumenta habemus. Huius Plautus circa idem tempus sumptu Petri Vander Aa prodiit Leovardiae octo Voluminibus, in quo et dramata, quae Costeus et Daceria verterant, ex nova Gueudevillii interpretatione comparent, et notae singulis Comoediis ab interprete sunt adiunctae. Qui utramque versionem inter se et cum Latino Plauto conferent, *d*) fatebuntur illam Limierii adstrictiore ac modestiore toga, hanc Gueudevillii fluxa magis magisque Comica veste incedere. In utraque nonnulla notant Acta Eruditor. A. 1719. pag. 329.

IX. Praeterea Plauti Comoediis lucem attulere *Iustus Lipsius e*) in antiquarum Lectionum libris quinque, usus quatuor Codd. MSS. *Hermannus Buschius* in decimationibus Plautinis: *Ianus Mellerius Palmerius* in

 spici-

d) Journal Historique, Amsterd. 1719. Ian. p. 19. *il semble que Mr. Limiers s'attache d'avantage à son original, & qu'il en fait mieux sentir le veritable caractere: & que le Sr. Gueudeville est plus badin, plus vif, plus bouffon.* Conf. Acta Erud. A. 1719. p. 335. Journal literaire Tom. IX. p. 485. Tom. XI. p. 137. seq. Histoire Critique de la Rep. des lettres Tom. XV. p. 396. Bibliotheque ancienne et moderne de Mr. le Clerc T. XI. pag. 220. Memoires litteraires de Trevoux 1720. pag. 806.

e) Is Lipsius cum Eloquentiam publice doceret in Academia Ienensi, his verbis solebat studiosae inventuti lectionem Plauti commendare, ut video a quodam eius auditore annotatum: *Diligenter legite Plautum, plus est doctrinae in Planto, quam in Terentio; nihil potest utilius legi post Ciceronem: hic est, qui proprietatem, qui puritatem suppeditat, qui urbanitatem, iocos, sales et eam Atticorum Venerem quam frustra in reliquo Latio quaeras.* Norint tamen studiosi, fugiendos esse in illo Comico non minus putidos quosdam et obscoenos sales, quam obsoleta verba, quae longe plura e deperditis quoque Plautinis Comoediis annotarunt Fulgentius Planciades, Nonius, Festus.

ſpicilegiis, Tom. V. facis Artium Gruterianae: *Ianus Guilielmus* in quaeſtionibus Plautinis Pariſ. 1583. 8. et iam dictae facis Artium Tomo III. *Ianus Douſa*, Pater, in Centurionatu ſive Plautinarum explanationum libris IV. Lugd. Bat. 1587. 12. Francof. 1602. 12. *Ianus Gruterus* in IX. libris ſuſpicionum, Witeberg. 1591. 8. *Caſpar Scioppius* in ſuſpectarum lectionum libris V. quibus amplius ducentis locis Plautus caſtigatur et illuſtratur, Norimb. 1597. 8. *Io. Meurſius* in Curis Plautinis, ſive parte priore Exercitationum Criticarum, Lugd. Bat. 1598. 8. *Valens Acidalius* in libris viginti divinationum et interpretationum Plautinarum, Francof. 1607. 8. et Tomo VI. facis Artium Gruterianae: *Franciſcus Diſſaldeus* in animadverſionibus ad Plautum, Salmur. 1611. 8. *Io. Philippi Parei* Lexicon Plautinum editum Hanoviae 1634. 8. Electa Plautina Neap. Nem. 1617. 4. Eiusdem Calligraphia Plautina, Commentarius de metris Plautinis, de imitatione Plauti Terentiana, de vita et ſcriptis Plauti diſſertatio, Analecta denique, ut animadverſiones, quas Clariſſimus vir Petrus Francius ineditas habuit, omittam. Electa perſtringuntur in libro, qui inſcribitur *Aſini Cumani fraterculus ex Plauti electis electus* per Euſtathium Swartium 1619. 8. Oppoſuit Pareus pro Plauto et electis Plautinis provocationem ad Senatum Criticum adverſus perſonatos quoſdam Pareomaſtigas. Francof. 1620. 8. Reineri Neuhuſii electa Plautina ac Terentiana prodierunt Amſtelod. 1646. 12.

Analectis Plautinis Parei Francof. 1623. 8. et in Tomo VII. facis Artium ſubiiciuntur *Io. Brantii* breves notae in Plautum, *Georgii Reiteri* cenſura in aliquot loca Plauti, et variae lectiones e tribus *Caroli Langii* Codicibus MSS. Videndus quoque in varia Plauti loca *Octavius Ferrarius* vir doctiſſimus lib. II. electorum cap. 27. ſeq. *Simonis Vlrici Piſtoris* animadverſiones in Plautum affectae, lucem opinor haud viderunt, laudatae et inſpectae Taubmanno. Idem dicendum de *Antonii Pa-*

normi-

sormitani. vide Mongitorium T. I. Bibliothecae Siculae, p. 57. *Andreae Alciati* Lexicon in Plautum cum *Ioannis Brunſmanni* in Lexicon Parei Plautinum ſupplementis MStum fuit in Bibl. Rooſtgaardiana pag. 461. Locos in quibus Ciceronem cum Terentio, Terentium cum Plauto comparat *Gaudentius Merula* in dialogo, petiit magnam partem e Camerarii commentario ad lib. I. Tuſculanarum diſpp. Ciceronis, ut notavit Antonius Maioragius in Apologia contra Merulam pag. 28. Loca Plauti quae *imitatus* videtur *Terentius*, ſingulis paginis ſingulari ſtudio annotata ſunt in editione nitida Terentii, quam adornavit *Martinus Hugenius* Amſt. 1710. 8.

Henrici Stephani diſſertatio de Plauti latinitate eiuſdem libello de latinitate falſo ſuſpecta ſubiicitur Pariſ. 1578. 8. *Franciſcus Floridus Sabinus* in diſſertatione adverſus calumniatores Plauti vulgata, Baſil. 1540. atque in editione Plauti Pareana, et *Benedictus Florettus* in Apologia pro Plauto, quam ex eius progymnaſmatis poëticis *f*) petitam ex Hetruſco Idiomate vertit latine Ianus Panelius Middelburgenſis, Philippus vero Pareus edidit, eam ſubiunxit commentario ſuo de particulis latinae linguae Francof. An. 1647. 12. Plautum extollunt contra iudicium *g*) Vulcatii Sedigiti Horatiique, probatum Danieli Heinſio in Diſſ. quae Terentii quibusdam editionibus praemitti ſolet. Tuetur etiam Plautum H. Stephanus adverſus Naugerium in diſſ. de Criticis p. 16. ſeq. et 27-34.

Georgii Caſſandri ſententiae ſelectiores ex Plautinis Comoediis, una cum ſcholiis in loca obſcuriora prodiere Gandavi 1536. 8. ut omittam *Georgii Fabricii* e Plauto et Terentio collectas ſententias, *Chriſtophori Vladeracci*

f) Haec progymnaſmata Italice edita Florentiae 1639. 4. quinque voluminibus, acceſſiones et 1661. 4.

g) Sedigitus apud Gellium XV. 24. Horatius in Arte Poët. v. 270. ſeq. Confer ſi placet G. Io. Voſſium II. 23. Inſtitut. Poët. et Franciſcum Vavaſſorem de ludrica dictione p. 160. ſeq.

vacci flores Plauti, *Bernhardi Heupoldi* Plautum redivivum, five fententias e Plauto excerptas, etc.

Non inutilis labor eloquentiae ftudiofis offertur in *Auguftini Gambarelli* libello quem infcripfit: Oppofita five Antitheta e Plauto, Terentio et Cicerone, Mediol. 1606.

Denique *Cafpar Sagittarius*, Anno 1671. 8. Altenburgi edidit diatribam de vita ac fcriptis Plauti, Terentii, ac Ciceronis, in qua memorat Laelii Patavini notas in Aulul ariam, Epidicum, Bacchides, Moftellariam et Pfeudolum, Lodevei Odeberti Eduenfis in Amphitruonem, Hafenmulleri in Aulul ariam etc.

Bafileae ex officina Hervagiana per Eufebium Epifcopium 1568. 8. prodiit Volumen hoc titulo: Eruditorum aliquot virorum de Comoedia et Comicis verfibus commentationes, itemque in Plautum annotationes et alia, quibus totus fere Plautus explicatur. In hoc continentur *Lilii Gyraldi* ex dialogis de poetis excerpta diatriba de Comoediae eiusque apparatu, p. 1. et *Iulii Caef. Scaligeri* de Comoediae origine, et de comicis verfibus, ex eius opere de Poëtica p. 32. *Andreae Alciati* de Plautinorum carminum ratione p. 71. et Lexicon breve vocum Plautinarum pag. 79. *Ioach. Camerarii* de Comicis verfibus pag. 126. et in Plauti Comoedias annotationes ab ipfo auctore correctae et auctae pag. 153. *Caroli Langii* Variae Lectiones ex tribus Codicibus Plauti MSS. pag. 301. *Adr. Turnebi* in Plautum obfervationes ex libris Adverfariorum p. 333. *Hadr. Iunii* pag. 336. *Caelii Secundi Curionis* Plautinae Lectiones pag. 340-343. et 355-364. Loci ex XLI. amiffis Comoediis citati p. 344. ex Comoediis quae exftant citati, qui in noftris Codicibus non reperiuntur p. 352. 355. Prodiere etiam *Io. Fr. Gronovii* Lectiones Plautinae, A. 1740. 8. quae funt excerptae ex eius Lectionibus, quas in Plautum habuerat in fcholis, iisque exceptis ab aliquo difcipulo eius.

Plauti

Plauti editionem adornare voluit *Iosephus Scaliger*, ut notatum Clariss. Almeloveenio in Bibliotheca promissa et latente p. 51. Notas quasdam Scaligeri MStas, quemadmodum et emendationes *Salmasii* servat Bibliotheca Publica Leidensis, in qua praeter Aulularium in membraneo Codice cum Variis Lect. ex Codice Pithoei, obvii etiam tres Codices membranacei Comoediarum octo, et alius in charta. Voluere etiam Plauti editionem curare *Muretus*, v. not. ad Terent. p. 178. b. *Gabriel Faernus*, et *Latinus Latinius*. v. Epistolas eius T. 2. p. 43. Forte etiam *Io. Passeratius*, cuius Comment. in Plautum memorant *Bailletus*, et *Labbaeus* in Bibl. MSS. nova p. 371. Comm. in Militem, Casinam et Mostellariam: itemque *Laevinus Torrentius*, cuius castigationes et notae, adscriptae margini exempli sui in Bibliotheca Gudii fuere. *Franc. Harius* Episcopus Asaphensis editionem Plauti promisit in ed. Terentii. *Antonius* etiam *Clementius*, Plautum recensere instituit, ut disces ex Epist. IX. Merici Casauboni A. 1657. ad eum scripta.

Ex Bibliotheca V. C. Marquardi Gudii accepi editionem Plauti Dousianam, et alteram Seb. Gryphii A. 1549. 12. utramque innumeris locis Iosiae Merceri et alterius viri docti manu castigatam e MSS. Codd. et variis observationibus. Plauti Codex insignis membranaceus, qui olim fuit Hieronymi Suritae, Caesaraugustani, postea pervenit ad Illustrem Frid. Adolphum Hansem ab Ehrencron. Vide Catalogum eius Bibliothecae p. 420.

Subactius iudicium iam requirit lectio Plautina, ut mirandum sit, in tractatione scriptorum Latinorum adolescentibus commendanda Plautum Terentio praelatum esse a Scioppio in Epistola de compendiosa Linguae Latinae exactius cognoscendae ratione, quae eius lucubrationis de arte Critica praemittitur. Confer Morhofium III. 4. polyhist. pag. 623. seq. Ceteroqui norunt omnes, proprietatis et leporis linguae Latinae Magistrum Plautum esse utique egregium.

Plenus

Plenus ingeniosis dictis ac facetiis est hic Comicus iocisque, non de illis pertractatis iam loquor, sed de amoenis et honesto homine haud indignis. Itaque illustrissimus Cardinalis *Henr. Norisius* Iohannem Harduinum et Franciscum Macedonem cum ab illis impetitus fuisset, et insultus utriusque Plautinis ferme sententiis vel repressit vel elusit. Vide Norisii paraenesin ad Harduinum, et Annibalis Corradini Veronensis (quo sub nomine idem Norisius latet) Thrasonem seu militem Macedonicum Plautino sale perfrictum, Amst. 1709. 8.

Non contemnendam quoque pulchrarum sententiarum, et prudentium monitorum Plautus suppeditat copiam, ex quibus unum hoc loco adscribam ex Persa Act. IV. Scen. 4.

Satin' Athenae tibi visae fortunatae atque opiparae?
Si incolae bene sunt morati, pulchre munitas arbitror,
Perfidia et peculatus ex urbe et avaritia si exulant,
Quarta invidia, quinta ambitio, sexta obtrectatio,
Septimum periurium, octava indiligentia,
Nona, iniuria: decimum quod pessimum aggressu scelus.
Haec nisi inde aberunt, centuplex murus rebus servandis parum est.

Hermann Buschii Pasiphili decimationum Plautinarum pemtades sive pentades Paris. 1521. 4. editae et Coloniae apud Io. Gymnicum recusae flosculos sententiarum e Plauto excerptos cum scholiis in tironum usus continent. Et Robertus Stephanus A. 1536. 8. edidit festivum delectum sententiarum et proverbiorum ex Plauto, Terentio, Virgilio, Ovidio, Horatio, Iuvenale, Persio, Lucano, Seneca, Lucretio, Martiale, Silio Italico, Statio, Valerio Flacco, Catullo, Propertio, Tibullo et Claudiano, cum indice sententiarum et Proverbiorum. Spectat huc etiam sapientia scenae Romanae, cum notis edita a V. C. Christoph. Augusto Heu-

Heumanno, Isenaci 1716. 12. Vide Acta Erudit. illius anni pag. 325. Georgii Fabricii sententiarum e Plauto et Terentio decerptarum libri duo prodiere Lipsiae 1558. 8.

X. Ioannes Philippus Pareus editioni suae Plauti, quam Neapoli Nemetum prodiisse dixi An. 1619. 4. subiecit antiquam Comoediam, *h*) quae inscribitur *Querolus sive Aulularia*, diversa ab Aulularia, quae inter Plautinas est. Haec primum in lucem prolata est a *Petro Daniele* Paris. 1564. 8. apud Rob. Stephanum: hinc prodiit cum notis eiusdem Danielis, *Conradi Reittershusii* et *Iani Gruteri*, adiecta eiusdem argumenti Aularia, quam elegis pridem descripsit Gallus quidam Blesensis, *Vitalis* nomine, sub initia saeculi XIV. a Christo nato clarus, Heidelbergae apud Commelin. 1595. 8. Etsi vero Querolus illa in MSto antiquissimo Palatino ad Plautum refertur, sub Plauti quoque nomine allegatur a Servio in III. Aeneid. p. 279. edit. P. Danielis, Io. Sarisberiensi II. 2. Policratici, et Luitprando de rebus per Europam gestis I. 3. unde Plauto alicui iuniori tribuitur à Casp. Barthio XLIV. 13. 14. Adversariorum: M. Accii Plauti certe minime est, quoniam auctor ipse in prologo hanc fabulam *investigatam Plauti per vestigia* profitetur, et pag. 34. locum profert e Ciceronis Oratione pro Sex. Roscio Amerino. Quemcunque vero parentem agnoscit, exploratum videtur vel e Servii testimonio, Imp. Theodosii saltem iunioris tempora sive antecedere, sive aequare. Quamobrem *Rutilium*, cui hoc drama Auctor inscripsit, viri docti *i*) haud putant diversum esse a Claudio Rutilio scriptore Itinerarii, de quo infra suo loco. Non me fugit quidem a Pareo et aliis aucto-

h) Scripta est sermone Poëtico, non tamen accurata certaque pedum ratione observata, unde *clodo pede incedere* se affirmat in prologo, ad quem vide sis notas Petri Danielis. Recte igitur *drama prosaicum* vocat G. I. Vossius cap. 2. de natura Poëtices, et *fabulam prosam* Thom. Reinesius p. 175. Epist. ad Bosium.

i) Vide Vossium de Poëtis latinis pag. 59. et Paulum Colomesium ad dialogos Gyraldi de Poëtis pag. 431.

auctorem huius Queroli existimari *Gildam Badonicum*, qui post medium saeculi a Christo nato sexti floruit: Ita sane et Io. Fridericus Gronovius IV. 18. de sestertiis, scriptorem huius dramatis appellans *Gildam*, *Anacharsin Britanniae:* sed, vereor, ne ansam huic sententiae parum verisimili dederit toto coelo diversa ab hoc dramate Epistola Gildae Sapientis de excidio Britanniae *k*) et Castigatio Ordinis Ecclesiastici, quae *liber Querolus* inscribitur in Codd. MSS. editus primum a Polydoro Virgilio Lond. 1526. 8. Vide Mich. Maittaire T. 2. annal. typographicor. pag. 680. *Queroli* Plauti tributi auctorem non esse *Gildam*, ipse deinde Pareus a Reinesio monitus agnovit. Vide Reinesii Epist. XXXIX. ad Bosium p. 175. Gildae liber de excidio Britanniae occurrit etiam in Tomo VIII. Bibliothecae Patrum edit. Lugdunens. p. 707. De illo libro adi, si placet, Iac. Vsserii Antiquitates Ecclesiarum Britannicarum cap. XIV. et de Gilda Taubmannum ad Plautum p. 1498. Cavei Hist. literar. Script. Eccles. ad A. 581. et Acta Sanctorum Tom. 2. Ianuar. pag. 952. seq.

XI. Iosias Simlerus in Bibl. affirmat, Achillem Statium habuisse Comoediam Plauti ineditam *Philodoxium*. Sed non magis Plauti est hoc drama, quam alterius Comici veteris *Lepidi*, sub cuius nomine illud Lucae Anno 1588. edidit Aldus Manutius Pauli F. Vide, si placet, dicta inferius, in recensione fragmentorum veterum Comicorum latinorum. In margarita poëtica *Alberti ab Eyb*, cuius supra mentio facta, post excerptas e Plauto sententias parte 2. tractatu 1. c. 15. seqq. exhibentur sententiae ex tribus, quas vocat, extraordinariis Comoediis, *Philodoxio* Caroli Aretini, *falso hypocrita et tristi* Mercurii Roncii, Vercellensis, et *Philogenia* Vgolini Parmensis.

CAPVT

k) Meminit Alcuinus Epistola XXVIII. pag. 1535. Opp. *Legitur in libro Gildi, Brittonum sapientissimi.*

CAPVT II.

DE

M. PORCIO CATONE.

I. *M. Catonis maioris aetas.* II. *Liber de agricultura.* III. *Editiones.* IV. *Oratio pro Lege Oppia, apud Livium.* V. *Suppositia Catonis ab Annio edita.* VI. *Disticha moralia alterius scriptoris. Valerii Catonis dirae. ibid. Catonis maioris dictio.* VII. *Scripta deperdita.* VIII. *De M. Catone filio Praetore.* IX. *De Catone nepote.* X. *De Pronepote, Catone minore, Vticensi.* XI. *Index Scriptorum in Auctoribus de re Rustica laudatorum.*

I. M. *Porcius Cato*, antea *Priscus* appellatus, etiam *Maior* vulgo audit ob pronepotem Catonem minorem Vticensem. Ortus municipio Tusculo, non minus *a*) egregii Imperatoris Consulisque ac Censoris, (unde *Censorius* quoque passim dicitur) quam ICti, Oratoris, *b*) conditoris Historiarum ac Philosophi nomen promeruit. Cum bello Punico secundo ab anno usque septimo

a) Livius XXXIX. 4. Plin. VII. 27. et XXIX. 1. Hist. Cicero Bruto cap. 15. etc. Nepos et Plutarchus Catone Maiore pag. 336. seq. E recentioribus Ioan. Glandorpius in Onomastico Romano pag. 714. seq. ubi de gente Porcia e Gellii XIII.19. et aliis scriptoribus: Andr. Schottus ad Victorem de viris illustribus c. 47. Caspar. Sagittarius de vita et scriptis Catonis, Ennii, Pacuvii etc. Altenburg. 1672. 8. (quo in libro pag. 75. tabellam Genealogicam Catonum exhibet.) Martinus Hanckius (in Sagittarii libro p. 106. per typographi errorem Hanserus) Vir Cl. libro utroque de Romanarum rerum scriptoribus, ac Petrus Baelius dictionario Historico Critico edit. secundae in *Porcius*. Dissertatio scriptoris Galli (Mr. Rouet) de duobus Catonibus Censore et Vticensi, de quo Hist. des ouvrages des Savans A. 1708. pag. 102. Imaginem Catonis Censorii post Bellorium et alios exhibet Iacobi Gronovii Viri Cl. Thesaurus Antiquitatum Graec. Tomo III. Diversus a Catonibus quos Glandorpius et Sagittarius recensent, fuit Cato Sinopensis, cuius de Hieronymi Syracusani Tyrannide librum allegat Athenaeus libro VI.

b) M. Catonem hunc, propter eloquentiam, cognomento *Demosthenem* appellatum esse testatur Diodorus Sic. pag. 382. excerpt. Peiresc.

ſeptimo decimo aetatis non infeliciter pugnaſſet, deque Hiſpania triumphum, et multa in Rep. praeclare egiſſet, haud dubitavit magno iam natu *c*) Graecas litteras in Sardinia ab Ennio addiſcere, nec pauca latine ſcripſit, obiitque tertio bello Punico, quod ipſe ſuaſerat, ineunte, Anno V. C. 604. L. Cenſorino et Manilio Coſſ. ante Chriſtum natum 149. aetatis 85. ſi Ciceronis quidem *d*) et Plinii calculum ſequimur: nam Livius XXXIX. 40. eum teſtatur anno 86. adhuc cauſſas egiſſe, et anno 90. Servium Galbam ad populi iudicium adduxiſſe; quod narrat etiam Plutarchus in vita p. 344. ſeq. Confer, ſi iuvat, Valerium Max. VIII. 7. 1.

II. Iam tum Ciceronis *e*) aetate nullum fere exſtabat ſcriptum latinum, quod eſſet dignum lectione, ſcriptis Catonis antiquius. Cum vero plurima, ut dixi, ſcripſerit, unus hodie illius ſupereſt *de agricultura*, ſive *de rebus ruſticis* ad filium *liber*, cuius meminit praeter Varronem ac Columellam, Gelliumque Plutarchus p. 351. *συνέτακταί γε βιβλίον γεωργικὸν, ἐν ᾧ καὶ περὶ πλακέντων σκευασίας* (cap. 76.) *καὶ τηρήσεως ὀπώρας* (cap. 25. et 101.) *γέγραφεν, ἐν παντὶ φιλοτιμούμενος περιττὸς εἶναι καὶ ἴδιος.* Plinius XIV. 4. *Catonum ille primus triumpho et cenſura ſupra cetera inſignis, magis tamen etiamnum claritate litterarum, praeceptiſque omnium rerum expetendarum datis generi Romano, inter prima vero agrum colendi, illius aevi confeſſione optimus ac ſine aemulo agricola.* Servius ad 2. Georgic. *Hoc etiam Cato ait in libris ad filium de agricultura*, etc. Ab *Catone ornata litterarum latinarum monimenta* ſcribit Valerius Maximus III. 4. 6. et apud Ciceronem de ſenectute c. 15. Cato ipſe loquens *dixi*, inquit, *in eo libro quem de rebus ruſticis ſcripſi, de qua* (utilitate ſtercorandi) *doctus Heſiodus ne verbum quidem fecit, cum de cultura agri ſcribe-*

c) Aurelius Victor c. 47. Cicero Catone Maiore c. 1. et 2. et in Lucullo c. 2. Quintilian. XII. 11.

d) Cicero Bruto c. 20. Plinius XXIX. 1.

e) Cicero Bruto c. 18.

scriberet. Plinius XVI. 39. *Cato hominum summus in omni usu, de materiis haec adiicit.* Producit deinde verba ex libro de re rustica cap. 31. Inscriptiones Capitum non esse ab ipso auctore, recte videtur annotasse Ioannes Meursius, licet exstent in editione antiqua, quae prodiit Regii a. 1482. fol. tum in altera ibid. a. 1499. fol. At in aliis quibusdam desunt, ut in Basileensi Anno 1521. quam optimae notae esse, idem Meursius iudicat, et in Coloniensi apud Io. Gymnicum 1536. 8. et in Lugdunensi apud Seb. Gryphium 1536. 8. V. et Pontederae not. ad c. 1.

III. Catalogum longum editionum Catonis et aliorum rusticorum exhibet Gesnerus in capite editionis suae: in quo prima Iensoni non comparet. Editio princeps Georgii Merulae Alexandrini auspiciis excusa Venetiis per Nicolaum Ienson anno 1470. fol. repetita a. 1472. Altera anno 1482. prodiit Regii per Bartholomaeum Bottonum, alias Bruschium, Regiensem, fol. In ea legas hoc octastichon:

Priscorum quicunque studet monumenta doceri,
Terrarum et cultus, arma Deosque simul,
Hos legat antiquos Varronem, cumque Catonis
Scripta, Columellam, Palladiumque legat.
Rura canunt, rurisque Deos: his vita magistris
Desuevit querna pellere glande famem.
Impressit Regii nuper volumina quorum
Optime Bottonus nomine Bartholomeus.

Binos ultimos versus aliis exprimere litteris non dubitavi, quoniam ab alio illos artis poëticae rudi adiectos, prioribusque haud inelegantibus parum lepide subtextos patet. Ea repetita est Venetiis 1496. Regii eod. a. et 1498. 1499. fol. itemque Bonon. 1494. 1496. et 1504. fol. Sequitur novi nec optimi generis editio Aldina 1513. repetita 1514. 4. 1533. Florentina apud Phil. Iuntam 1515. 4. Parisienses apud Ascens. 1513. 1520. et ap. Parisium 1533. f. sunt repetitiones Aldinae, cuius textus basis ceterarum factus est, usque ad P. Victorium. Hervagiana 1535. 4.

Coloniensis apud Io. Gymnicum 1536. 8. Lugdunenses Gryphianae 1535. 1541. 1548. 1549. 8. Cato ad calcem Varronis de agricultura, Basil. 1521. 8. Sospitator huius libri fuit P. *Victorius*, sicut ceterorum rusticorum, e cuius recensione quando primum prodierit, ne a Gesnero quidem repertum est: qui eius castigationes primum se reperisse ait in edit. Gryph. 1541. Sed ex eiusdem recensione etiam prodiit Paris. 1543. 8. ap. Rob. Stephanum: quae edit. repetita est Lugd. 1548. 1549. 8. Iterum prodiit Heidelb. ap. Commel. anno 1591. 8. cum *Sylburgii* Indicibus et 1595.

Novam Catonis et Rusticorum omnium editionem moliti sunt *Ios. Wasse*, *Io. Conr. Schwarzius*, *Christ. Schoettgenius*, absolvit et in lucem misit *Io. Matth. Gesnerus* Lips. 1735. 4. T. II. quibus accessit *Vegetius* de Mulo-Medicina, et *Gargilii Martialis* fragmentum. Textus cum MSS. pluribus et edd. prope omnibus collatus est, adiectaeque notae vir. doct. editae atque ineditae, denique Lexicon egregium rei rusticae et latinitatis Rusticorum Scriptorum. In illis notis sunt et nondum editae ante, *Schoettgenii*, et *Pontederae* ad Gesnerum missae ab ipso; denique et ipsius Gesneri, qui et suis notis et Lexico illo egregie de Rusticis meritus est. De *Gargilio* illo v. Bibl. Med. aevi, et Diss. *Schoettgenii* ad Calcem huius ed. De αὐθεντίᾳ huius fragm. dubitatum est: Pontedera autem in Antiq. Gr. et latin. enarrationibus et emendationibus pag. 466. spurium et barbarum hoc fragmentum iudicat et disputat. Ad calcem sunt *Auson. Popmae* liber de Instrumento Fundi et *Ioann. Baptist. Morgagni* Epistolae ad Auctores Rei Rusticae. Haec editio reprehensiones experta est *Iul. Pontederae* in libro ante memorato, inpr. epist. XLIII. quibus respondit G. in praefatione ad Lucianum, item alius Viri docti in Obs. Misc. Dorvillianis T. VII. p. 274-286. cui respondit in praef. ed. Plin. Epp.

Catonis librum separatim recensuit illustravitque *Ausonius Popma* anno 1590. 8. apud Plantinum. Post Popmam

mam *Io. Meursius*, *f*) qui centum amplius locis auctum ex Basileensi maxime et Commeliniana editione correctumque se dare profitetur, Lugd. Bat. 1598. 8. et Franequerae 1620. 8. In his editionibus praeter Popmae Meursiique notas occurrunt *Fragmenta ex deperditis Catonis scriptis* (post *Antonii Riccoboni* industriam ad calcem libri de Historia Venet. 1568. et Basil. 1579. 8 et Francof. 1628. fol. ad calcem T. Livii) diligentius collecta ab Ausonio Popma, et brevibus notis illustrata.

IV. *Oratio* Catonis *pro lege Oppia* adversus L. Valerium Tribunum, cum Valerii responsione legitur apud Livium XXXIV. 2. seq. ingenio Livii apte ad rem et personam Catonis expressa.

V. Caetera quae, tanquam ex Originibus Catonis petita *de Antiquis Italiae populis* fragmenta, una cum aliis scriptis nullius fidei vulgavit commentariisque illustravit *Ioannes Annius* Viterbiensis, Romae Anno 1498. fol. frequenter et variis locis ab eo tempore recusa, tanquam spuria, quamquam laciniis quibusdam, quas e Catone Plinius et alii proferunt, adtextis, praesenti loco omitto. Ita *disticha moralia*, quae sub *Dionysii Catonis* nomine circumferuntur, nemo ignorat ad Catonem, de quo loquimur in praesenti, neutiquam pertinere; non certe magis quam *Valerii Catonis diras*, de quibus singulis infra dicetur loco suo.

VI. Vt ad Catonem Censorium noster redeat sermo, orationis eius formam ita describit Cicero in Bruto c. 17. *Antiquior est huius sermo, et quaedam horridiora verba: ita enim tum loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros, et aptior sit oratio, ipsa verba compone et quasi coagmenta, quod ne Graeci quidem veteres factitaverunt: iam neminem antepones Catoni.* Plutarchus in Catonis vita pag. 339. ἔυχαρις ἅμα καὶ δεινὸς,

f) Meursii editio libri Catonis non nova est, sed eadem cum illa Popmae, nisi quod nova libro frons, novusque titulus praefixus, Meursiique praefatio, et notae accesserunt.

νὸς, ἡδὺς καὶ καταπληκτικὸς, φιλοσκώμμων καὶ αὐστηρὸς, ἀποφθεγματικὸς καὶ ἀγωνιστικός. *Lepidus simul et gravis, iucundus et fulminans, facetus et austerus, sententiosus et acris.* Hoc exemplis deinceps quibusdam confirmat, et nonnulla ipsius acute dicta refert Plutarchus.

VII. *Scripta* Catonis *deperdita* haec apud Veteres commemorantur:

Originum sive Historiarum g) Annaliumve Pop. Romani *libri VII.* quibus eum ultimam manum paucis ante mortem diebus vel mensibus imposuisse, e Cicerone constat. Certe senex demum illos scribere instituit, teste Nepote cap. 3. ubi singulorum librorum argumenta. Apud Livium quidem XXXIV. 5. L. Valerius tribunus Catoni vix duodequadraginta annos nato Origines ipsius obiicit. Sed videtur Livius eo in loco, ut saepius alibi, tribuere ex ingenio suo orationem L. Valerio, quam ille aliter aliamque dixerat; ut multis iam eruditis observatum Vossio, Baelio, atque Henrico Norisio Cenotaph. Pisan. diss. 1. c. 1. p. 4. Laudes suas in hoc opere minime praeteriisse Catonem, docet Plutarchus in vita p. 344. Ipse Cato manu sua descriptum maioribus litteris legendum filio suo proposuit, ut domestica exempla virtutis ediscceret. Id. p. 348. Laudat hoc Opus Cicero Bruto cap. XVII. Illustraverat olim *Statilius Maximus*, ut e Charisio colligitur. Fragmenta harum Originum e Grammaticis et aliis collecta reperiuntur inter Fragmenta Historicorum veterum, separatim et ad Calcem Sallustii Cortiani etc. edita.

De re militari liber laudatus post alios Ioanni Sarisberiensi VI. 19. Policratici. Vide de hoc Catonis scripto Stewe-

g) *Historias* vocat praeter Nepotem Charisius lib. 2. Sed *Annales* Epitoma Livii lib. XLIX. *Origines* non satis plenus titulus visus Festo in *Orig*. Adi Vossium lib. I. de Historicis latinis cap. V. Fragmenta e Catonis Originum libris collegere Antonius Riccobonus ad calcem libri de Historia, et Ausonius Popma in fragmentis Catonis de quibus ante dixi, et in fragmentis Historicorum de quibus infra in Sallustio.

Stewechium ad Vegetii lib. 1. cap. 8. qui tamen fallitur, cum plures libros huius argumenti a Catone scriptos putat, et Orationes confundit cum libris; etsi et hi et illae Graecis sunt λόγοι, et Gellius quoque Orationem Catonis de falsis pugnis librum appellat X. 3. et librum contra Tiberium Sempronium Longum exsulem II. 14.

Libri quaestionum Epistolicarum, Gellius VII. 10.

Epistolae. Plinius, Festus, Priscianus etc.

De Oratore, ad filium. Diomedes lib. I. pag. 358. Quintilianus III. 1. *Romanorum primus, quantum ego quidem sciam, condidit aliqua in hac materia M. Cato ille Censorius.*

Orationes variae (centum et quinquaginta legisse se testatur Cicero in Bruto cap. XVII.) quas ab adolescentia, ut est apud Nepotem, confecit, laudatae Ciceroni, Varroni, Livio, Plutarcho in Vita Flaminii p. 379. Gellio, Festo, Charisio, Nonio, Prisciano et aliis. Quasdam ex his provectiore aetate scriptas habitasque, Originibus suis etiam incluserat, ut viri docti colligunt ex Epitoma libri XLIX. Liviani, atque e Livio ipso XLV. 25. et Cicerone in Bruto. Quamplurimos accusavit, pro se ipse causam undequinquagies dixit. Caeterum Athenienses cum non Graece sed per interpretem allocutus esset, mirati sunt illi, quod interpres breviloquentiam eius vix pluribus verbis assequi valuisset, ut refert Plutarchus p. 343. seq.

De liberis educandis. Macrobius III. 6.

Carmen de moribus, liber non versibus scriptus, sed prosa. Carmen enim antiquis dicebantur praecepta, leges, preces, dirae, et formulae quaevis solennes, licet minime versibus scriptae essent, ut demonstravi lib. I. Bibliothecae Graecae cap. IX. sect. 14. Vide Gellium IX. 2. et Nonium in *eligantes*.

Commentarius, quo medetur filio, servis, familiaribus. Plinius XXIX. 1. Plutarchus in Vita p. 350.

Apophthegmata a sene Catone collecta. Cicero I. Offic. c. 29. Plutarch. p. 337.

VIII. Filius Catonis nostri M. Cato, Praetor, ante Patrem *h*) denatus, scripserat *de Iuris disciplina* libros, sive *Commentarios Iuris Civilis*, quorum decimus quintus laudatur a Paulo ICto, in leg. 4. D. de Verbor. obligat. Meminit et Gellius XIII. 19. et Festus in *Mundus*. Confer, si placet, Iac. Oiselii notas ad laudatum Gellii locum. Hosce Commentarios inter Catonis Censorii scripta perperam retulere viri doctissimi, Popma et Riccobonus.

IX. M. Cato nepos, qui anno V. C. 638. Consul fuit, scripsit et ipse *Orationes*, quae a veteribus allegantur, et cum Orationibus proavi subinde confunduntur. Cato nepos de actionibus ad populum, ne lex sua abrogetur, Priscian. III. p. 602.

X. De *Caesaris Anti-Catonibus*, qui oppositi erant laudibus Catonis, vulgo dicti *i*) minoris, Vticensis, quem Censorii pronepotem *k*) Cicero helluonem librorum appellat, ac singulari scripto laudibus in coelum extulerat, dico infra in Caesare, ubi etiam de Bruto, qui Caesari, ac de Augusto, qui Bruto respondit. Scripserat et Catonem M. Fabius Gallus, quem mitti sibi postulat Cicero libro VII. Epistola 24. ad Gallum. Scipionis librum probris in Catonem refertum memorat Plutarchus in Catone minore, p. 787. Nimis, ut solet, audacter eruditissimus Bentleius ex Horatii lib. I. Oda 12. tollit, repugnantibus omnibus libris, *an Catonis nobile letum*, et pro eo reponit *anne Curti*. De eodem Catone nepote accipiendus Virgilius VIII. Aeneid. 670. *secretosque pios, his dantem iura Catonem*. Adi si placet disserta-

h) Livii Epitome lib. XLVIII. *M. Porcius Cato filii in Praetura mortui funus tenuissimo ut valuit, nam pauper erat, sumtu fecit.* De virtute eius vide sis Iustinum XXXIII. 2.

i) Vitam eius scripsit Plutarchus p. 759. seq.

k) Vide tabellam Catonum genealogicam in Christiani Falsteri amoenitatibus philolog. pag. 291. partis III.

sertationem insertam Diario Basnagii Bellovallii (Histoire des ouvrages des Savans) a. 1708. p. 102. Idem Vticensis Cato materiam praebuit Tragoediis duabus insignibus, quas libenter spectavit Anglia, Galliaqae. Anglicae auctorem, Londini primum editae, et deinde Hagae 1713. 12. recusae, atque ex Italica metaphrasi ab *Antonio Maria Salvini* Florent. 1725. 4. Germanice a *Io. Christoph. Gotschedio* Lips. 1732. 8. et Germanica prosa ab eius uxore, constat fuisse Iosephum *Addisonium*, praestanti virum ingenio, qui extinctus *l*) a. 1719. 17. Iun. At Gallicam composuit Mr. Deschamps Paris. 1715. 12. de qua consulendae ephemerides eruditorum Paris. 1715. Septembr. pag. 273. seq. et Hagenses (Journal literaire) Tom. VI. pag. 510. ubi mentio editionis, quae Hagae repetita est cum addita comparatione Catonis Gallici Anglicique. De Addisonii Anglici Catonis Italica Metaphrasi vide Diarium Venetum, Giornale de' letterati d'Italia Tom. XXII. p. 443. seq.

XI. INDEX SCRIPTORVM IN AVCTORIBVS LATINIS DE RE RVSTICA LAVDATORVM,

ad paginas editionis Commelinianae.

Cato pag. 1. Varro pag. 53. Columella pag. 157. et Palladius pag. 513. incipit.

l) Vide Addisonii elogium in Bibliotheca Anglica Gallice edita Tom. VI. p. 213. seq.

Dio



CAPVT III.

DE

P. TERENTIO.

I. *Terentii aetas.* II. *Sex Comoediae quando actae singulae, et ex quibus Graecis dramatis expressae.* III. *De Donati et Eugraphii editis aliorumque deperditis veterum in Terentium Commentariis.* IV. *Codices Terentii celebriores MSti, atque de Calliopio qui Terentium recensuit.* V. *Terentii editiones.* VI. *Alii Terentii.* VII. *Index Scriptorum in Donati et Eugraphii Commentariis citatorum.*

I. P. *Terentius*, Afer, natus Carthagine anno conditae urbis Romae 562. ante Ch. natum 592. decem annis post finem belli secundi Punici. Romam venit servus, sed a Terentio Lucano Senatore ob ingenii ac formae elegantiam maturae manumissus, amacitia virorum nobilissimorum, P. Corn. Scipionis Africani et C. Laelii Sapientis usus est, ita ut etiam ab his adiuvari *a*) in

a) Cicero VII. ad Attic. Quintil. X. 1. Donatus ad prolog. Adelph. et in Terentii Vita, quam nonnulli Codices auctori tribuunt Svetonio.

in componendis fabulis diceretur, quemadmodum etiam a Furio Publio, C. Sulpicio Gallo, Q. Fabio Labeone et M. Popilio. Obiit (auctore Eusebio) in Arcadia, anno V. C. si Marianum Scotum sequimur, 599. ante Ch. natum 155. aetatis 37. sex annis ante coeptum bellum Punicum tertium, cum itinere in Asiam suscepto naufragium fecisset, atque in illo CVIII. fabulas *b*) e Menandro versas perdidisset. Epitaphium recentius, ut videtur, extat in Musis lapidariis Io. Bapt. Ferreti III. 22. p. 186. Obtrectatorem habuit L. Lavinium, cuius meminit S. Hieronymus I. in Rufinum: Luscium Lanuinum vocant Eugraphii Codices, ad Eunuchum p. 526. Ab Ovidio 2. Trist. 359. negatur esse *conviva*, hoc est, parasitus, licet iuvenum convivia et parasitorum illa captantium mores tam venuste describat: *c*) Non itaque ibi eo nomine intelligit hominem, qui non illubenter, nec iniucundus hospes interest honestis epulis et conviviis, *un bon vivant*, ut viro docto visum ad Petronium pag. 133. Engelbertus Abbas libro de ortu et fine Romani Imperii cap. XVI. (Tom. 25. Bibl. Patrum edit. Lugd. p. 370.) *Terentius poëta devicta Carthagine captus et ductus Romam, cum interrogaretur in Senatu, quae fuisset maior caussa expugnationis Carthaginensis, utrum vires Romanorum vel impotentia Carthaginensium? respondit, quod neutrum: sed quod sicut concordia civium conservabat statum, ita discordia caussabat excidium Carthaginensium.* Confundit, perinde ut Orosius IV. 19. Terentium Comicum cum Q. Terentio Culleone Senatore, quem Scipio, devicta Carthagine, assertum e vinculis Romam adduxit, de quo Livius XXX. 45. et Themistius Oratione XIII. p. 179. S. Hieronymus prologo quaestionum Hebr. *Vrgebat Terentium Lucius Lavinius nostro Luscio similis, et quasi publici aerarii, poëtam*

b) Volcatius Sedigitus apud Donatum. Ausonius in Gripho Senarii Epist. XVIII. *Protulit in scenam quot dramata fabellarum, Arcadiae medio qui iacet in gremio.*

c) Graevius Epist. ad Nic. Heinsium, T. IV. Sylloges Burmannianae p. 634.

poëtam furem criminabatur. Ille Hieronymi Lucius ſive Luſcius, haud diverſus a Rufino, ut colligas ex his eiuſdem Hieronymi lib. 1. in Rufin. p. 383. *Sin autem contra invidos loquor, et Luſcium Lavinium vel Aſinium Pollionem de genere Corneliorum, ſtili mei mucro convulnerat: ſi hiſtriculae et lividae mentis hominem a me ſubmoveo, et ad unum ſtipitem cuncta iacula dirigo, quid vulnera ſua partitur in multos? quid ex impatientia reſpondendi oſtendit, ſe eſſe, qui petitur?* De Terentii obtrectatore L. Lavinio, quem ipſe tacito nomine perſtringit, nominatim etiam Donatus in prologum Andriae et Eunuchi, ac ſaepe Eugraphius, cui Luſcius appellatur, pag. 501. 547. 548. 565. 573.

Non modo ob terſum ſcribendi genus puroque ſimillimum amni ſemper probavit ſe Terentius et ſuis, quibus vixit et inſecutis temporibus *d*): ſed etiam ob nativos morum, quos depingit, characteres, animorumque humanorum imagines ad vivum deſcriptas expreſſaſque. Igitur etiam Terentii Comici lectione valde delectatum eſſe narrant D. Lutherum, quem Baſilius Faber *e*) memorat, duorum menſium ſpatio iterata lectione integrum bis evolviſſe, ita demum profeſſum, perſpicere ſe, quid in eo auctore artificii ineſſet. Et Hugo Grotius *f*) ob Terentii Comoediarum lectionem velut ſe indignum arguenti, *alia*, inquit, *legimus in his pueri, alia viri.* Vitam Terentii per *Franciſcum Petrarcham et Paulum Oroſium*, et argumenta omnium ipſius quae ſuperſunt Comoediarum, MSS. in Bibl. Caeſarea memorat Lambecius Tom. 2. p. 937.

II. Exſtant *ſex* Terentii *Comoediae*, neque plures veteribus cognitae fuerunt, qui in eis nativam elegantiam puri ac ſimplicis laudarunt ſermonis, ingeniumque ſuave, et

d) Iſaacus Caſaubonus ad filium Mericum puerum, in literis datis Pariſ. Anno 1609. *Si iſtbic docetur Terentius, volo ut eum librum a principio ad finem mandes memoriae. Nemo Latine loquetur bene, qui Terentium non contriverit.*

e) Praefatio ad Synon. Terentii.

f) Morhofii polyhiſt. lib. III. cap. 9. §. 29. pag. 665.

et τὸ ἠθικὸν, quod e Graecorum, Menandri g) praecipue imitatione feliciter consecutus est, licet vim Comicam in eo desideravit Caesar. E recentioribus iuvat audire Evremonium: *Terence est peut être l'Auteur de l'Antiquité qui entre le mieux dans le naturel des personnes. J'y trouve cela à redire, qu'il a trop peu d'étendue, et tout son talent est borné à faire bien parler des Valets et des Vieiltards, un Pere avare, un fils debauché, une esclave, une espece de Briguelle. Voilà ou s'étend la capacité de Terence. N'attendez de lui ni galanterie, ni passion, ni les sentimens, ni les discours d'un honnête homme.* Haec vir politissimi ingenii T. 2. Oppos. pag. 18. Actae sunt fabulae Terentii, sicut etiam in veteri Codice annotatur, hoc ordine, et tempore quod ad singulas signavi, de quo praeter interpretes consulendus Samuel Petitus lib. I. Observationum cap. VIII.

Andria anno V. C. 588. In Andriam prae caeteris laudantur ab Antesignano annotationes *Ioannis Rivii*, quae ad mores facere inprimis videntur.

Hecyra

g) *Conversum expressumque latina voce Menandrum* a Terentio *efferri* dixit Cicero in Limone: Caesari quoque Terentius vocatur *dimidiatus Menander.* Hecyram Terentii et Menandri Epitrepontem eiusdem argumenti fabulas vocat Sidonius IV. 9. Epist. Adelphos, Heautontimorumenon, Andriam et Eunuchum a Menandro accepisse Donatus tradit, Phormionem et Hecyram a comico Apollodoro. Ipse Terentius prologo Heautontimorumeni queritur rumores malevolos distulisse *quod multas contaminasset fabulas Graecas, dum fecit paucas latinas.* In Andria duas imitatus est *Menandri* Andriam et Perinthiam, in Eunucho Colacem Menandri, Eunuchum et Phasma: In Adelphis, Menandri ἀδελφοὺς et *Diphili* συναποθνήσκοντας. Sic potuit in Hecyra et *Apollodori* fabulam quandam habere ante oculos et simul Menandri ἐπιτρέποντα. Nam Phormionem quidem ex Apollodori ἐπιδικαζομένῃ expressam esse, idem nobis Donatus fidem facit. *Latinos Comicos* antiquiores Plautum, Naevium etc. quoque expilatos a Terentio, inimici criminabantur, sed hoc ipse quidem conceptis verbis negat, neque in iis, quas habemus, Plauti Comoediis furtorum Terentianorum vel minima vestigia apparent, licet de Terentiana Plauti imitatione liber exstet Io. Philippi Parei, Plauto ipsius, ut supra cap. I. notare me memini, subiunctus. De generibus Comoediarum vide sis, quae Donato illustrando notavit Gisbertus Cuperus lib. I. Observationum c. 10.

Hecyra ſive *Socrus*, ἑκυρὰ (Angelo Decembrio *Nurus.*) anno 589. atque iterum 594. cum prima vice non multum plauſus meruiſſet, ut neque ſpectari neque cognoſci potuerit.

Heautontimorumenos anno 591. Priores binos Actus huius Comoediae veſpere dedit, reliquos docuit proximo mane. *Ioannis Calpurnii* ſcholia in hoc drama, quibus Donati notarium defectum circa A. C. 1470. ſupplevit, exſtant in antiquioribus quibusdam Terentii editionibus, et in Weſterhoviana a. 1726. De controverſia, quae Aegidio Menagio ſuper hac Comoedia cum Hedelino Abbate Albignacenſi interceſſit, vide ſi placet Ephemerides litterarias Pariſienſes Anni 1691. pag. 65. ſeq. edit. Amſterod. Hedelini liber lucem vidit Gallice Pariſ. 1656. 4. *Terence juſtifié par Hedelin.* Menagii diſſertatio Vltraj. 1690. 8. In *Heautontimorumeno duplex argumentum feciſſe* ſe affirmat Poëta, *ex ſimplici*, hoc eſt, cum Menander ſingula πρόσωπα induxiſſet, duos ſe exhibuiſſe filios familias amatores, amicas duas, duos ſenes, duos ſervos, ut notat Petrus Nannius lib. 1. Miſcell. cap. 4. qui lib. 2. cap. 3. probe quoque obſervat univerſas huius Comici fabulas fingi, ut quae agantur Athenis. Heautontimorumenos Terentii reſpicitur ab Horatio lib. 1. Sat. 2. v. 20. *Terentianus ipſe ſe puniens*, Ciceroni III. 28. Tuſc. quem et aliis in locis ad Comici dicta libenter alludere notavit Petrus Victorius lib. VI. var. Lect. cap. 14. *Franciſci Hedelini* et *Aegid. Menagii* diſſertationes Gallica lingua ſcriptae de tempore huius dramatis (quod Athenis in Dionyſiis (Pithoegiis) actum fingitur a veſpera diei intra ſpatium decem ut Hedelinus; vel ut Menagius, amplius duodecim horarum) recuſae Amſt. 1715. 8. cum eiuſdem Hedelini *h*) de rationibus et uſu Theatri: *la pratique du Theatre par l'Abbé d'Aubignac.* Prior Menagii diſſertatio prodierat A. 1640. recuſa inter eius Miſcellanea Pariſ. 1652. 4. Altera, poſt Hede-

h) Memoires lit. de Trevoux A. 1716. p. 359. ſeq.

Hedelinum iam defunctum, Vltraiecti 1690, 8. Confer si vis, Memoires de litterature Hagae 1715. 8. Tomo 1. pag. 289. seq.

Eunuchus eodem an. 593. quae pretium HS 8000. quantum nulla ante cuiusquam Comoedia, meruit, iterato tertiumque acta. *Eunuchi* metaphrasin versibus Gallicis factam a *Baifio*, laudat Daceria. Idem drama Latine et Gallice cum *Io. Errici* scholiis. Lugd. 1553. Sed et Gallicis versibus reddidit *Fontanus*, Paris. 1654. 4. Germanicis, pro captu illius aetatis *Hans Sachse*, a. 1554. et Tomo V. poëmatum, Campis 1616. 4. Italicis *Ioannes Iustinianus*, Venet. 1544. 8. Etiam Comoedia Aethiopissa expressit Italice *Catharinus Dulcis*. Tubingae 1599. 12. latine prodiit Eunuchus Terentii separatim, sed versibus haud distinctus Daventriae 1513. 4. ex officina literatoria Theodorici de Borne. Stephani Doleti observationes Latini sermonis in Andriam et Eunuchum etc.

Phormio i) anno 593. *Phormionem* Terentii imitatus fuit Molierius in dramate Gallico cui titulus: *Les fourberies de Scapin*. Phormio apud Apollodorum Graecum Comicum parasiti nomen ἀπὸ τῆς Φορμίδος, a sportula viminea. Vide If. Casauboni notas ad Theophrasti Characteres p. 133.

Adelphi, anno 594. *Adelphos* Italica Metaphrasi pridem redditos accepi ad Alberto Lollio. *Nathan* autem *Chytraeus* Adelphos separatim vulgavit Latine, notatis morum et affectuum characterismis, atque ita totum voluit Terentium in lucem dare, quod non perfectum ab illo dolet Morhofius libro tertio polyhistoris cap. 9. pag. 666. Idem speciminis in modum quaedam ex illo adducit pag. 664. seq.

III. E ve-

i) Phormio Parasiti nomen ἀπὸ τῆς Φορμίδος a sportula viminea obsonio ferendo. Vide Erycii Puteani Amoenitates p. 48.

III. E veteribus Grammaticis, praeter *k*) *Aelium Donatum* et *Eugraphium*, *l*) qui exſtant, Terentius illuſtratus olim fuit ab *Helenio Acrone*, *Adeſione* (niſi nomen apud Donatum pag. 163. corruptum ſit) *Aſpro*, *Flavio Capro*, *Aruntio Celſo*, *Annaeo Cornuto*, *Evanthio*, *Nigidio Figulo*, et *Valerio Probo*, quos laudant Hieronymus Apologia 1. in Rufinum, Soſipater Chariſius, Donatus, et in libello de metris Terentianis Ruſinus, Grammaticus Antiochenus. *Sulpicium Apollinarem*, cuius extant in Terentii fabulas *periochae*. Eum eſſe

k) *Donati* in ſolas quinque Comoedias commentaria habemus, neque integra fortaſſis, ſed e Donato et aliis excerpta atque collectanea. Confer Iani Parrhaſii Epiſt. LVIII. et LIX. et Tan. Fabrum lib. 1. Epiſt. 62. ubi de Servio in Virgilium cum dixiſſet, eclogas tantum ſeu collectiones tanti nos operis habere et ſaepiſſime ab imperitis hominibus conſarcinatas, *idem*, inquit, *ſentio de Donato*. *Hoc certe perliquido deieraverim, poſſe in utroque ſupra bis mille errores deprehendi*. In Heautontimorumenon nihil Donati hodie exſtat. Itaque interpretationes, quas inde nonnulli producunt, vindicandae ſunt *Ioanni Calpurnio*, Politiani aequali, ut obſervat G. Io. Voſſius lib. 1. de Vitiis ſermonis cap. 5. De Donato ipſo plura diximus infra, ſuo loco, inter Grammaticos. De *Calpurnio* illo, Brixienſi, qui circa A. C. 1502. Patavii deceſſit, conſulendus Nic. Comnenus Papadopoli hiſtor. Gymnaſii Patavini T. I. pag. 292. Scholia *anonymi veteris* in Terentium ſunt MSta in Bibl. Guelpherbytana quae Conringius non contemnenda iudicabat. Vide Amoenitates literarias Io. Georg. Schelhornii T. V. p. 193.

l) *Eugraphii* praeter illa, quae Gabriel Faernus et (locupletiora longe) Fridericus Lindenbrogius et Weſterhovius edidere, Pariſiis in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi exſtat *commentum in Terentium*, Eugraphii titulo inſignitum, quod inſulſum luceque indignum duxit idem Lindenbrogius. Vixit Eugraphius iſte ſub Othone III. circa A. C. 998. Vide illuſtris viri Giſberti Cuperi Obſervationes pag. 127. Meminit Eugraphii Gerbertus, qui poſtea Sylveſter II. Epiſtola VII. ad Airardum. *Evanthius* vero, cuius commentarius in Terentium laudatur a *Rufino in libello de metris Terentianis* inter Grammaticos Eliae Putſchii p. 2705. Lindenbrogio videtur eſſe auctor *brevis diſſertationis de Tragoedia et Comoedia*, quae tanquam ex *Aſpro* vel *Cornuto* petita, Terentio in melioribus editionibus praemittitur. *Anonymi explicatio vocum aliquot apud Terentium* e veteribus membranis, primum edita eſt a Bonav. Vulcanio cum Iſidori Hiſpalenſis Originibus, deinde inter Autores Latinae linguae prodiit vulgatos a Dionyſio Gothofredo, et in Terentio editionis Lindenbrogianae p. 783. Addamne his quod Petrus Lambecius lib. 2. Commentar. de Bibl. Vindobonenſi p. 937. teſtatur, MStam in illo theſauro librario exſtare *Vitam Terentii* ſcriptam a *Franciſco Petrarcha* et *Paulo Oroſio*, et inedita argumenta omnium Comoediarum.

esse notat Io. Mariana IV. 7. de rebus Hispaniae, quo praeceptore in Iuris scientia passus est tenera se aetate imbui Pertinax Imp. Benedictus Phil. Flor. autem in praefatione ad Terentium dicit, se argumenta fabularum ad Sulpicium Apoll. Grammaticum sub Adriano referre, inductum MSS. antiquis. In notis elegantissimis Mureti ad Catullum, Venetiis 1554. 8. apud Paulum Manutium editis, leges p. 72. b. *Collocare proprie dicuntur in lecto pronubae novam nuptam. Auctor* Servius in Terentium, *non ille quidem ementitus* Servius, *cuius vulgo ineptiae quaedam* in Terentium *circumferuntur; sed vetus ille* Servius, *cuius* in Terentium commentarios *nusquam adhuc excusos, magno studiosorum bono propediem editurus est Manutius.* — Donati MS. Cod. sed recentior est in Bibl. Rotenb. ad Tubarim. v. *Beyschlag* in Sylloge pag. 750. Alius membranaceus fuit in Bibl. Ehrencroniana.

IV. Antiquissimum Comoediarum Terentii Codicem olim habuit *Petrus Bembus*, cui Politianus haec verba manu sua inscripsit: *Ego Angelus Politianus, homo vetustatis minime incuriosus, nullum me vidisse ad hanc diem Codicem vetustiorem fateor.* Hic ab illo tempore pervenit in manus *Fulvii Vrsini*, qui, dum vixit, auro quovis pretiosiorem habuit, et moriens Bibliothecae legavit Vaticanae, ut referunt Ianus Nicius Erythraeus Pinacotheca 1. p. 10. et Leo Allatius animadvers. ad Antiquitates Hetruscas p. 59. Franciscus vero Cardinalis Toletus, qui Vrsinum cum vetusto suo libro usque adeo derisit, nescio an multo fecit elegantius, quam Hadrianus VI. summus Pontifex, a quo viros litteratos et humaniori doctrinae deditos per contemptum dictos *Terentianos*, narrat Io. Pierius Valerianus de infelicitate litteratorum libro II. Specimen Codicis huius Terentii dedit Io. Mabillonius C. V. de re diplom. p. 354. v. et in Nouveau Traité Dipl. T. III. tab. 35. Hic est ille liber Petri Bembi, quem laudat Muretus pag. 189. b. ad Terentium:

rentium: *Sed in libro Bembi non tantum, ut in aliis, exercerent, legitur, verum etiam adscripta est ad latus explicatio quaedam huius vocis, quae scripturae illius integritatem confirmet. Multum autem eius libri valere debet auctoritas, est enim ita antiquus, ut Angelus Politianus, qui multos veteres libros viderat, testatus sit, omnium cuiusque generis librorum, quos ipse unquam vidisset, eum sibi antiquissimum videri.* Petrus Victorius IX. 15. Var. Lect. ubi Menandri loca quaedam confert cum Terentianis, addit, domi se habere Terentium collatum cum illo Bembi codice manu Angeli Politiani. vide de hoc Cod. Nouveau Tr. dipl. l. c. p. 50. seq. ubi de aetate eius disputatur, quam auctores Seculum quartum aut quintum non excedere iudicant. De figuris in hoc Codice infra dicetur. Alterum Codicem Terentii pervetustum manu exaratum possidere se testatus est Rev. Io. Gothofredus Olearius in scrinio antiquario, Halae Sax. anno 1681. 8. edito pag. 210. Is olim fuit Georgii Fabricii, qui manu sua hos ei versiculos inscripsit:

Vt sapor est veteri vino, veteri decus auro,
Sic libri veteres nomina digna tenent.
Nam minus his nocuit stultorum audacia, haberi
Forsan Aristarcho qui voluere pares.
Corrigere e priscis libris licet atque probatis,
Quae fecit studium deteriora recens
Dum quisque ingenii confisus viribus, illa
Emendat, quae non percipit ipse statim.
Hinc tantum errorum libros invaserat aequor,
Quantum nulla diu tollere secla queant.

Ibidem Olearius narrat, sibi esse editionem Terentii Parisiensem a. 1541. quam idem Fabricius a capite ad calcem contulerit cum codice iam laudato Vaticano. Terentii veterem effigiem, quam binae tenent personae Comicae, e Codice suo vulgavit Fulvius Vrsinus in illustribus imaginibus p. 42. atque exinde Iacobus Grono-

vius V. C. Tomo 3. thesauri Antiquitatum Graecarum. Occurrit et in fronte quarundam editionum, ut Lindenbrogianae, sed omissis personis illis, quas dixi, Comicis, et Gallicae Dacerianae. Exstat praeterea Terentii icon in veteri nummo apud Iacobum Stradam, et Andream Morellum Bernatem, in specimine universae rei nummariae antiquae p. 47.

In Bibliotheca Vaticana etiam asservatur alter Codex Terentii clarus, Georgio Fabricio olim inspectus, quem aevo *m*) Caroli Magni quidam *Hrodogarius* scripsit, et *n*) *Calliopius Scholasticus* recensuit, ut post singulas Comoedias apparet. Sed alia exempla MSS. passim reperta

m) v. Iustus Fontanini V. C. in Vindiciis antiquorum diplomatum adversus Bartholomaeum Germonium pag. 37.

n) De *Calliopio*, qui Terentii Comoedias recensuit, non, ut Eugraphio in extremo Andriae traditum, recitavit, vide si iuvat Casp. Barthium VI. 20. Adversariorum, et Eustachii Swartii Analecta III. 11. p. 132. Hi *Alcuinum*, qui Caroli M. aetate Scholasticum egit, Calliopii nomine, a Calliope Musa ducto, librariis venire scribunt. Sed videtur potius esse nomen proprium alterius viri, quoniam et alios Calliopios reperias, ut presbyterum Nicaenum apud Socratem VII. 25. tum illum, ad quem exstat Epistola Dionysii Sophistae Antiocheni, denique Martyrem, de quo Martyrologia ad diem VII. Aprilis. Calliopium quoque pro Callipione Diacono reponit Barthius III. 5. in tertio dialogo Severi Sulpicii, sed ni fallor citra necessitatem. Calliopium pro viro Musico iterum ponit XLVI. 3. ubi ait, ad Venantium Fortunatum *velut ad Calliopium quempiam, magistrum et coryphaeum musicorum modulaminum respexisse omnium sequentium Poëtarum chorum.* Sed sive verum sive fictum habeatur nomen, Criticus certe fuit, qui Terentii fabulas ad prisca exemplaria correxit. Sic Vettius Agerius Basilius Mavortius V. C. et INL. ex commendatione Dom. Exconf. ord. legit et emendavit Horatium: Nicomachus Dexter et Victorianus V. V. C. C. Titum Livium: Iulius Celsus Constantinus V. C. et Flavius Licerius Firminus Lupicinus Ephemerin Iulii Caesaris: Flaccus Theodorus Memorialis sacri scrinii Epistolarum et adiutor viri magni Quaestoris sacri Palatii, Priscianum. Securus Melior Felix Asper Comes consistorii Rhetorem urbis Romae Martianum Capellam, uti haec nomina in vetustissimis scriptis Codicibus adnotantur. Sic Apuleii Milesiarum libros et Apologeticum Crispus Sallustius quidam legit, emendavit et recognovit: ita enim in antiquissimis Codicibus legitur, qui Florentiae in Bibliotheca Magni Ducis Hetruriae asservantur, quas observationes debere me fateor Lindenbrogio pag. 596. ad Terentium. *Iosephus Scaliger in Scaligeranis* pag. 151. Calliopius recensui. Hic Terentium recensuit, ut Vegetium „*Eutropius* in MSS. Vegetii apud Putea-

reperta sunt, ut in Bibl. Londinensi, Oxoniensi, Leidensi, Erlangensi etc. Nam propter frequentem usum in scholis saepissime descriptae sunt hae Comodiae. Atque haec multitudo librorum peperit multitudinem lectionum variantium. Nam Richardus Bentleius, in parte prima observationum, Anglica editarum lingua, adversus Antonii Collini libellum pro licentia cogitandi vulgatum pag. 66. testatur se collatis variis Codicibus notasse farraginem variarum lectionum ad vicies mille.

V. Vniversas Terentii editiones persequi velle inepti haud dubie sit; plerosque tamen qui vel inter primos, vel cum laude in illo edendo atque illustrando versati sunt, prorsus praeterire, negligentis. Antiquissimae editiones sunt, quae versuum distinctionem nondum habent. Talis est una, quam habuit nuper Consultissimus in civitate Lips. Vir *Christianus Ludov. Stiglitius*, forma quaterna maiore, literis germanicis: altera, quae sine loci et anni indicio edita literis vetustissimis expressa, profitetur, se ab *Angelo Sabino* purgatam, qui et alia primis inventae typographiae temporibus edidit Romae, ut Paradoxa in Iuvenal. a. 1474. etc. Hoc an conveniat in editionem, quae fuit in Bibl. Gudiana, cum Donato, sine loco et anno, nescio. Gudius quidem typos Romanos Panartii videbatur sibi agno-

D 3 scere

Puteanum. C'estoient des Grammairiens, qui corrigeoient un livre, et la dessus on le copioit. A la fin de Cesar dans les vieux exemplaires, *Julius Celsus*, c'estoit un autre Grammairien. Apres Aurelius Victor (non celui qui se met apres Justin) il y a un *Symmachus* ou *Theodorus*, c'estoient des Grammairiens. In MS. veteri Prisciani Grammatici, qui est in Bibliotheca Puteanea, illius Grammatici *Theodori* censura reperitur: comme aussi *Acro* et *Porphyrio*, qui estoient de beaux et grands Commentateurs, (nous n'en avons que les restes) et d'autres vieux Commentateurs, qui son citez par Charisius." Auctor eruditus notarum Terentio edit. Cantabrig. 1701. 4. adiunctarum Evanthium secutus relinquit dubium, utrum Calliopius fuerit Grammaticus et Criticus, qui Comici dramata emendaverit, an eorum unus qui ad spectatores dixerit *plaudite*. Sed quod additum legitur, *Calliopius recensui*, perspicue evincit Critici functum esse partibus, et quoniam in pluribus Codicibus nomen eius obvium est, recensionem illius prae caeteris probatam fuisse, et librariis placuisse.

scere. Notatam etiam vidimus in Catalogo Bibl. Senkenbergianae editionem, quae anni et loci nota careret, ceterum sub titulo: *Terentius* in sua metra redactus: quae tamen antiqnior sit necesse est, quando in edd. 1487. 90. 92. iam metris incedit Terentius. Itaque male, vidimus, qui iudicaret, in edit. Argentin. 1503. metrum demum notatum fuisse, quod in ea est epigramma in contemtum earum editionum, in quibus sine versuum distinctione sunt Comoediae Terentii. In *Benedicti Philologi* Flor. praefatione ad P. Crinitum, (edit. Argent. 1516.) repetita ex Italica editione, dicitur *Politianus* primus aggressus esse emendare Terentium et in suos numeros referre. Sed et ipsum se dicit in ea re elaborasse. Post antiquissimas, quas cum forma folii excusas sine loci temporisque nota memoravimus supra, nullam reperi antiquiorem Terentii editionem Mediolanensi 1470. per Antonium Zarotum, impendio Io. Legnani, cum Don[illegible] in Terentium, et Romanam anno 1472. fol. per Conradum Sveinhemium et Arnoldum Pannartz. Hanc sequitur Tarvisina an. 1474. fol. tum Veneta a. 1476. f. cum Donati, et in Heautontimorumenon, Io. Calpurnii commentariis: quam laudans Muretus, *etsi*, inquit, *uti erant illa tempora, mendis innumerabilibus scatet, tamen ita multa, ita praeclara veteris scripturae vestigia retinet, incredibile ut mihi auxilium tulerit ad locos perplurimos corrigendos.* Altera deinde *Tarvisina* a. 1477. fol. quae, sicuti et prior, *Donati* in quinque Comoedias, et in Heautontimorumenon *Io. Calpurnii* o) commentarios adnexos habent: *Parmensis* a. 1480. cum castigationibus *Pomponii Leti: Tarvisina* alia cum iisdem commentariis 1477. fol. Mediol. 1478. fol. per Dominicum de Vespolate et Iac. de Marliano, et Francisci Dianae recognitione Venet. 1479. fol.

o) De hoc *Calpurnio* v. *Quirini* Card. Brix. literat. P. I. pag. 50. s. Fuit enim *Io. Calpurnius* Brixiensis, eruditus admodum pro illis temporibus vir et inter instauratores literarum ponendus; de cuius adeo rebus passim in isto opere commemoratur.

fol. Venet. 1482. 1487. fol. Veneta 1480. et Neapolitana 1481. fol. ex castigatione *Angeli Sabini*. Has excipiunt Mediolanensis et Veneta 1483. fol. Venetae iterum 1488. per Valerium Superchium, cuius legatur praefatio: porro 1490. 1492. 1494. 1567. et 1580. fol. etc. Argentoratensis 1496. fol. in qua glossa interlinearis et directorium adagiorum, artisque comicae, commentariique *Donati*, *Guidonis*, *Iuvenalis*, et *Io. Badii Ascensii*, atque in Heautontimorumenon expositio *Calpurnii* continentur; et 1499. fol.

Sec. XVI. clariores editiones sunt hae: Parisiensis a. 1500. f. et 1504. 4. et 1508. f. cum notis Badii Ascensii.

Argentoratensis a. 1503. fol. cum Donati Commentar. additis iconibus, ligno satis ridicule descriptis, et 1506. 4. cum commentario Petri Marsi, et Pauli Malleoli, 1513. et 1519. 4.

Lipsiensis a. 1508. Tubingensis 1516. 4.

Veneta 1508. et alia 1515. per Lazarum de Suardis. de quibus vide Quirini Brix. literat. P. I. p. 57. Inde

Editiones *Aldinae*, Venet. 1517. et 1521. 8.

Edit. Moguntina per Schefferum 1521. 8. quae est repetitio Aldinae, cuius et praefationem habet.

Editiones *Robert. Stephani* Paris. 1529. fol. 1536. 4. 1541. 4. cum commentario Donati etc. et sine commentariis 1533. 1545. 8. et minori forma 1532. et alia *Parisiensis* a. 1552. fol. e MSS. castigata cum variis lect. et restituta versuum ratione, scholiisque praeter Donatum et Calpurnium *Melanchthonis*, Erasmi, Goveani, Iul. Caes. Scaligeri, L. Victoris Fausti, P. Bembi, A. Barlandi, B. Latomi, P. Marsi, *I. Rivii*, Steph. Doleti, H. Loritti Glareani, I. Theodorici, et Iodoci Willichii.

Erasmi editio Basil. 1532. 1538. fol. cum Scholiis e Donato, Cornuto et Aspero.

Editio Gryphiana a. 1544.

Basileensis apud Bryllingerum 8. cum Melanchthonis et variorum Commentariis.

Coloniensis 1534. 8. cum *Erasmi*, *Rivii* et aliorum notis. In fine accessere Bembi quaedam emendationes, e Dialogo quodam eius. alia Coloniensis est anni 1555. cum Commentario *Iodoci Willichii*.

Antonii Goveani Lovanii 1552. 4. Paris. 1558. 4. Francof. 1579. 8. et 1593. forma minore, quem hominem ingeniosissimum vocat et passim ad Terentium laudat elegantissimus Muretus. Idem *Aemilii Ferreti* operam in Terentio positam celebrat pag. 181. b.

Veneta a. 1553. fol. apud Barthol. Caesanum cum commentariis Donati, *Guidonis Iuvenalis* Cenomani, *Petri Marsi* in omnes fabulas, *Stephani Doleti* in Andriam et Eunuchum, et Io. Calpurnii in Heautontimorumenon. Extat et ed. Veneta a. 1561. f.

M. Antonii Mureti Venet. 1555. 8. apud Paulum Manut. et Antuerp. 1567. 12. 1580. 8. apud Plantin. et Lugd. 1573. 8. et Franequ. 1597. 8. Muretum dum metro consulere studet, nimium sibi in Terentio indulsisse putant viri docti. Cum *M. Antonii Mureti*, quatuor Codicibus MStis usi, argumentis et notis, Venet. 1558. 8. apud Paulum Manutium, quae editio ipsius Mureti manu passim notata fuit in Bibliotheca Marquardi Gudii, qui eam ab Octavio Falconerio V. C. Romae an. 1662. dono acceperat. Apud Ald. Nep. autem Mureti editio repetita est a. 1575. 8. Sed a. 1558. 12. lucem iterum vidit Parisiis, saepiusque deinceps recusa ut Antuerp. 1565. 12. Francof. 1575. 1592. 8. Venet. 1603. Editio Lugd. 1573. 8. manu Isaaci Casauboni trita et eius notis passim insignis exstat in Bibl. Ioannis Mori, Eliensis Episcopi. Caeterum in recentioribus editionibus non modo dedicatio Mureti ad Iacobum Surianum Patricium Venetum (ut in Pareana) desideratur, quod non placet Crenio Anim. P. II. p. 7. sed etiam in Elmenhorstii Epistolis MSS. ad Holstenium lego haec verba: *Laboramus etiam de Terentio Mureti Venetiis edito, quem rogo omni nisu nobis*

bis extorqueas, saltem ad mensis spatium. In Antuerpiensi enim editione multa omissa a sacris hominibus,

Petri Antesignani editio Terentii triplex facta est Lugd. 1560. 8. 1. cum argumentis, brevibusque notis, et prosodia atque carminum ratione: 2. cum notis variorum: 3. cum notis brevibus novis ad oram libri, et trium priorum dramatum versione et paraphrasi Gallica, notatis in versione per uncinulas singulis vocabulis, quae in latino non exstant. Conf. Baelii dictionar. edit. secundae p. 260. et Hendreichii Pandectas in Antesignano. In hac *Antesignani* Rapistagensis editione hoc est singulare, quod singulis versibus per siglas in interiore margine adscripti sunt pedes, quibus metrum constat, v. g. versui in prologo Andriae: *Poëta quum primum animum ad scribendum appulit*, adscriptae sunt literae ii d ssp, quae significant versum illum constare iambo iterumque iambo et dactylo, tum spondaeis duobus et pyrrichio. *Ambrosii Berndtii* sive *Bernardi*, qui Lutheri affinis fuit, notas in Terentium a. 1540. compositas edidit a. 1566. Stephanus Riccius. De Ambrosio illo a. 1542. Vitebergae, ubi Oratoriae Professorem gessit, defuncto, vide Car. Frid. Pezoldi Miscellanea Lipsiensia T. V. p. 354. seq. a. 1717. 8.

P. Terentii Comoediae e vetustissimis libris et versuum ratione a *Gabr. Faërno* emendatae, Florent. 1565. 8. nitide et accuratissime editae sunt, curante *Petro Victorio*. Recusa etiam exstat anno 1587. 8. Heidelbergae apud Commelin. cum Eugraphii Commentariorum fragmento, et 1607. 8. De Terentio praeclare promeritus est post Muretum *Gabriel Faërnus;* de quo Latinus Latinius in Epistola anno 1555. data Tom. 2. Epist. pag. 41. *Faërnus intermisso Livio ad Terentium absolvendum, iterumque nova diligentia castigandum rediit, iamque ad Phormionem pervenit. Sperat autem se multis locis postrema hac opera lucem pulcherrimam attulisse, adiutus cum aliquot Codicum ope, tum veteris cuiusdam Scholiastae, qui apud Canonicos D. Petri in Bibliotheca tamdiu*

diu latuit, ut paene omnibus saeculis ignotus nunc primum videatur in lucem prodire.

E castigatione et cum notis *Matthiae Bergii* Lipſ. 1574. 8. adiunctis Ioh. Camerarii, Io. Rivii, Georgii et *Francisci Fabricii* castigationibus atque annotationibus. *Theodori Pulmanni* notae cum Eugraphii, Mureti, Fabricii, etc. Antuerp. 1580. 8. prodiere.

Frid. Lindenbrogii editio insignis atque reliquis praeferenda, cum Aelii Donati et Eugraphii veteris Scholiastae integris commentariis ad MSS. Codices recensitis, additis propriis, et Gabr. Faërni, de Terentio praeclare meriti, observationibus, Parif. 1602. 4. et Francof. 1623. 4. quae editio auctior et emendatior est, nisi quod Epistola Lindenbrogii ad Suffridum Calignonum et Faërni notae in illa sunt omissae, sicut etiam in splendida editione nupera Westerhovii.

Stephani Riccii e praelectionibus doctorum Vitebergensium, Mulhusae 1568. et Gorlicii 1570. 1574. 8. atque iterum Lipſ. 1614. tribus Vol. 8.

Terentius ex recensione *Dan. Heinsii*, praemissa dissertatione de Plauto et Terentio, saepius vidit lucem in Belgio et in Germania post editionem Amstelodami 1618. 12.

Io. Philippi Parei, Neapoli Nemetum 1619. 4. in qua editione, praeter notas Rivii, G. Fabricii, Faërni, Mureti, Pareique ipsius, habetur index omnium vocabulorum. Idem Pareus Plauto suo dissertationem de Terentiana Plauti imitatione adtexuit, quod argumentum ante eum tractaverat quoque *Gaudentius Merula* in dialogo Terentiano.

Cum Epistolis VII. Criticis, sive notis brevibus *Christophori Coleri* et indice phrasium Francof. 1584. 12. Genev. 1593. 12. Francof. 1685. 12.

Cum

Cum notis, indicibus et medulla siue Phraseologia Terentiana *Martini Hayneccii*, Lipſ. 1592. 1606. 1614. 1624. 1634. 8. quam editionem Caſpari Barthio cumprimis probatam fuiſſe teſtatur Caſpar Sagittarius libro de Plauti, Terentii et Ciceronis vita ac ſcriptis Altenburg. 1671. 8. p. 65.

Editio Regia typis luculentis et maioribus, Pariſ. 1642. fol.

Cum locupletiſſimo indice Philologico verborum phraſiumque et collectaneis *Iac. Kockerti*, Lubec. 1651. et 1667. 8. praemiſſa *Dan. Heinſii* ad Horatianum de Plauto ac Terentio iudicium diſſertatione.

Cum *Io. Henrici Boecleri* annotationibus et Chreſtomathia Terentiana, ſiue ſelecto Indice locutionum, Argentorat. 1657. 8. Huic editioni adiunctae ſunt etiam *Franciſci Guieti* Andegavenſis in Terentium notae eruditae, ſed iuſto paſſim audaciores: unde Terentium indignis modis a Guieto tractari ſcripſit Chr. Waſius in Senario p. 244. Obierat iam Guietus a. 1655. cum notae illae ederentur. Vide vitam eius, ab Antonio Periandro ſcriptam notiſque in Terentium praemiſſam.

Cum notis *Thom. Farnabii* in quatuor priores, et *Merici Caſauboni* in Phormionem et Hecyram, Lond. 1651. 12. Amſtel. 1651. 1660. 1669. 12.

Io. Minelli Roterd. 1670. 1680. 12. eiusque aemuli *Chriſtiani Iunckeri* Dreſdenſis Lipſ. 1702. 12.

Tan. Fabri. Salmurii a. 1671. 12.

Cum Commentariis Donati, et ubi hic deficit, Eugraphii atque ſelectis *p*) *variorum* notis. Lugd. Batav. 1644.

p) Frequens eſt in Virorum eruditorum ſcriptis, ut in illas *variorum* quae ſolenni vocabulo dicuntur *notas*, quae non integras hominum celebrium animadverſiones ſed excerpta tantum ex illis ſcholia exhibent, graviter invehantur. Ita doctiſſimus Graevius praef. ad Sueton. Henninius V. C. praefat. ad Iuvenal. et ad Britannici in Iuvenalem notas. Antonius Borremanſius in variis Lect. c. 7. Adrianus Bailletus Tom. 1. iudicior. de Scriptoribus p. 462. 519. multique alii. Neque diffitendum eſt, quandoque potuiſſe editionum illarum curatores quoſdam maiore delectu, maioreque fide uti in decerpendis, vel

1644. 8. et 1651, 1657. 8. curante *Cornelio Schrevelio*, qui posterioribus editionibus nomen suum adscripsit.

In usum Delphini, a *Nic. Camo* Paris. 1675. 4. quae editio semel iterumque repetita est ab Anglis Lond. 1688. et 1700. 8. omissa tamen quaedam haud absurde, quae Camus in Parisiensi editione praemittenda esse duxerat.

Cum integris notis *variorum*, Donati, Eugraphii, Faërni, Boecleri, Farnabii, M. Casauboni et Tan. Fabri, Amstelod. 1686. 8.

Denique Parisiis Terentii Comoediae expurgatae et illustratae notis sunt a *Iosepho Iuventio*, e Societate Iesu, quae auctiores occurrunt in editione Rothomag. 1711. et Paris. 1715. Venet. 1725. 12. Terentium ita a Iuvencio, vel censura Portus Regii interpretum, vel a Nic. Camo in usum Delphini expurgatum, tamen adolescentibus non sine morum periculo proponi iudicat vir laudatissimus Carolus Rollinus, q) reprehensus eo nomine a *Gailierio* in longa pro Terentio apologia, r) Gallice 1728. 12. in lucem data: quin imo, Io. Lud. Balzacium si audias, s) *in hoc Afro habitat modestia et pudor, nilque fit ab eo in scena aut dicitur, quod non sanctissimae Sabinae, ipsaque Numae uxor, salva oculorum verecundia videre, et aequis auribus audire possint: adeo ut non iniuria*

vel digerendis doctorum virorum observationibus, ut probe observatum etiam Io. Clerico V. C. est T. I. Parrhasianorum p. 230. At enim si cum iudicio adornatae huiusmodi variorum notae in optimos quoque scriptores veteres extent, non dubitem affirmare earum editionum auctores tanto melius promeritos de publico bono, quanto ceteri illi magis forte consulere se existimant virorum doctorum famae, qui uni scriptori horum plurium integros commentarios, atque in his tamen multa saepius repetita, multa parum ad rem facientia subiungunt. Nolim sane commentaria illa perire vel non integra conservari, sed haec qui typis exscribenda dant, eos vicissim nolim invidere studiosorum compendio, quod ex altero genere notarum, si ita ut par est conficiantur, haud dubie sibi promittere possint.

q) C. Rollin, la maniere d'enseigner les belles lettres Tom. I. pag. 161.

r) Journal des Savans an. 1729. pag. 539.

s) Balzacius Epistola ad Petrum Thorallum Sanchatraeum inter selectas ad calcem Franc. Vavassoris de ludicra dictione editas Lips. 1722. 8. a V. C. Io. Erhardo Kappio p. 671.

iuria quis dixerit, Plautinis matronis honestiores plerumque esse meretrices Terentianas. Quod illi, scio, a nonnullis etiam vitio datum est, sic enim cavet ab obscoeno spurcoque, ut interdum quid quamque deceat personam, parum attendere videatur, iisque minus satisfaciat, qui, cum incurrit aliquid in narrando turpiusculum, gaudent plus satis sermonis proprietate, et res non pulcherrimas nudis enunciare verbis, hoc demum simplicitatem Romanam vocant. Ego nostri vitium pluris longe facio quam oppositam ei virtutem, atque si hoc nomine dimidiatus *t)* Menander *dici meruit*, vimque *illam* Comicam, *u*) *quam in eo desideravit Caius Caesar, festivitatem parum modestam interpretantur; hic equidem plus toto dimidium, x) ut dicitur, et caremus non aegre illa vi, quam cum posset nullo negotio assequi, prudenter eam et cum iudicio repudiavit.*

Editiones Comici nitidae atque emendatae duae ad nos delatae ex Anglia: una a. 1701. Cantabrigiae typis maioribus Academicis in 4. lucem vidit, curante clariss. D. *Iohn Leng*, ex aula S. Catharinae, postea Episcopo Norvicensi, additis notis criticis et dissertatione de ratione et licentia metri Terentiani, de quo argumento etiam consulendus *Christoph. Wase* in Senario, sive libro erudito, de legibus et licentia veterum Poëtarum. Oxon. 1687. 4. altera *Francisci Harii* Episcopi Cicestriensis Lond. 1724. 4. ex recensione Faërni, cum eiusdem notis, quibusdam etiam Donati, et Indice copioso. Vbi textus Faërni mutatus est, indicatur mutatio in notis, et ratio mutationis redditur. Ipsius Harii notae sunt totae e genere critico, in quo maxime sequitur rationes metri, quod ipse constituit, et explicat dissertatione propria. Repre-

t) Apud Donatum in vita Terentii:

Tu quoque tu in summis o dimidiade Menander
Poneris, et merito, puri sermonis amator.

u) id. ibid. *Lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret vis Comica* etc.

x) Hesiod. *πλέον ἥμισυ παντός* Ἐργ. v. 40.

Reprehensus est hoc nomine saepe a R. Bentleio in notis ad Terentium suum, itemque ab aliis.

Elegans quoque Terentii editio est, quae cum scito et accuratissimo *Martini Hugenii* indice vocabulorum et phrasium Terentianarum omnium (iam ante a. 1701. vulgato) prodiit Amst. 1710. 8. curante post Hugenii fata filio cognomine, et imitationem Terentii Plautinam, sive loca Plauti phrasesque, quas imitatus Terentius videri possit, in singularum paginarum calce annotante. Index Hugenii servatus quoque in editione Terentii Londinensi, quam curavit praeclarus Vir *Mich. Maettarius* 1715. 12. qui in corpore poëtarum Latinorum post Genevenses auctiore Terentium iam vulgaverat Lond. 1713. fol.

Cum locis Terentii ipsius parallelis et indice formularum sive phrasium uberrimo cura V. C. *Davidis Hoogstratani*. Amst. 1718. 4.

A. 1726. 4. Cantabrigiae prodiere Terentii Comoediae ex recensione *Rich. Bentleii* cum notis ipsius et *Gabr. Faërni*: quae editio repetita est Amst. 1727. 4. Vsus est Codd. scriptis pluribus, quos proximam a Faërnianis vetustatem ac dignitatem habere adfirmat. Textum Faërni locis fere mille correxit, semper mutatione et eius caussa in notis commemorata. Praemissa est Diatribe de *Metris* Terentianis, in qua ratio emendati ex legibus metri ab eo constitutis Terentii explicatur. *Harius* in notis saepe, suppresso tamen nomine, reprehenditur: ipse a Viro docto in Miscell. Obs. Dorvillianis Vol. III. p. 387. seq. IV. p. 111.

Eodem tempore a. 1726. 4. Voll. 2. Hagae Com. editus est splendide Terentius cum antiquis interpretibus Donato, Eugraphio et Calpurnio, et aliis variorum observationibus suisque ab *Arnoldo Henr. Westerhovio*: iterum in compendium redactis s. selectis notis in usum iuvenum, 1728. 8. Sed eius opera viris doctis non valde probata est.

Denique

Denique etiam a. 1736. prodiere Vrbini in f. *P. Terentii* Comoediae. Textus est e recensione maxime *Dan. Heinsii*, additaeque sunt figurae Personarum accurate expressae e vetustissimo illo Terentii Codice Vaticano. Versio Italica, adiecta textui latino, adstricta illa numeris poëticis, auctorem habet *Nic. Fortiguerram*.

VI. Sed commemorandi sunt etiam, qui ipsum quidem Terentii textum non edidere cum notis, sed tamen ei profuere alio quo modo, separatim edendis, aut emendationibus, aut observationibus, aut versionibus. De *Ambrosii Berndtii* s. *Bernardi*, qui Lutheri affinis fuit, notis in Terentium, scriptis a. 1540. supra dictum. — *Augustini Gambarellae* Mediolanensis Observationes in Terentium prodiere Bergomi, a. 1597. 8. magis ad usum scribendi, quam ad emendandum aut intelligendum pertinentes. — *Io. Weizii* notae, sive Collectanea in Terentium Lips. 1610. 8.

Terentium cum pluribus MStis diligenter contulerat *Christophorus Wase*, et uberioribus commentariis illustraverat, ut testatur Henricus Newtonus *y*) vir nobilissimus, Epistola LXIX. qui illo Doctore olim usus fuerat. Hos intercidisse dolebit mecum, qui Wasii huius librum de senario, supra etiam memoratum evolverit. Acute varia quaedam in Terentio notavit ac reprehendenda duxit *Ludovicus Castelvetrius* in opusculis variis Criticis Italice editis Bernae 1727. 4. p. 165. sq. ad 196.

Versiones Terentii exstant *Gallicae*; antiquiores quidem, qualis prosa et versu regi Galliae Francisco I. oblata auctore *Octavio Gallaesio* prodiit Paris. 1539. fol. apud Antonium Verardum, et Io. Parvum. *Iacobi Bourlei* versum versu reddentis metaphrasis memoratur Francisco de

y) Henr. Neutoni Epistolae, Orationes et carmina prodierunt Lucae 1710. 4. vide Acta Erudit. Tom. VI. supplem. p. 85. et cave hunc confundas cum Isaaco Neutono, Philosopho et Mathematico acutissimo.

de Cruce Cenomano Bibl. Gallicae p. 179. *Petri Antesignani* Rapistagnensis versio Gallica prosaria Paris. 1574. 1583. 614. forma minore, et Lugd. 1560. 8. Est etiam editio Latino Gallica Paris. 1586. 12. sine nomine interpretis. Recentiores vero sunt: una *S. Albini*, quae post primam editionem Paris. 1646. saepius lucem vidit hoc titulo: *Comedies de Terençe traduites en Francois avec le latin à coté et rendues tres honnettes* z) *en y changeant fort peu de chose.* Andriae, Adelphorum, et Phormionis versio Gallica prosaria auctore *Sanct. Albino* iam quartum prodierat Paris. 1658. 12. Reliquae tres Eunuchus, Heautontimorumenos et Hecyra *Martignaco* interprete, primum viderunt lucem Paris. 1670. et deinde 1678. 12. Latino textu, ut in prioribus etiam Comoediis factum, e regione posito. Altera est *Michaelis de Marolles* Abbatis Villalongani, quae subiunctas habet *Iohannis Peyraredei* observationes, et e regione Gallicis opposita Latina Paris. 1660. 8. duob. volum. Tertia est *Pauli Rogerii Sibour*, Comedies de Terence, traduites en François avec le Latin à coté. Strasbourg 1687. 12. Quarta, cui itidem latina adposita sunt, omnium optima, *Annae Daceriae* T. Fabri filiae Paris. 1688. et Amst. 1698. 12. tribus voluminibus. Quanquam vero elegantissima haec est interpretatio, tamen ex illa ipsa repetitis exemplis, quam difficile sit facilitatem, vim atque nativum leporem verborum latinorum vernacula lingua reddere, ostendit Io. Clericus V. C. in arte Critica T. 1. pag. 208. seq. Illa versio semel iterumque recusa est in Belgio, et cum

novis

z) Terentius ab obscoenitate purgatus lucem quoque vidit alias, ut Ingolstadii 1589. 8. Etiam in editione ad usum Delphini Parisiensi, turpia verba omissa sunt et ad calcem reiecta. Ab illis obscoenis ut deduceret iuventutem, sine Terentianae dictionis purique sermonis latini iactura *Cornelius Schonaeus* Goudanus (A. C. 1611. denatus) Terentium Christianum composuit, saepiusculae recusum; et *Io. Fichtelius* Aeschinum Comoediam vulgavit Lubecae, 1699. 12. continentem phrases et elegantias Terentii, addito supplemento septem Colloquiorum. Ceterum primordia latini sermonis non a Terentio, sed a Cicerone capienda esse pulchre docet Conr. Sam. Schurtzfleischius, Vitebergae lumen in singulari Diss. a. 1704. edita.

novis Daceriae animadversionibus, Roterd. 1717. 8. Latine et Gallice tribus Volum. (Journal des Savans 1717. Aout. pag. 169.) et Amstelod. 1724. 12. typis Wetstenianis, nec non Hamburgi perquam nitide atque emendate 1732. ex typographia Abrahami Vanderhoeck. Notae doctae sunt, et inprimis utiles propterea, quod in iis ratio scenae et actionis explicatur, cuius cognitio saepe ad intelligendum est necessaria. In editione, quam dixi, Roterodamensi anno 1717. Amstelodamensi et Hamburgensi Andriae, Heautontimorumeno, Adelphis et Phormioni praemissae ex Codice Regio Paris. *mascherae personarum Comicarum* aere descriptae: sed longe plures ex Codice Vaticano expressas dedit *Christophorus Henricus de Berger* libro de personis seu larvis et mascheris. Viteb. 1723. 4. Andriam, Adelphos, et Phormionem eleganti quoque veste Gallica induit *Isaacus le Maitre de Sacy*. *a*) Andriam versibus Gallicis donatam audio a *Petro Clerico* S. I. Tolosae, eodem, qui Electram Sophoclis metaphrasi Gallica reddidit. Denique novam Gallicam Terentii versionem in Anglia adornavit *Carolus Hennebertus*. prior tomus tres Comoedias complexus vidit lucem Lond. 1726. Rich. Bentleii emendationes plerasque parum probari sibi testatus *b*). Illam tamen versionem Daceriana minus castigatam minusque elegantem esse *c*) viri docti iudicant, licet Hennebertus in praef. Daceriam pluribus nominibus reprehendit.

Terentius *Italice* Venet. 1533. 8. et 1558. *Io. Fabrino* da Fighine, Florentino interprete, cuius etiam eadem lingua scripti exstant commentarii interpretationis vice Latino Terentio adiuncti Venet. 1580. 4. et 1594. 4. *Flammetta Malespina*, Marchionissa, Terentium Italicis versibus quam felicissime expressit, teste Io. Maria Crescim-

a) Messieurs de Port Royal ont dans leurs version atrapé les finesses du Comique.

b) Bibl. Angloise T. XIV. p. 550.

c) Bibl. Françoise Tom. X. pag. 148.

Crescimbenio in Historia Poëseos Italicae lib. 2. p. 241. Celebratur et Italica *Io. Iustiniani* translatio.

Sed omnibus facile praeferenda versio *Fortiguerrae* praelis subiecta Romae a. 1732. fol. auspiciis Cardinalis Annibalis Albani, et absoluta 1736. in qua cum splendore typorum, et ex MS. Vaticano descriptarum aere iconum ac personarum ducentarum amplius, certat cultus dictionis et interpretationis fides. vide supra pag. 64. Huic adde metaphrasin elegantem *Irmindae Parrhenidis* sive *Ludovicae Bergalliae* editam Venetiis an. 1732. Bibl. Italique T. 17. p. 297.

Germanice exposuerunt multi, Io. Rhenius, Valent. Boltzius, Steph. Riccius, et novissime Dan. Hartnaccius. Carmine Germanico Io. Episcopius Herbipolitanus Francof. 1563. 8. Versusque est Germanice a pluribus, *Hocschelio*, *Matthia Schenkio* et aliis, quos commemorare nihil attinet.

Belgice Antuerp. 1555. 8. item Latine ac *Belgice* vidit lucem cum notis Henr. Zwaerdekroonii Roterd. 1648. 8. quae versio ab elegantia commendatur. Cum emendata *Belgica* versione et Minellii notis marginalibus. Roterd. 1663. 8. Westerbanii interpretatio eodem anno Hagae 4.

Latine, et *Anglice*, Lond. 1629. 4. et cum notis criticis 1735. 12. tribus Volum.

Hispanica versio auctore *Petro Simone Avril* edita a. 1577. et Compluti a. 1582. atque iterum Barcinone anno 1599. 8. ad latus iuncto Terentio Latino ex Gabr. Faërni editione. Ad addiscendam linguam Hispanicam commendatur in primis a Caspare Scioppio in consultationibus.

Argumenta in singula dramata habemus a *C. Sulpitio Apollinari*, de quo supra dictum. Etiam e recentioribus argumenta in Comoedias Terentii Melanchthon,

thon, et Muretus: in singulas fabularum Terentii scenas composuere Paullus Malleolus, Christophorus Hegendorfius, Hadrianus Barlandus, Barthol. Latomus etc.

Iuvat etiam commemorare libellos tironum destinatos usibus, *Georgii Fabricii* elegantiarum e Plauto et Terentio libros duos, cum P. Syri mimis ab Erasmo et eodem Georgio expositis excusos Lipsiae 1558. 8. *Henrici Decimatoris* Gifhornensis succum et medullam Terentianam, libris V. Halae Sax. 1597. 8. *Pauli Peraeis* latine dicendi formulas e Terentio collectas, Budissinae 1545. 8. *Martini Hayneccii* medullam et fructus Terentianos, sive sententias Ethicas, Politicas, Oeconomicas, Physicas et Historicas cum adagiis et proverbiis Comicis Lips. 1608. 1614. 1625. 1634. 8. *Cornelii Graphei* phrases Terentianas laudatas Vignolio Marvillio, sive quicunque sub illo nomine latet T. a. Misc. Historico-litterar. pag. 121. *Pauli Tossani* Phraseologiam Terentianam, Oppenheim. 1613. 8. *M. Friderici Habersack*, Rectoris Scholae Gryphiswaldensis, nucleum Terentianum, Rostoch. 1655. 8. *Bartholdi Feind* phraseologiam Plautino-Terentianam Hamburg. 1688. 8. *Hieron. Freyeri*, Inspectoris paedagogii Hallensis flores Terentianos, Halae 1714. 8. Sed tales libelli hodie iacent: nec multum profuerint.

VII. Fuit diversus a nostro, licet sint, qui utrosque confundant, *Terentius Culleo*, Senator Romanus, quem captum a Carthaginiensibus Scipio Africanus maior vindicavit in libertatem, et triumphans eum cum pileo capiti imposito pone currum sequentem habuit, ut traditum Livio XXX. ult. Alius *Terentius Libo*, Fregellanus Poëta, cuius meminit Donatus: ut omittam *Terentium*, a quo Numae libros repertos in arca, iussu Senatus crematos refert Victor de Viris illustribus cap. 3. Sed plures Terentios collectos videre licebit a Io. Glandorpio p. 833. seq. Onomastici, et a Io. Lomeiero dierum ge-

 nialium

nialium parte I. diss. VI. De *M. Terentio d) Varrone* infra c. 7. De *P. Terentio Varrone* Atacino et de *Terentio Clemente* ICto dicturus sum inferius suis locis. Variis Terentiis commemoratis addere licebit *Priscum Terentium*, de quo, Maecenate suo, Martialis XII. 4. 14. 63. *Terentium Comitem*, de quo S. Basilii Epist. 272. et 349. Theodoritus IV. 28. *Terentium Episcopum Seleucianensem*, qui Concilio Africano a. C. 424. interfuit et Collationi Carthaginiensi a. 411. *Terentium* item *Tomorum Episcopum* in Scythia, de quo Sirmondus ad Facundi IV. 3. T. 2. Opp. p. 521. *Terentium monachum* ac presbyterum novae Laurae, qui subscripsit Concilio CPol. sub Mena a. C. 536. *M. Terentium Coracem*, quem dum tabellas scripsit, in foro mortuum narrat Plinius VII. 53. Hist. etc.

Verba Christi ad Paulum, *grave tibi erit adversus stimulum calcitrare* Act. IX. 5. ridicule quidam petita esse duxerunt e Terentii Phormione 1. 2. 28. *nam quae inscitia est adversum stimulum calces?* Vide Io. Eusebium Nierembergium XII. 14. de origine S. Scripturae, et Rev. D. Io. Frid. Mayeri Exercitationem, *num Christus legerit Platonem vel Terentium?* editam Hamburgi 1701. Sane obvium est idem proverbium in multis scriptoribus etiam Terentio antiquioribus, ut annotatum Io. Priceo et Doughtaeo ad Actorum locum, et Ioanni Nicolai in libro de calcaribus cap. XIV. Vsus quoque diu post Iulianus Imp. Oratione VIII. sive Epistola ad Sallustium fol. 246. Similis argutiae est, quod in Ausonii Convivio septem sapientum, Terentii dicta citantur a Cleobulo, *ut, ne quid nimis*, a Biante, *veritas odium parit*, a Periandro, *Meditari secum oportet in rebus secundis maxime adversis*, a Pittaco, *in tempore venire omnium rerum est primum*.

VIII. IN-

d) Hunc respiciens Symmachus lib. 1. Epist. *Scis*, inquit, *Terentium non Comicum sed Reatinum, illum Romanae eruditionis parentem hebdomadum libros, epigrammatum adiectione condiisse.*

VIII. INDEX SCRIPTORVM IN DONATI, ET EVGRAPHII COMMENTARIIS IN TERENTIVM CITATORVM,


ad paginas editionis Lindenbrogianae Francof. 1623. 4.

V. Vitam Terentii a Donato scriptam designat, E. Evanthium, D. Donatum de Comoedia.

L. Lavi-

68. 70. 71. 72. 73. 78. 79. 80. 81. 86. 89. 91. 93. 101. 102. 104. 105. 109. 110. 113. 114. 115. 118. 121. 123. 124. 127. 138. 141. 142. 143. 146. 150. 153. 155. 156. 158. 159. 164. 165. 166. 169. 172. 173. 175. 176. 182. 184. 187. 193. 198. 200. 242. 245. 253. 257. 258. 259. 262. 264. 265. 270. 272. 275. 276. 277. 280. 283. 284. 287. 288. 293. 296. 297. 298. 299. 307. 308. 309. 310. 313. 316. 319. 320. 322. 326. 331. 346. 350. 352. 353. 355. 359. 360. 363. 365. 368. 369. 370. 372. 373. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 383. 384. 385. 387. 389. 390. 391. 395. 396. 398. 403. 404. 406. 409. 410. 411. 413. 414. 417. 426. 427. 431. 435. 436. 437. 438. 439. 441. 448. 449. 450. 451. 454. 459. 462. 463. 464. 468. 469. 470. 471. 474. 479. 480. 483. 492. 498. 501. 506. 508. 510. 511. 515. 516. 517. 518. 519. 520. 521. 526. 530. 533. 534. 537. 539. 546. 550. 551. 560. 562. 565. 568. 569. 575. 577. 581. in Bucolicis 52. 262. quarto Aeneid. 307.

Volcatius V. ubi unus et deinde tres afferuntur versiculi. Mox idem dicitur Terentium non solum Naevio et Plauto et Caecilio, sed Licinio quoque postposuisse.





CAPVT IV.

T. LVCRETIVS CARVS.

I. *Lucretii aetas.* II. *Libri VI. de rerum natura.* III. *Eorum editiones.* IV. *Interpretes.* V. *Editiones promissae, obseruationes etc.* VI. *Poetae quos Lucretius imitatus fuit.*

I. T. *Lucretius Carus*, patria ut videtur Romanus, natus est, teste Eusebio, Olymp. 171. 2. anno V.C.659. ante Christum 95. *Postea amatorio poculo a) in furorem versus, quum aliquot libros per intervalla insaniae b) conscripsisset, quos postea Cicero emendavit, propria se manu interficit anno aetatis quadragesimo quarto*, V. C. 703. c) ante Christum 51. Philosophus de Epicuri Schola acutissimus, quem qui legunt, videntur ut IX. 3. ait Vitruvius, cum eo velut coram de rerum natura disputare: Poëta sublimis, idemque elegans et multae artis luminibus pictus, ac latinae linguae auctor egregius. De hoc Caspar Barlaeus lib. 2. Miscell.

Hic Phoebi furiis, furiisque exarsit Orestis.
Quam praestat solis versiculis furere.

Scriptor vitae Virgilii eo die, quo togam virilem sumsit Maro, periisse Lucretium testatur (A. V. C. 698.) *Alii eodem die quo natus est Virgilius, obiisse ferunt: et aliquis*

a) Eusebius Chron. Prosper in Chron. Pomponius Sabinus ad Virg. G. III, 202. hippomanem bibisse ait.

b) Hoc vix credibile mihi videtur. Neque eo respicere putem Statium lib. 2. Silva 7. in verbis, v. 76. *et docti furor arduus Lucretii.* Poëtarum enim furor laudabilis, *ἐνθουσιασμός*. Pro ardua *difficilem* dixit Quintilianus X. 1. quo sensu etiam Statium intelligit Barthius, qui ad eius verba conferendus T. 1. p. 260. seqq. ubi veterum loca eum laudantium vel testimonio eius libenter utentium.

c) Triennio citius mortem Lucretii assignat Is. Vossius pag. 83. ad Catullum, e Scriptore Vitae Virgilii.

quis Pythagoreus credat Lucretii animam in Maronis corpus transiisse, ibique longo usu et multo studio exercitatum Poëtam perfectissimum obiisse. An sibi ipsi manus attulerit incertum: interiit anno aetatis suae 43. et miserrimam, quam olim ludibrio habuerat, nimis cito expertus est immortalitatem. Haec Thom. Creech.

II. Exstant eius *libri VI. de rerum Natura*, ad C. Memmium Gemellum *d*) Heroico poëmate, versibus iucundo antiquitatis sapore conditis, Epicuri de rebus naturalibus sententiam, sed et impios eius errores disertissime explicantes. Non plures a Lucretio libros *e*) huius argumenti scriptos esse, ut male coniiciebat Gyraldus dialog. IV. de poëtis T. 2. Opp. p. 197. secutus Philippus Beroaldus et Barthius LII. 4. Advers. Lucretio ipsi testi credimus, qui libro sexto v. 91. *supremae praescripta ad candida calcis spatium* currere se affirmat. Exordium Operis idem quoque, quod nos hodie, legit olim Ovidius 2. Trist. v. 261.

Sumserit Aeneadum genetrix, *ubi prima requiret.*
Aeneadum genetrix, unde sit alma Venus.

Hoc est, si in manus sumserit Lucretium, cuius prima haec sunt verba: *Aeneadum genetrix, hominum divumque voluptas:* quem Ovidii sensum esse, iam pridem notavit Ludovicus Carrio lib. I. emendationum cap. VIII. Vsitatum enim fuisse veteribus, ut vocibus initialibus scripta ipsa denotarent, pluribus exemplis docet Io. Ionsius II. 5. de Scriptoribus Hist. Philos. p. 136. sq. et Scaliger ad Euseb. num. M.DCCCCLX. Quod vero in limine Operis invocat Venerem Lucretius, homo Epicureus, qui a Diis omnia humana susque deque putabat haberi, satis se duxisse existimandus est excusari more vulgato Poëtarum,

d) De hoc consulenda Gifanii prolegomena et Lambini.

e) Aliud certe opus, ni Lucretius alius, de quo Varro lib. IV. de lingua Lat. p. 9. *Lucretius suorum unius et viginti librorum initium fecit hoc:*

Aetheris et terrae genitabile quaerere tempus.

Pro Lucretio *Lucilium* legit Gifanius. Alius Lucretius Episcopus cui Feriolus Regulam Monachorum inscripsit. Vide Menardum ad Comoediam regularum p. 97.

rum, neque alia opus esse responsione arbitror ad dubitationem hanc dissolvendam, quam multos viros doctos exercuisse docet, praeter interpretes Lucretii, Creechium aliosque, Petrus Baelius, vir ingeniosissimus, in dictionario Historico pag. 1923. editionis secundae, quem de Poëta lector, ubi volet, consulet. *Memmium* cui poëma suum Lucretius inscripsit, scripsisse et ipsum versus, colligas ex Plinii lib. V. Epist. 3. Eundem Maecenatibus ac liberalibus studiorum Patronis accenset Martialis XII. 36.

Pisones, Senecasque, Memmiosque
Et Crispos mihi redde — —

Quae vero a recentiore aetate in Gallia etiamnum claret illustris Memmiorum gens, Gallice *des Mesmes*, si Bernhardum Monetam audimus, Latine Maximorum potius nomine appellanda erat. vide Menagiana T. IV. p. 175. De illius gentis laudibus Casp. Gevartius praefatione ad tres electorum libros editos Paris. 1619. 4. Franciscus Vavassor in elogio Claud. Memmii, Hadr. Valesius in dedicatione diatribae de basilicis, aliique laudati a Graevio in Epist. ad Nic. Heinsium T. IV. Syll. Burmann. p. 610.

Lucretii placita Epicurea, carmine confutanda sibi sumserunt, Latino Heroico quidem, *Aonius Palearius*, *Scipio Capicius*, *Polignacus* Cardinalis et *Thomas Ceva* S. I. Anglico *Henricus Morus* et *Richardus Blackmore*, Gallico *Carolus Claudius Genestus*, et Italico *Alex. Marchetti*. *Scipionis Capicii* libri II. de rerum principiis, Venet. 1546. 8. prodiere, et *Palearii* libri tres pro animae immortalitate, Lucretio oppositi, ex merito laudantur a Sadoleto Epp. V. pag. 200. quos a Paleario scriptos esse, sine idonea causa dubitat Rob. Titius ex Welseri Opp. p. 878. Cardinalis *Polignaci* libri IX. de Deo auctore universi cupide expectati post specimen eorum editum, lucem viderunt, post mortem eius, primum Parisiis cura Abbatis *Caroli Rothelini*, in cuius praefatione Historia libri traditur, deinde Lipsiae 1748. 8. cura *Gotschedii*, addita Diatribe de Poëtis Philosophis. *Cevae* Philosophia nov-

anti-

antiqua, qua confutavit Lucretium, excusa est Mediolani 1704. 12. et merita laude celebratur in Diario Veneto, Giornale de' letterati d'Italia Tom. VII. p. 114. seq. *Henrici Mori* poëmata Philosophica, in quibus praecipue multa pro animorum immortalitate, praelum evasere Cantabrigiae 1647. 8. *Blackmorii*, Equitis et Medici Londinensis, poëma insigne de creatione, septem constans libris, quo Providentiam Numinis adversus Lucretium defendit, iam tertium prodiit Londini a. 1714. *Genesti* poëma pulcherrimum Parisiis primum, deinde Amstelodami a. 1717. 12. excusum hoc titulo est: *principes de philosophie, ou preuves naturelles de l'existence de Dieu et de l'immortalité de l'ame.* Idem cum amplissimi Bertholdi Henrici Brokesii metaphrasi felicissima Germanica Hamburg. 1728. 8. Sed *Marchetti* (eiusdem, cuius metaphrasin Lucretii Italicam infra memorabo) Poëma Philosophicum imperfectum ab auctore relictum, nec luci datum est, cuius initium exstat in Diario Veneto Tom. XXI. pag. 258-260. Nec Germanis nostris deest, quem ingeniosis hisce Religionis assertoribus Poëtis accensere cum laude, et Lucretio opponere possimus, laudatus *Brockesius*, cuius carmina suavissima vernacula de Creatoris et rerum creatarum admirandis iam saepius post primam a. 1723. Hamburgi vulgatam editionem recusa quatuor Voluminibus in 8.

Si quis titulum modo consulat, facile putet Lucretio etiam oppositum esse librum Belgica prosa Amst. 1710. 8. ab Henrico Wyermarsio vulgatum hoc titulo: *de ingebeelde chaos, en gevaande werels vording der oude en hedendaagze wysgeeren, verideelt en veerlegt, byzonder de gevoelens hier omtrent van* T. Lucretius Carus *en Dirk Santvoort, f) betoonende dat ze de beginzelen der Werelt*

f) De Santvoortii libro de oorsaak van de bewegingen de Beginsein der vaste lichamen, et de scripto Wyermarsii vide clarissimi Viri Christoph. Augusti Heumanni Acta Philosophorum edita Germanice, parte VII. p. 121. seq. Unschuldige Nachrichten von theologischen Sachen anno 1717. pag. 424. seq.

ailt, dat is, vording van Zon, Maan, Aardklot enz volgens hin eygen gronden niet wel afgekyden betrogt hebben. Ment een verstandige verklaring wegen Gods inblyvende en overgaande verking. Sed qui scriptum ipsum evolverunt, putidum Spinosae asseclam, derisorem sacrarum litterarum impium, et religionis contemtorem Lucretio ipso haud meliorem illo prodi observant.

Substantiam et corpus aeque late patere, omne extensum esse corporeum (cum suo consectario, Spiritus nusquam esse) nihil fieri posse nisi ex praeiacenti materia: vel, quod idem est, nihil posse creari. Omne corpus motum ab alio corpore moveri. Omnia Mundi phaenomena rationibus pure mechanicis posse explicari. Cohaerentiam corporum, atomorum hamatarum unione contineri, et id genus alia fere infinita, praesertim apud Democriti *et* Epicuri *sectatores, apud* Lucretium *prae ceteris: quem cum admodum adolescens evolverem, putabam profecto subinde, me satyrum quempiam simiumve senem e sylphis philosophantem audire, adeo omnia ex solo sensu externo, crassaque imaginatione deducebantur. Quod genus Philosophos innumeros e lustris lotisque desertis credibile est iamdudum confluxuros fuisse, si Deus ac Natura brutis animalibus loquendi scribendique facultatem concessissent. Ipsa enim facile potuissent prolixas crassarum imaginationum concatenationes sive carmine sive soluta oratione, ornate et copiose deducere et enarrare. Hoc vero proprie philosophari non est, sed materialia αἰσθήματα καὶ φαντάσματα inani opera recensere.* Haec Henricus Morus, Theologus et Philosophus Anglus in Confutatione Cabbalae Aëtopaedomelissaeae T. 1. Opp. Philosoph. pag. 527.

Invocationem Veneris, in limine libri primi Lucretii, exposuit Gallicis versibus pluribus Poëtria ingeniosissima Deshoulieria Tom. 2. carminum, editorum Gallice Bruxell. 1708. 8. p. 80. *imitation de Lucrete, en galima-*

limatias fait exprés. De invocatione illa videndus etiam Petrus Victorius, Epistola ad Ioannem Casam. Io. Clerico viro doctissimo T. XXVI. Bibl. selectae p. 154. rectius facturus fuisse videtur Lucretius, si Rationem sive Mentem tanquam Deum in limine poëmatis potius, quam Venerem implorasset. Sed Lucretius sensibus plus quam rationi tribuens, et generationem rerum cupiens exponere, nullum magis physicum numen quam Venerem appellare se posse existimavit. In Lucretium scripserat olim *Velius Longus*, cuius commentarii citati a Charisio p. 187. edit. Putsch. iam pridem intercidere.

III. De editionibus primis Operis Lucretiani adeundus *Lambinus* in praefatione editionis suae: cuius iudicium etiam probat *Thom. Creech.* Prima Lucretii editio est *Veronensis g*) a. 1486. fol. per Paulum Fridenperger Passaviensem (de Patavia Allemagnae.) Inscribitur: *De rerum primordiis natura ad Memmium, libri VI. ad Epicuri mentem descripti.* Hanc secuta est Veneta an. 1495. 4. per Theodorum de Ragazonibus de Azula.

Veneta apud Aldum a. 1500. 4. ex *Hieron. Avantii h*) Veronensis editione, quae est rarissima: atque iterum 1515. 8. ad veterum exemplarium fidem castigata et recensita ab *Andrea Nangerio.*

Florentina Phil. Iuntae a. 1512. 8. cum praefatione et castigationibus *Petri Candidi*, qui ex *Ioviani Pontani* et *Mich. Marulli* castigatione et MStis Florentinis Lucretium emendatiorem se dare profitetur. Marullum vero nimis indulsisse ingenio, graviter conquestus est Petrus Victorius ad Ciceronis lib. XI. ad diversos Epist. 20. et Scaligero notis ad Catullum pag. 93. iudice, *nullus veterum auctorum ita male ab ullo correctorum*

g) Haec extat in Bibl. publica Academiae Vltraiectinae collata cum duobus vel tribus Codd. MSS. Ea usum se testatur clariss. Havercampius, quem vide sis ad lib. VI. v. ult. et in praefatione ad Lucret.

h) Multos bonos autores malo mangonio in Aldina officina per Hieronymum Avantium esse interpolatos notatum Iano Broukhusio ad Propertii II. 7. 76.

riorum acceptus est, ut Lucretius ab illo audaculo Graeco Marullo.

Bononiensis cum commentario *Io. Baptistae Pii* 1511. fol. apud Ascensium. Io. Baptista Pius, *Philippi* etiam *Beroaldi* praeceptoris sui castigationibus usus, in suo ad Lucretium commentario varias lectiones e MSS. Veneto Hermolai, Pomponii Romano, Mantuano Strotiorum et quarto Codri Grammatici Bononiensis, passim advocat, quae excerptae exstant ad calcem editionum Lucretii Lond. 1712. 4. et fol.

Io. Badii Ascensii altera Paris. 1514. cum *Nicolai Beroaldi* praefatione.

Vicentina, Lambino memorata, et Gifanio, non vidi, neque illam, quam Gesnerus in Bibl. cum commentariis *Petri Aponi* impressam, sed dubius ipse scripsit.

Basileensis apud Henr. Petri a. 1531. 8. a quo curata sit, nescitur; titulus quidem promittit textum ad verorum exemplorum fidem. Var. Lect. sunt in margine, sc. ex aliis editionibus.

Lugdunenses a. 1536. et 1540. 8. apud Seb. Gryphium, et minore forma anno 1546. 1558. atque anno 1564. 8. et 1576. 12.

Lovaniensis a. 1542. 4.

Lambinianae editiones viri doctissimi Dionysii Lambini, qui Codicibus quindecim MStis et Andr. Turnebi atque Io. Aurati consilio usus, octingenta Lucretii loca restituisse se profitetur, ac primum edidit Lucretium cum commentariis suis Paris. 1563. 4. deinde sine commentariis, cum brevibus tamen scholiis coniectis ad calcem, et emendationibus *Adr. Turnebi* Paris. 1565. 12. denique ex tertia recognitione et cum commentariis locupletioribus et Vita Lucretii. Paris. 1570. 4. quae editio recusa est Francofurti a. 1583. 8. Praeclare profecto de hoc Poëta promeritum Lambinum nemo aequus ac peritus lector negabit, etsi commentariorum molem reprehendit Ia-

nus

nus Rutgersius IV. 1. variarum lectionum. Atque Lambinus ipse in editione anni 1570. iniquiorem se praebuit Gisanio. Confer quaeso Iac. Thomasii librum de plagio litterario §. 447. 448.

Oberti Gifanii sequitur editio, quam diligenti studio adornavit, adhibitis Codicibus plus quam octo, et editis ante ipsum fere omnibus, Turnebi praecipue atque Lambini, tum, quae *P. Nannius i)* ad Codicem MStum Vltraiectinum contulerat, quaeque observaverat Cornelius Valerius, Gifanii Praeceptor, et Antonius Goldingamus Anglus. Praemisit et e veteribus libris indicem argumentorum, quae ab Epicuro tractantur, et praeter Laërtii et Ciceronis loca de Epicuri Philosophia, et Thucydidis descriptionem pestilentiae Atticae, quam Lucretius libro sexto imitatur, *k)* subiunxit Collectanea sua sive commentarios in Lucretium ordine litterarum digestos, atque dictionem eius cumprimis erudite illustrantes, et Scioppio quantumvis inimico mirifice probatos. Antuerp. 1566. 8. et Lugd. Batav. 1595. 8. apud Plantin. Iohannes Sambucus, cui Lucretium suum inscripsit, Gifanio copiam fecerat editionis Veronensis, manu Marulli castigatae. Vberiores vero, quos promisit, commentarii Gifaniani non viderunt lucem. In contextu ipso non semper optimam videtur lectionem amplexus esse, ut observavi collatis lectionibus, quas habeo, Codicis antiquissimi Gottorpiensis. Vide sis etiam Barthii Adversaria lib. 50. p. 2355. seq. et Tan. Fabrum, sed qui nimis sinistre passim de Gifanii labore et ingenio iudicat.

Extant etiam plures editiones minores huius temporis, ut Antverp. 1589. 12. Lugd. 1596. 12. ex Turneb. et Lambini recognitione; 1597. 1606. 12. 1611. 12. ap. Raphelengium, quam vehementer commendat Barthius ad Statium

i) Eum Lucretii editionem molitum ex Adr. Iunii Epistolis observat Thom. Crenius V. C. parte 6. animadvers. pag. 17.

k) Vide si lubet quae notavi Bibliotheca Graeca lib. 2. cap. 25. §. 4.

tium T. 3. p. 81. curatamque ait a I. Lipsio: et aliae Amst. 1616. 1620. 1626. 1613. 12.

Edidit porro Lucretium *Dan. Pareus*, Gifanii vestigia tegens Francof. 1631. 8. quo anno etiam eius Lexicon Lucretianum, e Gifanianis fere repetitum. Ei editioni *Scipionis Capicii* et *Palearii* carmina subiecta sunt, de quibus supra dictum. *Jo. Nardus* Florent. qui Flor. 1647. 4. edidit Lucretium cum notis et explanatione paraphrastica, parum feliciter in eo negotio est versatus.

A. 1662. *Tan. Faber* Salmurii edidit Lucretium cum emendationibus, conjecturis, notisque brevibus, sed eruditis; quae editio repetita est Cantabr. 1675. 1686. 12. etiam Lond. 1717. sed parum emendate.

In usum Delphini edidit cum interpretatione latina et notis *Mich. Fayus* Paris. 1680. 4. Pareum fere et Nardum compilavit, homo parum idoneus ad hoc negotium· unde notae eius plenae sunt pudendis hallucinationibus.

Cum interpretatione magis latina, brevioribus sed disertioribus argumentis, et notis doctioribus, philosophicis et grammaticis edidit, qui Lucretium totum imbiberat *Thomas Creech*, Britannus *l*) Oxon. 1695. 8. et iterum auctioribus notis Lond. 1716. 8. Idem ante Anglico carmine feliciter expresserat Lucretium, cuius tertia editio facta est Lond. 1683. 8. item emendata et suppleta passim 1715. 8. In notis ei subiectis censorem Lucretii agit, eius errores refellit, etiam interdum sententiam eius a malignis inpretationibus vindicat. Hic liber ad intelligendas res in Lucretio plurimum prodest, etiam plus editione latina.

Apud Anglos Lucretius splendide expressus typis Londini 1712. apud Iac. Tomson in 4. et f. in qua editione additae sunt Variae lectiones e MSS. collatis a N. Heinsio, Iac. Susio, Munkero et Is. Vossio et a Th. Creech iterum

l) Sibi ipse a. 1700. finivit vitam laqueo propter amores perditos, ut fama fuit: v Bernard Nouvelles liter. 1700. p. 331. 580 et 1701. p. 267. aliam caussam Swift Conte du tonneau p. 109. *il entreprit de traduire Horace en vers Anglois, mais n'ayant reussi, il se pendit de despoir.*

item e Commentariis, v. Act. Erud. T. VI. suppl. p. 193. Hanc editionem secutus est Maettairius Lond. 1715. 12. qui et in corpore Poetarum Lucretium dedit. Par nitore et venustate est editio Paris. 1744. ap. Coustelier in 12. *Io. Ant. Vulpius*, qui Patavii 1721. 8. edidit Lucretium, secutus est textum Creechianum, additis tamen variis lectionibus v. Giornale de' letterati d' Ital. T. XXXIV. p. 459.

Novissima, eaque splendidissima editio est *Sigeberti Havercampii*, quae Lugd. Bat. 1725. 4. duobus Voll. facta est. In ea sunt notae integrae Lambini, Gifani, T. Fabri, Th. Creech, cuius et interpretatio adiuncta est, Is. Vossii, item notae selectae Pii, tum ipsius et Abr. Preigeri et Var. Lect. e MSS. et edd. plus quam XXV. et indices locupletissimi. Praemissae etiam sunt Praefationes et dedicationes superiorum editionum, ut Avantii, Aldi, Pii, Badii Ascensii, Beroaldi, Lambini etc. et Vita Lucretii. Petr. Burmannus ad Gratium p. 56. Havercampum, ait, interdum contra leges metri peccasse. Omnino hoc opus suum peritioribus non valde probavit Havercampus. Inter omnes editores principatus debetur *Lambino* et *Creechio*, huic ad intelligendum maxime, illi etiam ad criticam rationem. Sed qui has res recte tractare possit, ei si suscipere novam editionem velit ἀκριβείᾳ ea, quae hodie peritis probatur, et cuius exempla recentioris temporis habemus, magnam laudem parare sibi possit. Sed absit usitata nostris temporibus festinatio, et lucri cupido.

IV. Versiones Lucretii plures exstant. Francica prima est *Guil. des Autels*, de qua v. Fr. a Cruce Cenom. Bibl. Gall. p. 138. sed clarior est versio *Mich. Marolles*, quae Paris. 1650. 8. prodiit, melius 1663. 8. addito L. X. Laertii francice verso. Laudant eam Carolus Sorellus in Bibl. Gallica, Rolandus Maresius Epp. p. 364. Patinus in Epp. a Io. Brantio editis et Iac. Costard Epp. T. I. p. 811. ut adeo iniquior videatur censura Io. Capellani, in Miscell. liter. francice editis Paris. 1726. p. 76. et 201. ubi auctorem

vocat *l'Antipode de bon sens:* nec non Marvillii Melang. liter. T. I. p. 150. — Vidit et lucem Metaphrasis versibus francicis, incerti auctoris, a. 1677. 4. Altera nobilior est prosaria *des Coutures* Paris. 1685. 12. et Amst. 1692. 12. Voll. duobus, et ex secundis curis Paris. 1708. 12. adiunctis notis novis, quibus priores vel emendantur vel defenduntur. v. Ephemerides liter. Paris. 1709. p. 468. Dicitur et *Pierre Moliere* admovisse manum novae Metaphrasi, sed eam nondum absolutam Vulcano tradidisse. v. Vitam eius p. 198. Initium Libri primi versibus elegantibus expressum ab *Henault* extat in Diario Hagensi, Journal literaire T. IV. p. 418.

Valde laudant quidam Italicam Metaphrasin *Alexandri Marchetti* Mathem. Prof. apud Senenses. Specimen eius dedit Leibnitius in Essais de Theodicée p. 511. f. Ea edita post est Lond. 1717. v. la Roche Bibl. Angl. T. I. p. 332. de ipso Nigronum in Hist. Script. Flor. p. 18. et Giornale de' letterati d'Italia T. XXI. p. 213. f. Extat et Italica versio prosaica autore *Hieron. Franchetta* Venet. 1589. 4. iudice Maffeo tamen expositio magis doctrinae Lucretianae quam versio. v. Maff. traduttori Italiani p. 62. nec vero titulus libri aliud promittit — Petr. Victorius ad Cic. Epp. XVI. 19. Lucretium politissimis versibus, ait, expressum esse a *Franc. Mario Molsa.*

De Anglicanis versionibus *Creechii* et *Evelini* supra iam diximus per occasionem editionis Creechianae. *Belgice* versibus expressit Lucretium *Ierem. Dekker*, cuius specimen est apud Petr. Rabum in Boeckfaal van Europe a. 1693. T. II. p. 251. et 1699. T. I. p. 91. Versio prosaica *Io. de Wit* prodiit Amst. 1701. 8. Libri sunt divisi in Capita, praemissis argumentis, totique operi praemissae breves animadversiones, quibus praecipui errores poëtae refelluntur: accessit et Carm. *Adr. Relandi* venustum in poesin Lucretii.

V. Non paucis Lucretii locis multum lucis attulit *P. Gassendus* in Opere de Philosophia Epicuri: quamquam eum

eum subinde reprehendunt illi ipsi, qui eum alias libenter sequuntur, ut *Creech* et *des Coutures*. Vide tamen Epistolam Ad. Preigeri ad Havercampum, in qua dicit Gassendum interdum aliter afferre loca, quam sint in textu, non e MSS. vel emendandi causa, sed memoriae lapsu, docto tamen illo et nihil alienum affingente Lucretio. Franc. Gacono credat, qui volet, (praef. ad metaphr. Gall. Anacr. p. 31.) Gassendum singulis diebus mane memoriter recitasse centuriam versuum e Lucretio.

In Lucretium infinita se notata habere scribit C. Barthius in Stat. T. 3. p. 81. *Tollius* scripserat notas in Lucretium. Eas moriens tradidit *Gerardo de Vries*, qui Lucretium commentariis philosophicis illustrare volebat. v. Henninium ad Toll. Epp. itiner. p. 77. *Isaaci Vossii* notas ineditas memorat Graevius f. ad Callim. p. 174. cuius pater promisit novam editionem ad Catull. p. 249. — In Massoni Hist. Crit. lit. a. 1713. T. 2. p. 284. medicus clarus in Anglia, *Garthius*, dicitur molitus esse novam Lucretii editionem, quae et prodiit Lond. 1714. *Vinc. Alsarium a Cruce* Prof. Med. Patavinum se a. 1632. occupatum vidisse commentario Lucretiano, narrat Gabr. Naudaeus Epp. p. 231. Ante hos *Luc. Fruterius* dicitur in Lucretium affecta habuisse, quibus adiuti sint, qui post Lambinum illustrare collectaneis tentarunt Lucretium. v. Swertii Athen. Belg. p. 518. Val. Andreae Bibl. Belg. p. 579. *Titi Ioannis Scandimensis* Commentarii doctissimi commemorantur a Bernhardino Realino, Carpensi, c. 14. annot. in varia script. loca. Lampad. Grut. T. 2. p. 367. *Andreae Riveti* notas MSS. in Lucr. laudat Servatius Gallaeus ad Lactant. II, 1. Voluit etiam edere *Io. Barbeyrat* castigatum ad MSS. et edd. vett. metaphr. Creechii et suis aliorumque notis. v. le Clerc Bibl. Choif. T. XVII. p. 242. Sed institutum abiecit, sine iactura magna literarum, ut putamus. De Britanni *Rich. Burridge* promissis in Lucretium Animadv. v. Act. Erud. 1716. p. 64. Etiam textum Lucretii cum MSS. contulerat et emendarat *Franc.*

Medices, teste P. Victorio Castigg. poster. ad Cicer. Epp. XV, 19. ubi et exemplum correctionis e L. II. adfert, quae in omnes post editiones recepta est. MSS. Codices passim extant in Bibliothecis, ut e Catalogis MSS. inpr. Montefalconii patet: duo membranacei in Leidensi inter Vossianos. Codex antiquissimus est in Bibliotheca Gottorpiensi. Nic. Heinsius in ep. ad Scheferum (T. V. Syllog. Burm. p. 21.) tria se Lucretii exemplaria supra annos 800. scripta dicit evolvisse, sed sine magno fructu. Extat et in Bibl. Leid. ed. Antv. 1565. cum MSS. collata a *Fr. Nansio* et *If. Vossio*, et ed. Lugd. 1576. notata *Casauboni* manu.

VI. Poëtas imitatus esse Lucretius cumprimis videtur, e Graecis Homerum et Empedoclem, e latinis Ennium. Lucretii vestigia non puduit legere Virgilium in Georgicis: neque semper eum vicit aut post se reliquit, ut iudicat Alexander Rossaeus, qui loca Lucretii nonnulla cum Virgilianis contulit libro tertio Virgilii triumphantis, capite VI. Obscuritatem in Lucretio reprehendit Pallavicinus. Non opus est monere eruditos, commentitiam esse inscriptionem Caesenatem, obviam in Aldi Manutii Orthographia p. 129. et Fulvii Vrsini imaginibus, atque apud Gruterum p. CCCCXXXII. 2. laudatamque a Mabillonio itineris Italici p. 42. et Bernardo Manzonio in Chronologia Caesenae p. 126. T. IX. thesauri Italiae parte VIII. *A. Lucretii Historici ac Poëtae Conditoris verissimi, cui ob excellentiam ingenii statua condonata, ac Civitati Caesenae, Roman. Coloniae deductae in hoc sacro monte dedicata.*

Claudant praesens de Lucretio caput hi versus Marulliani:

Amor. Tibulle, Mars tibi Maro debet,
Terentio soccus levis.
Cothurnus olim nemini satis multum,
Horatio satira et chelys.
Natura magni versibus Lucretii
Lepore museo illitis.

Epi-

Epigramma cultum, teste Rhallo, adhuc nulli,
Docto Catullo syllabae.
Hos si quis inter caeteros locat vates,
Onerat quam honorat verius.



CAPVT V.

C. VALERIVS CATVLLVS.

I. *Catulli aetas.* II. *Carmina.* III. *Reperta a Francisco quodam Veronensi.* IV. *Divisio in libros.* V. *Editiones una cum Tibullo et Propertio sine notis.* VI. *cum notis.* VII. *Editiones Catulli separatim illustrati.* VIII. *Alia scripta Catullo lucem afferentia.* IX. *Male ad Catullum referuntur Ciris et pervigilium Veneris.* X. *Catulli carmina deperdita.*

I. C. *Valerius Catullus a*) natus esse creditur DCLXVIII. claro genere in Sirmione, peninsula lacus Benaci in agro Veronensi. Sed Eusebius in Chronico Veronae natum affirmat, ut monet Maffeus in Verona illustr. P. II. princ. ubi de Catullo multa et eius vita: item ill. Rezzonico Disquis. Plin. T. I. p. 24. Poëta lepidus et prisca suavitate venustus, at salibus admistis passim, quod merito fugias, asperis nimium atque obscoenis. Hinc, veluti a nequitiis, *docti* nomen tulisse Barthio visus

 lib. LII.

a) *Quintum* pro *Caio* vocant nonnulli Catulli Codices et Plinii XXXVII. 6. atque cum his Iosephus Scaliger. Sed *Caium* cum Apuleio in Apologia et S. Hieronymo in Chron. If. Vossius. Alius certe *Q. Catullus* fuit, cuius integrum nomen *Q. Lucatius Catullus*, urbanus sive urbicarius, hoc est mimographus, de quo videndus Scholiastes ad Iuvenal. VIII. 185. ad verba: *clamosum ageres ut phasma Catulli* et ad XIII. 109. Q. Catulli Epigramma e Callimachi Epigr. XLIII. suaviter expressum refert Gellius XIX. 9. quod incipit: *Aufugit mi animus, credo, ut solet, ad Theotimum.* Omitto Cinnam Catulum Stoicum, quem audivit M Antoninus Imperator teste Capitolino in Marci vita c. 3. Nam et huius verum nomen Catullus erat, ut constat ex M. Antonini lib. I. sect. 13. accedit ille ad quem Martialis XII. 74 *Heredem tibi me, Catulle, dicis: Non credam, nisi legero, Catulle.*

lib. LII. cap. 16. Adversar. Sapphonis non infelix imitator. Obiisse putant Romae, cum iam Iulii Caesaris magna esset in Rep. auctoritas, *b*) circa annum V. C. DCCV. quo bellum civile Pompeio ac Reip. funestum coepit anno ante natum Ch. XLIX. Catullus autem carmine LIII. meminit Consulatus Vatinii, quem gessit ille suffectus anno V. C. 707.

Per Consulatum peierat Vatinius,
Quid est, Catulle, quod moraris emori?

Itaque ad illud saltem tempus Catullus vixit. Io. Massono *c*) autem non absurde videtur liber carminum non editus ante Caesaris mortem, hoc est post annum V. C. 710. licet nonnulla ex illis iam quindecim annis ante composuit.

Catullus Romam perductus fuit a Manlio, ad quem plura Catulli epigrammata directa exstant. Gellio est *elegantissimus Poetarum* VII. 20. ubi verborum collocationem in eo commendat. Laudant et Nepos in vita Attici, Velleius II. 36. Plinius uterque, Martialis X. 78. XI. 7. etc. Appellationem vero *docti* unde tulerit ab Ovidio III. Amor. 9. Tibullo III. 6. Martiali I. 62. VII. 98. VIII. 73. etc. non debuerat

b) Catullum Caesari quoque superstitem fuisse contendit Iosephus Scaliger ad Eusebii num. MDCCCCLX. assentiente If. Casaubono ad Suetonii Caesarem cap. 73. et Franciscus Carpentarius in Carpentarianis p. 432. sq. ita ut per *Valerium* in Epistola Ciceronis ad Trebatium VII. 11. Catullus possit intelligi. Sed vide quaeso, quae contra illam sententiam disputat If. Vossius ad Catullum p. 35. 72. 81. seq. et 317. Petrus item Baelius in Lexico. Quod vero Martialis IV. 14. scripsit,

Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni,

hoc non ita potest intelligi, ac si revera ad Virgilium carmina sua, vel carmen de passere, miserit Catullus; nam alioqui non dixisset Martialis, *sic forsan*: sed quod Martialis sua voluerit Epigrammata cum Catullianis, et Silium, ad quem scribit, comparare cum Marone; licet accurate loquendo non iam ita claruerit Virgilius, cum Catullus scriberet, ut ad eum misisse carmina sua credi possit. Sed quantacunque etiam deinde fuit Virgilii fama, non dubitasset forte Catullus, si tum vixisset, passerem suum illi iocosque mittere. Ita Martialis quoque Epigrammata sua ait se offerre Silio. Io. Isaacii Pontani autem et Boxhornii c. 35. quaest. Rom. hallucinatio tribuenda calami festinationi, Catullum Martiali iuniorem facientium.

c) T. V. Hist. Critic. Reip. literar. p. 158.

debuerat dubitare, et ſe neſcire dicere in Hypercritico Iul. Caeſar Scaliger, cum docti Poetae proprie a Latinis dicti ſint, qui non tantum proprio ingenio valebant, et intacti carminis auctores erant, ſed qui ſe ad imitationem Graecorum componebant. Ita dicitur Ennius doctus a Claudiano III. praef. de laude Stiliconis, Lucretius a Statio 2. ſilv. 7. verſ. 76. Pacuvius ab Horatio lib. 2. Epiſt. 1. 55. Vide et Propertium lib. 2. eleg. 25. verſ. 89. et eleg. 18. Sueton. Caligula p. 34. et ita uſos Latinos ea voce docet Cicero 1. de Offic. cap. 1. et de claris Oratoribus cap. 45. et 30. de Rutilio. *Haec erudite Petrus Burmannus*, V. C. Addendum tamen et hoc vel intelligendum, in imitandorum Graecorum verbo eſſe ſpectatam doctrinam Graecorum univerſam, ſine qua nec intelligi poëtae docti illi poſſent, ut Lucretius, Propertius, Horatius etc.

Lesbiam Catulli ſunt, qui putent fuiſſe Clodiam, Metelli Celeris filiam. Paſſerem amicae tribuit, avem veneream et ſalacem, qua Venerem vectari notavit Sappho: *ἅρμ' ὑποζεύξασα, καλοὶ δέ σ' ἆγον ὠκέες ςρȣθοὶ πτέρυγας μελαίνας πυκνὰ δινέντες.* Turneb. XV. 22. Adverſar.

II. Exſtat eius *Liber Epigrammatum*, *variorumque Poematum* diverſo carminis genere ſcriptorum, dicatus Cornelio Nepoti. In hoc libro occurrunt etiam num. LXII. LXIII. LXV. Epithalamia quaedam perquam amoena, et ſaeculare carmen, *d*) atque nonnulla e Sapphone *e*) verſa ac *f*) Callimacho: tum Elegia, qua fratris Troade Bithyniae defuncti mortem *g*) molliſſimo affectu luget: denique Galliambi *h*) in Atyn. Onufrius Panvinius libro ſexto antiquitatum Veronenſium c. 1. (ubi plura in Catulli laudem) p. 144. ait, eius opus dividi in *libros tres*,

 ut

d) Carmen XXXV. p. 80. edit. Iſ. Voſſii, quanquam ſaeculare eſſe carmen negat Io. Taffinus libro de ludis ſaecularibus cap. 16.

e) p. 112. carmen LII. confer, Longinum Iac. Tollii p. 76.

f) Coma Berenices. p. 253. eſt carmen LXVII.

g) Carmine LXIX. ad Manlium. p. 278. edit. Iſ. Voſſii.

h) Carmine LXIV.

ut primus versus *lyricos*, secundus *elegias*, tertius *epigrammata* contineat. Quae partitio non Catullo debetur, sed generibus carminum, quibus usum eum constat. Idem Onufrius notavit, Veronae in editissimo curiae loco statuam Catulli marmoream positam conspici inter insignium virorum Veronensium simulacra.

III. Catulli quae habemus, in Gallia primum reperta fuisse, idque eum ipsum, qui publicavit, Epigrammate scripto esse testatum, notat Iosephus Scaliger. *At enim qui Epigramma conscripsit, Baptista Guarinus Veronensis est, uti patet etiam in editione Catulli, quae apud me est, ubi legitur Hexastichum Guarini Veronensis Oratoris clarissimi in libellum Valerii Catulli, eius Concivis:*

Ad patriam venio longis de finibus exul,
 Causa mei reditus compatriota fuit.
Scilicet a calamis tribuit cui Francia nomen,
 Quique notat turbae praetereuntis iter,
Quo licet ingenio vestrum celebrate Catullum,
 Quovis i) sub modio, clausa papirus erat.

Neque vero ille versus: Scilicet a calamis tribuit cui Francia nomen, *aliam interpretationem recipit, quam a Francisco quodam repertum alicubi, et forte in horreo, codicem Catulli.* Haec Laurentius Pignorius, Epist. XVI. Idem, nempe a Guarino Veron. in lucem protractum esse Catullum, testatur Sabellicus de lingu. lat. instaur. p. 326. extr. §. Andreas Schottus lib. 2. Observationum cap. 16. p. 53. testatur, Toleti sibi ad Antonio Covarruvia, ICto egregio, utendum datum Codicem Catulli in membranis non contemnendae vetustatis, a. 1428. manu Matthaei Palmerii scriptum, qui et a. 1425. primum repertum Catullum, pessimeque acceptum in manus hominum venisse annotavit. Hexastichon vero, quod supra exhibui, et Iosephus Scaliger Guarino Veronensi tribuit, auctorem videtur habere Baptistam Guarinum filium, non patrem, quem

i) id. *Quaevis.*

quem Burmannus non potest sibi persuadere, tam detestabiles versus fecisse, idque vel ex eius discipulis, T. Strozza et Iano Pannonio, liquere ait. adde Diarium Ital. literarium T. XII. p. 365. Sententiam porro illius Hexastichi ita explicant auctores Diarii Veneti, Giornale de' letterati d'Italia Tom. XII. p. 363. *k*) ut per *compatriotam* intelligatur Guarinus Veronensis, atque adeo Catulli civis et popularis, qui eius carmina a tenebris et ab oblivione, reperto codice MSto, asseruit. *A calamis* autem est amanuensis sive librarius, qui Codicem descripsit, Franciscus quidam nomine, portae custos.

IV. Catulli Poemata in *libros tres* dividi, lyricorum unum, alterum elegiarum, et tertium epigrammatum, ante Onufrium supra laudatum scripsit Petrus Crinitus in Poetae vita; haec enim distinctio apparet in editione Veneta 1487. fol. cum commentariis *Antonii Parthenii Lacicii* Veronensis: verum in MSS. antiquis codicibus, quemadmodum in eximio illo membranaceo, quem in Bibl. Gudiana inspexi, neutiquam reperitur, atque recte in reliquis fere omnibus editionibus omissa est, etiam in Veneta a. 1493. fol. apud Simeonem Bevilaquam Papiensem, in qua Tibullus primo loco cum commentariis Bernardini Cyllaenii Veronensis, Catullus deinde cum Parthenii, et denique Propertius cum Phil. Beroaldi commentario exhibetur. Repetita editio cum commentariis *Palladii Fusci Patavini*, *Alex. Guarini Ferrariensis*, et emendationibus, saepe a Iosepho Scaligero reprehensis, *Hieron. Avantii* in Catullum, Venet. 1500. fol.

V. Catulli vetustissima editio sine loci et anni nota fol. memoratur in Catalogo Bibliothecae Alex. Petavii p. 114. quae fuit fortasse princeps ea, quae 1472. facta est, memorata Maettario et usurpata primum a Vulpio. Catullus per Stephanum Corallum editus Parmae 1473. fol, memoratur in V. C. Michaelis Maettarii annalibus typograph. p. 104.

Proxi-

k) confer Tom. XIII. eiusdem diarii p. 406.

Proxima est Veneta 1475. fol. quam Codici insigni Mst. iuxta aestimat Clariss. Broekhusius per Io. de Colonia, et per Ioannem Renensem et Dionysium Bertochum, Vicent. 1481. fol. et eodem anno Regii per Prosperum Odoardum et Albertum Mazali, Regienses fol. Sequitur Veneta 1485. cum comment. crit.

Catullus, cum commentario Antonii Parthenii, Tibullus item et Propertius cum notis, Brixiae 1486. fol. quae editio fuit Hafniae in Bibliotheca Nobilissimi Viri Nicolai Benzonis. De ea accurate agitur in Card. Quirini literat. Brix. P. I. p. 66. De aliis Venetis 1487. 1493. ante dictum: de a. 1491. 96. 97. occurrunt ap. Maettarium, quae sunt repetitiones superiorum.

In Veneta editione anni 1500. fol. quam servat Bibl. Paulina Lipsiensis, habetur Tibullus cum commentario Cyllaenii, Catullus cum notis Parthenii, Palladii *l*) Fusci sive Nigri Patavini, et Hieron. Avantii, *m*) nec non eiusdem Avantii in Priapeia castigationibus, et Propertius denique cum commentariis Philippi Beroaldi, Domitii Calderini et Ioannis Cottae, curante Hieron. Avantio, de cuius meritis in Catullum videnda sunt, quae congessit Quirinus Card. l. c.

Saepius deinde hi amorum triumviri *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius* coniunctim prodierunt, *sine notis* quidem Venetiis apud Aldum, 1502. 8. et 1515. 8. Catulli editio Aldina collata cum MS. per Nicolaum Heinsium fuit in Bibl. Menarsiana p. 523. Florent. 1503. 8. ap. Iunt. Lugd. 1518. 8. ap. Barth. Trott, Venet. 1520. f.

Alexandri Guarini Ferrariensis in Catullum a *Baptista Petro* emendatum expositiones, Venet. 1521. 4. apud Georgium de Rusconibus.

Ioan-

l) Hic Palladius circa a. 1470. floruit. Vide Vossium de Historicis Latinis p. 601. Diarium Venetum, Giornale de' letterati d'Italia T. XVII. p. 278 seq.

m) Idem Avantius praefat. ad Lucretium: *Diu, fateor, laboravi, quum Viro insigni obsequens emendare aduiterer Catullum, Priapeia, Ausonium, Plinii Epistolas ac Papinii silvas: quas omnes castigationes nunc impressas adolescens publicavi.*

Ioannis Ioviani Pontani Commentarius Sannazario et aliis laudatus, non vidit lucem. vide Diarium eruditorum Italiae T. XX. p. 125.

Parif. 1529. 8. item post 1543. 16. apud Colinaeum, et 1514. 1543.

Basil. 1529. 1530. 8. 1569. 8. item postea 1592. 8. Venet. 1531. ap. Melch. Sessam.

Antuerpiae 1560. 16. 1569. 12. e recensione *G. Canteri* ap. Plantin etc.

Lugd. Bat. 1588. 12.

Lugd. 1559. 8. 1561. 12. 1594. 12. et apud Gryph. 1535. 1546. 1551. cum *Galli* fragmentis 12. et apud heredes eius 1561. 1571. 1573. 8.

Hanoviae 1608. cum *Corn. Galli* poematis et indice omnium verborum, quem concinnavit *Horatius Tuscanella* Florentinus.

Amsterod. 1619. 1630. 1664. 1670. 1686. forma minore.

Parisiis e typographia Regia, typis maioribus, fol.

Cum variis Lect. Cantabrig. 1702. 4. eximia editio apud Tonsonum.

VI. *Cum notis M. Antonii Mureti* Lugd. 1554. 8. apud Manut. Aldi fil. 1559. 8. Venet. 1558. 1562. 8.

Cum commentario erudito *Iosephi Scaligeri*, Parif. 1577. 8. apud Patissonium.

Heidelb. ap. Comelin. 1600. 8. in qua Scaligeri notae auctae et correctae ab ipso multis locis sunt. et 1607. 12. minus emendate.

Cum notis Mureti et Scaligeri. Antvv. 1582. 8. 1587. 8.

Cum praecidaneis *Iani Dousae* pro Catullo et coniectaneis *Iani Dousae filii* in Catull. Tibull. Propert. et *Patris* paralipomenis in Propertium, Lugd. Bat. 1588. et 1592. 12. quam omnium emendatissimam esse iudicat N. Heins. ad Virg. Aen. VII. 110. item 1603. 16. quae editio serio correcta dicitur.

Cum notis variorum, Parif. 1604. fol. curante Fed. Morello, qua in editione exstant notae integrae ad *Catullum*

lum quidem Antonii Parthenii, Palladii Fuſci, Achillis Statii, Mureti, Douſae Fil. Ioſephi Scaligeri, et Theodori Marcilii, Roberti item Titii praelectiones in carmen LXIV. et Franciſci Robortelli ac Conſtantini Landi, Complani Comitis, in Epithalamium Iuliae et Manlii (LXII.) Florentis quoque Chriſtiani Metaphraſis Graeca Carminis LXIII. cum notis. Praeterea *ad Tibullum* Bernardini Cyllaenii Veronenſis, Achillis Statii, Mureti, Scaligeri, et Douſae Fil. Denique *in Propertium* Philippi Beroaldi, Mureti, Douſae Patris, filiique, et Ioſephi Scaligeri, tum Io. Annii in Propert. IV. 2. Subiiciuntur quoque Douſae praecidanea et ſuccidanea in Catull. Tibull. Propert. et Hieron. Avantii Veronenſis in Catullum emendationes. Roberti Titii praelectiones ad Catulli Galliambos in hac editione Pariſienſi minus emendate ſunt excuſae, ut apparet ex Marci Velſeri Epiſtola ad Titium Opp. p. 874. Conſulenda igitur editio illarum praelectionum Bononienſis, excuſa anno 1599. 4.

Hanoviae cum indice Tuſcanellae et comm. Galli poëmatis 1608. 8.

Cum eximio *Io. Paſſeratii* commentario, Pariſ. 1608. fol. Cum *Iani Gebhardi*, qui ſubinde Scaligero iniquior eſt, notis Hanov. 1618. 8. item eiusdem et *Io. Livineii* Francof. 1621. 8. addito *Iani Meleagri* ſpicilegio et indice Tuſcanellae. Aureliae Allobr. 1640. 4. laudatur in Bibl. Bodl. Catal. Cum ſelectis *Variorum* commentariis, curante *Simone Abbeſio Gabbema* Traiecti 1659. 8. ſubiunctis elegiis, quae Cornelio Gallo tribuuntur.

In uſum Delphini, opera *Philippi Sylvii* a), Pariſ. 1685. 4. In qua editione Sylvius exiguum operae pretium fecit, unde paſſim exagitatur ab acutiſſimo Brouckhuſio ad Propertium. Vide etiam ſis illuſtrem Ezech. Spanhemium ad Callimachum p. 424. et Nic. Diſpontini praefationem collectaneis ad Phaedrum praemiſſam. In hac editione, ut in aliis ad Delphini uſum editis ſcriptoribus omni-

a) Acta Erud. a. 1686. p. 215.

omnibus, obscoena et lasciva suis rescissa et omissa locis sunt, consilio non improbando, nisi hac ratione quod loca eadem congesta ad calcem Voluminis deinde iunctim exhibent, plures etiam ad ea legenda allicerentur, quorum forte oculos eadem Scriptoris corpori suo loco inserta citius latuissent. Nam πλεῖστοι κακοὶ, πλεῖστοι ἀργοί, pauci solidam eruditionem consectati integros legunt auctores: multi contra, qui eos obiter evolvunt, missis utilibus, ut κάνθαροι irruunt εἰς τὴν κοπρίαν, cuius gustu tenentur, quamque gaudent et gratulantur sibi ab editoribus congestam veluti in cumulum. Angli quidem quoties editiones in usum Delphini curarunt recudi, loca illa suis quaeque locis restituerunt, etsi vicissim indices omnium vocabulorum minus plenos passim ab illis exhiberi dolet Thom. Crenius V. C. part. III. animadvers. p. 6.

Cum notis integris Scaligeri, Mureti, Achillis Statii, Rob. Titii, Hieron. Avantii, Iani Dousae patris et filii, Theodorique Marcilii et selectis *Passeratii aliorumque* notis, cum praef. *Io. Georgii Graevii*, Traiecti ad Rhen. 1680. 8. parum accurate et emendate.

Splendida contra et accurata est edit. Cantabr. 1702. 4. cum Var. Lect. e MSS. et edd. antiquis.

Praeclara quoque horum triumvirorum editio Patavina non praetereunda, quae a. 1710. 4. lucem vidit cum *Io. Antonii Vulpii* annotationibus et indice omnium ferme vocum, observationibus Grammaticis, Historicis, Geographicis et Mythologicis illustrato.

Catullus, Tibullus, Propertius ex recensione *Michaelis Maettarii* o) Lond. 1715. 12. Ab eodem Corpus Poëtarum post Genevenses et Lugdunenses editum, in quo Catullus similiter cum Tibullo, et Propertio exstat. Lond. 1713. fol. Catullus, Tibullus, Propertius, curante Abbate Brochardo, ad optimorum exemplarium fidem recensiti, cum MSS. Codicum variis lectionibus margini appositis, ad celsissimum Aurelianensium Ducem. Editio splendida emen-

o) Bibl. ancienne et moderne Tom. V. p. 155.

emendataque Parif. 1723. 4. Cenfurae huius editionis, quae Mercurio eleganti menfis Februarii a. 1724. inferta legitur, refponfum in Aprili eiusdem anni. Confer. Memorias Trevoltinas a. 1724. pag. 1562. feq. Journal des Sav. 1724. p. 572. Porro Parif. 1743. Voll. 3. ap. Couftelier.

VII. *Catullus feorfim editus* cum *A. Mureti* notis apud Aldum Pauli F. 8. 1558. non adeo emendate, ut notavit Thom. Crenius parte X. animadverf. pag. 61. Secuti deinde feparatis voluminibus Tibullus et Propertius.

Cum commentario *Achillis Statii* Lufitani Venet. 1566. 8.

Cum eruditiffimo *If. Voffii p*) commentario Lond. 1684. 4. quae editio reliquis quidem hactenus praeftat. Vfus Voffius eft praeter alios Codices omnium vetuftiffimo Mediolanenfi, quem laudat paffim, et reliquis uti antiquiorem ita emendatiorem quoque effe praedicat pag. 215. Vtinam vero politiffimi vir ingenii, Ianus Bruekhufius, cui Propertium debemus ac Tibullum, fimiliter etiam Catullum potuiffet abfolvere, quem expoliendum ingenioque et doctrina fua illuftrandum fibi fumferat: ita nihil effet amplius, quod ad venuftiffimi Poëtae lucem Studiofi poterunt defiderare. If. Voffii Catullo, per Hadr. Beverlandum curato, in quibufdam exemplaribus praefixus novus titulus Lugd. Bat. 1697. 4. Sed idem ille *Vulpius* qui triumviros hos amorum iunctim ediderat, etiam Catullum feparatim copiofo cum Commentario edidit Patavii a. 1737. 4. Notae non tam in emendando et interpretando, quanquam in hoc quoque, quam in conferendis locis veterum et recentiorum poetarum, in quibus eadem fententia fimili aliove modo expreffa eft, etiam per imitationem, ut lectores haberent exercitationem ingenii aptam ad imitatio-

p) Nifferonus, Barnabita, in memoriis de vita Virorum eruditorum Gallice editis T. XIII. p. 140. tradit magnam partem commentarii Beverlandini de proftibulis veterum huiusce Voffii in Catullum commentario infertam fuiffe. Hoc alius credat, qui neutrum noverit, non ego, qui longe magis mihi perfuadeo Beverlandum ex Voffii, cuius erat amanuenfis, commentariis profeciffe.

tationem, itemque ut copia verborum et sententiarum comparari possit.

Nic. Heinsii notulae in Catullum editae sunt a P. Burmanno ad Calcem Adversariorum Heinsianorum.

Codex carminum Catulli eleganter scriptus in membrana, qui olim fuit V. C. Marquardi Gudii, una cum aliis eiusdem MSS. optimae notae pervenit in Bibliothecam Guelferbytanam Serenissimi Ducis Brunsvicensis. Aldinam editionem Catulli, Tibulli ac Propertii vulgatam anno 1502. 8. habeo castigatam passim et emendatam manu viri docti. — Codicem Catulli, Tibulli et Propertii, sylvarumque Statii ab Antonio Sinibaldo Florentiae anno 1484. descriptum Neapoli in Bibliotheca Olivetanorum, vidit Bernhardus de Montfaucon, ut refert ipse in Diario Italico. p. 305. — Exemplar Catulli MS. quod Mediolani servat Bibliotheca Ambrosiana, mirifice praedicat Iosephus Ripamontius in Card. Borromaei vita. Lucas Holsteinius in Epist. Tomo V. Sylloges Burmannianae p. 435. *Iani Broukhusii* schedas MStas in Catullum nactus *David Hoogstratanus* novam eius Poëtae editionem notis illustratam meditabatur, sed morte praereptus est 21. Nov. a. 1724.

VIII. *Bernardini Realini* Carpensis, S. I. commentarius compositus a Iuvene vix XX. annorum, antequam societatem ingrederetur, *in nuptias Pelei et Thetidis:* cum annotationibus eius in varia scriptorum loca, recusis in Tomo secundo Facis Criticae Gruterianae pag. 355-371. vidit lucem Bononiae 1551. 4.

Rob. Titii praelectiones ad Catulli Galliambum sive Carmen LXIV. Bonon. 1599. 4. cum aliis quibusdam eius viri scriptis prodierunt, et in Graevii editione Catulli leguntur, atque in Parisina a. 1604. fol. p. 216. Illa Parisina in quibusdam exemplis praefert etiam annum 1608. vel 1615.

Catulli Epithalamium Graeca Metaphrasi poëtica donatum a *Q. Septimio Florente Christiano.* Paris. 1587. 4.

apud Morell. et in editione Parisiensi Catulli, Tibulli, Propertii, a. 1604. fol. 197. seq.

Catulli *Phaselus* cum annotationibus doctorum virorum et parodiis per *Sixtum Octavianum* prodiit Eboraci 1579. 8. et Lugd. 1593. 12. Idem Catulli carmen cum *Andreae Senftlebii* commentario et parodiis amplius quinquaginta, et Graeca *Iosephi Scaligeri* Metaphrasi, e Bibliotheca Nic. Henelii. Lips. 1642. 8. *Pauli Melissi* parodia phaseli Catulliani in eius poëmatibus obvia est p. 39.

IX. Amores Catulli ex poëmatis ipsius petito argumento Gallica prosa ingeniose descripsit, coniecturisque suis explicuit *Ioannes Capellanus* (de la Chapelle, qui et an. 1712. amores Tibulli descripsit) Paris. 1680. et Amst. 1699. 12. duobus voluminibus, atque inter eius opera Paris. 1700. 12. Gallum secutus Germanus est in libro cui titulus: *Ioachim Meyers* von Perlenberg Durchlauchtigste Romerin Lesbia etc. Lips. 1690. 8.

Catulli casta carmina, selecta a *Raph. Eglino Iconio*, cum eiusdem vindiciis *Ciris* Catullianae, adversus Iosephum Scaligerum. Francof. 1606. 12. additis Scioppii epithetis et synonymis poëticis et notis eiusdem ad Claudii Verdierii censionem. Qui sub *Imperialis* nomine complures fabulas Romanenses sermone vernaculo Germanico (ut *Io. Capellanus* sive *de la Chapelle* Gallico) edidit, testatur, etiam praelo paratam se habere Deliam, Cynthiam et Lycoridem, sive Catulli, Tibulli ac Propertii poëmata versibus Germanicis expressa sic, ut fabulae eroticae illa intexuerit, et rerum Augusti Imperio Romae gestarum non inamoenam narrationem fuerit persecutus.

Epithalamium Thetidis et Pelei redditum carmine Italico a *Ludovico Alamanno q)*, qui primus in Heroicis usus fuit genere versuum liberiori, quod Italis *versi sciolti r)* appellatur: uti post Alamannum deinde fecere Ludovicus Martelli in Metaphrasi libri quarti Aeneidos, Hippoly-

q) Giornale de' letterati d' Italia T. XXXIII. p. 324.

r) Quasi *versus solutos* dixeris, et homoeuteleutorum lege liberos.

polytus de Medicis in Metaphrasi libri secundi, Trissinus in Claudiano de raptu Proserpinae, et alii deinde in aliis.

Petrus Taissand Quaestor Burgundiae a. 1715. aet. 72. defunctus inter alia inedita, quae in eius vita memorantur, reliquit versionem Gallicam Officiorum Ciceronis et Metaphrasin Catulli. Vide Journal des Savans 1716. Sept. pag. 300.

In Catulli *Attin* emendationes sunt in Miscell. Obs. Dorvil. Vol. II. p. 323. sq. item in Carmen X. *Varus me meus.* Vol. V. p. 1. seq.

X. Praeter rem omnino *Cirin* Catullo tribuit Eglinus, ut dicam infra in Virgilio, quem Catulli non raro imitatorem docet Leonhardus Friso libro tertio de poëmate. Neque verius alii *Carmen de Vere*, sive *Pervigilium Veneris* ad Catullum auctorem retulerunt, quorum sententiam confutat Lipsius libro I. Electorum capite V.

XI. *Dubitandum vero minime est, opus Catulli ad nos lacerum pervenisse. Longe enim plura scripsisse testes sunt veteres Grammatici, qui de eius poëmatiis ea producunt, quae hodie non extant. Itaque apud Virgilium lib. V.* per mille coloribus arcum, *ibi Servius:* De iride arcum in genere masculino dixit. Virgilius, Catullus, et alii in foeminino, referentes ad originem. *Atqui tale nihil hodie in Catullianis. Praeterea eius opus videtur in genera carminum distincta fuisse,* Hendecasyllabos, Heroica, Lyrica, Elegiaca. *Itaque Charisius citat Catullum* in Hendecasyllabis, *quod sane non fecisset, nisi ita tributum fuisset volumen. Rursus apud Virgilium legimus* — Et quo te carmine dicam Raetica? — *Ibi Servius refert, Virgilium, quum sciret Raeticum vinum summopere laudari a Catone, contra autem vituperari a Catullo, ne se in eam dissensionem interponeret, hoc modo locutum. atqui in hodiernis Catullianis nulla nota eius rei extat. Denique Nonius ex Priapeo Catulli adducit:* de meo ligurire libido est.

 Quare

Quare admodum mutilum opus Catullianum ad nos pervenisse minime dubium. Quid praeterea dicam, quae citat ex Catullo Maurus Terentianus, quae nusquam comparent. Haec de carmininibus Catulli perditis Iosephus Scaliger, quibus inepte quidam *Phasma* et *Laureolum* e Iuvenale ac Tertulliano adiungunt. Vid. Sam. Petitum ad Leges Atticas p. 245. seq. et Pamelium ad Tertullian. c. XIV. contra Valentinianos. *Phasma* Q. Lutatii Catuli, et *Laureolum* Naevii vel Laberii, neutrum vero Catulli esse, eruditis iam notatum.

Carmen Catulli *de incantamentis* citat Plin. XXVIII. 2. *Ithyphallica* memorat Terentianus Maurus.



CAPVT VI.

DE CORNELIO NEPOTE.

I. *Corn. Nepotis aetas.* II. *Vitae quae exstant.* III. *Earum auctor diversus ab Aemilio Probo.* IV. *Editiones.* V. *Versiones.* VI. *Alii libri obss. etc. in Corn.* VII. *Scripta deperdita.* VIII. *Fragmenta, et de Corneliae matris Gracchorum Epistola ad C. Gracchum.* IX. *Scripta Nepoti falso tributa, liber Aurelii Victoris de Viris illustribus.* X. *Daretis latina interpretatio duplex.* XI. *Versio latina Epistola Alexandri M. de mirabilibus Indiae.* XII. *Plures Cornelii Scriptores.*

I. *Cornelius Nepos* natus fertur in Hostilia *a*), qui vicus est Veronensium in transpadana Italiae parte, quae antiquis Gallia togata appellabatur. Padi accolam vocat

a) Vide Vossium lib. 1. de Hist. latin. c. 14. Onuphrius Panvinius Veronensis in catalogo illustrium scriptorum Veronensium libro sexto Antiquitatt. Veronens. p. 145. *Constantissimo civitatis nostrae testimonio Cornelium Nepotem virum doctissimum et antiquitatum omnium peritissimum Veronensem fuisse traditur, cui in summa cum Catullo, Vitruvio et reliquis Veronensibus illustribus etiam statua posita est ex publica auctoritate.*

vocat Plinius III. 28. Hist. Scriptor ingenio, studio veritatis, sermonisque pura ac succincta elegantia laudatissimus, Catulli, qui ei carmina sua inscripsit, civis et amicus, amicus etiam Ciceronis, et T. Pomponii Attici, cuius rebus domesticis saepe propter familiaritatem interfuisse testatur in eius vita c. 13. A Callisthene liberto *b*) venenis corruptus obiit primis annis principatus Augusti; hoc est post annum V. C. 724. qui fuit ante Christum natum XXX. De Nepote extat singularis dissertatio Dan. Guilelmi Molleri, Altdorfii a. 1683. 4. cui iungendus Ioannes Nicolaus Funccius de virili aetate Latinae linguae parte 2. p. 224. seq.

II. Exstant eius *Vitae Excellentium Graeciae Imperatorum sive belli ducum XX.* dicatae Pomponio Attico, atque uno volumine concludere gestientes, quorum separatim multis millibus versuum complures scriptores ante eum explicaverant, ut ipse ait in Epaminonda cap. 4. Ducum intellige *1. Miltiadis*, *2. Themistoclis*, *3. Aristidis*, *4. Pausaniae*, *5. Cimonis*, *6. Lysandri*, *7. Alcibiadis*, *8. Thrasybuli*, *9. Cononis*, *10. Dionis*, *11. Iphicratis*, *12. Chabriae*, *13. Timothei*, *14. Datamis*, *15. Epaminondae*, *16. Pelopidae*, *17. Agesilai*, *18. Eumenis*, *19. Phocionis*, et *20. Timoleontis*. In quibusdam editionibus, ut Oxoniensi a. 1675. et 1697. 8. additur Vita Aristomenis Messenii, non auctore Nepote, sed Pausania, ex eius Messeniacis, graece ac latine. Imperatorum Graecorum vitis Nepos subiecit 21. brevem *de Regibus* Persarum Graecorumque commemorationem, in cuius initio innuit omnium se res gestas separatim retulisse, qui liber hodie non exstat. Sed exstat praeterea Vita 22. *Hamilcaris* Barcae, et 23. filii eius *Hannibalis*, Imperatorum Carthaginensium. Romanorum quoque belli ducum vitas similiter tradiderat Nepos, e quibus sola aetatem tulit 24. *Catonis* maioris, in cuius extremo testatur se de Catone separatim librum fecisse rogatu T. Pomponii Attici

 Sed

b) Plutarchus in Lucullo, extremo.

Sed et ille pridem intercidit. Denique Nepote auctore ſcriptam habemus huius ipſius 25. *Attici c*) vitam, quam inter Ciceronis Epiſtolas ad Atticum ſervatam notat Vinetus ad Auſonii Idyll. VII. Eius priora duodeviginti capita Attico vivo Nepos edidit, cetera poſt eius obitum ſubiunxit. Capite XVIII. ſcripta Attici commemorat, de quibus vide ſi placet, quae ibi annotarunt viri docti; nihil enim eorum aetatem tulit, licet ad nos perveniſſe, quae de familiis Romanis, quae de Magiſtratibus ſcripſerat Atticus, etiam atque etiam erat optandum. Integrum nomen *Attici*, cuius vitam Nepos deſcribit, eſt *T. Pomponius Atticus*, et poſtquam a Q. Caecilio avunculo eum contigit adoptari, *Q. Caecilius Pomponianus Atticus*, ut notatum Ezechieli Spanhemio T. 2. operis de uſu numiſmatum p. 81. Epicureum fuiſſe multa ſuadent, etſi diſerte hoc videtur negare Cicero XIII. 1. Epiſt. ad familiar. Confer Petrum Victorium in caſtigationibus ad Ciceronem pag. 203. Abbatis de S. Real Caeſarionem, in eius dialogis Hiſtoricis Moralibus p. 91. ſeq. Guil. Templeum in diſſertat. de horto Epicuri Tom. 2. Opuſculor. Gallice editorum pag. 115. 117. auctorem diſſertationis inſertam diario Hagenſi (Journal litteraire T. V. pag. 141. ſeq.) denique Nic. Mongaltum, Epiſtolarum Ciceronis ad Atticum interpretem Gallicum, et ex illo Petri Baelii Novellas Reip. litterariae a. 1686. p. 1405. ſeq. Memorias Trevoltinas a. 1714. pag. 1907. Iac. Bernardum in novellis Reip. litterariae a. 1716. p. 298. et Henrici Chriſtiani Crellii diſſ. de Attico nec forti nec ingenuo cive. Lipſ. 1720. 4.

III. *Aemilium Probum*, ad quem veluti auctorem vitas Imperatorum variae editiones male referunt, conſtat vixiſſe ſub Theodoſio Imperatore, cui Nepotis volumen ſua et avi ſcriptum ac recenſitum, matris manu ornatum forte

c) In codice Giſanii ante vitam Attici legebatur: *Ex libro Cornelii Nepotis de latinis Hiſtoricis.* Sane de illuſtribus Hiſtoricis librum ſe feciſſe teſtatur Nepos in Dione, ut Voſſio etiam animadverſum. Vitam Attici ſeparatim cum notis, gloſſario et nomenclatore edidit Henricus Ernſtius Amſt. 1658. 8. Obiit Atticus A. V. C. 722. aet. 77.

forte et expolitum, obtulit, ut colligere licet ex ipsis illis versibus antiquo Codici praefixis, e quibus Probum auctorem harum vitarum facere viri docti voluerunt:

Vade liber noster, fato meliore memento:
Cum leget haec dominus, te sciat esse meum.
Ne timeas fulvo strictos diademate crineis
Ridenteis blandum vel pietate oculos.
Communis cunctis, hominem sed regna tenere
Se meminit, vincit hinc magis ille homines.
Ornentur steriles, facilis tectura libelli,
Theodosio, et docti, carmina nuda placent.
Si rogat auctorem, paullatim detege nostrum,
Tunc Domino nomen, me sciat esse Probum.
Corpore in hoc manus est genetricis, avique, meaque?
Felices, Domini meruere manus.

Diversus ab Aemilio Probo et iunior est Probus vir doctus et illustris, de quo Sirmondus ad Ennodii lib. VII. Epist. 27.

IV. Prima Cornelii Nepotis vitarum editio sub Aemilii Probi nomine Venetiis 1471. fol. per Nicolaum Ienson, absoluta, VIII. Id. Martias, quam vidit V. C. Mich. Maettarius pag. 92. annal. typograph. Fuit eadem in Bibliotheca Cardinalis du Bois.

Prodierunt inde Venetiis an. 1473. fol. qua editione usum se testatur Ioanne Savaro.

Inde Parmae a. 1480. et Brixiae 1498. fol. quae editio fuit in Bibl. Menarsiana p. 68.

Huius aetatis esse videtur editio *P. Corneri* sine loci et anni nota 8. Ea sine dubio Mediolani facta est. Recensetur a Maetario T. I. Ann. typogr. T. I. pag. 762. et in Saxii Hist. liter. Mediolan. p. 613. v. et Heusingeri V. C. ad calcem Theodori de Metris ab eo editi pag. 122. Est in Bibl. Guelferbytana.

Venetiis iterum 1499. quam et ipsam Io. Savaro inspexit.

Sub Aemilii Probi nomine prodiit Nepos etiam Argentorati 1506. 4. ex aedibus Schurerianis, una cum Plutarchi parallelis et libello de virtutibus mulierum.

Tertia Veneta editio, Aldina, 1522. 8. eidem Savaroni, perinde ut binae Venetae priores inspectae, adiunctos habet Iustini historiarum libros.

Hinc lucem vidit Coloniae apud Gymnicum, 1543. 8. cum scholiis *Gyberti Longolii*, quae recusa etiam sunt in editione Lugd. Bat. 1642. 12. et in Francofurtensi 1608. fol.

Parisiis quoque, edente Henrico Stephano 1560. 8. ad calcem vitarum Plutarchi ex versione *Hermanni Cruserii*, ut alias latinas vitarum Plutarchi editiones quasdam antiquiores, in quibus itidem Nepos habetur, omittam. Quemadmodum et vitam Attici obviam in editionibus Ciceronis ad Atticum, ut Romana 1490. fol.

Basileae 1563. cum *Hieronymi Magii* annotationibus.

Parisiis ex emendatione *Dionysii Lambini*, cum eruditis eius commentariis. 1568. 4. De plagio quod Lambino Gifanius impegit, consulendus Iac. Thomasii liber §. 448.

Ex recensione *Nathanis Chytraei*, Bardi Pomeranor. 1594. 8.

Editus praeterea Nepos Parisiis 1602. forma minore cum castigationibus et notis viri docti *Io. Savaronis*. Eadem editio repetita Lubecae 1628. eadem formae parvitate.

Francof. 1608. fol. ap. Claud. Marnium et haeredes Io. Aubrii, in qua praeclara editione post librum Aurelii Victoris de viris illustribus, commentario A. Schotti illustratum, exhibentur Cornelii Nepotis fragmenta ab Andr. Schotto collecta cum eius notis: Petri Nannii Alcmariani de claris Corneliis liber, vita Scipionis Aemiliani a Sigonio scripta, et notae integrae in Cornelium Nepotem Andr. Schotti, Lambini, Longolii, Magii et Savaronis. Denique castigationes et observationes a Petro Daniele adnotatae ad editionem Coloniensem, collato vetere MS. codice,

dice, qui deinde pervenit ad Obertum Gifanium. Praefigitur volumini Chronologia Imperatorum Graeciae ab Andrea Schotto per Olympiades digesta, quam in sua etiam editione servavit Curtinus.

Savaronis et Giberti Longolii notae subiiciuntur Cornelii Nepotis editioni, quae minore forma lucem vidit Lugd. Bat. ex officina Io. Maire a. 1642.

Cum *Iani Gebhardi* spicilegio notarum, Amst. 1644. 12. 1662. 12.

Cum notis *Iohannis Raven*, Ien. 1635. 8. Hamburg. 1648. 12. 1677. 12.

Cum Commentario, notis, et luculento Indice *Io. Henr. Boecleri* Argentorat. 1640. 8. ac deinde saepius, ita ut iam sexta sit editio an. 1656. Septimae an. 1659. Lips. 8. *Io. Vorstii* curae accessere; et iterum 1669. Lips. 8. Manuscriptum Nepotis Codicem a Io. Schefero Boeclerus acceperat. Vide T. V. sylloges Epistolarum Burmannianae pag. 9.

Iac. Mylii, adiunctis notis Boecleri, Gebhardi, Ernstii Lips. 1653. 8.

Cum *Io. Loccenii* notis politicis atque indice Philologico, Holmiae 1638. 12. Amst. 1648. 8. Holm. 1654. 8. Hamburg. 1673. 12.

Cum *Io. Andr. Bosii* commentariis Lips. 1657. 8. et Ienae 1675. 8. additis Gebhardi, Boeclerique notis et indice, Henrici item Ernstii ad Nepotis Atticum. Quae editio inter superiores principatum tenet. *Georg. Casparis Kirchmeieri*, Professoris Wittebergensis 1665. 8. et *Frid. Hildebrandi*. Lips. 1666. 12. pueris destinatae fuere.

Cum notis *Variorum*, curante *Rob. Keuchenio*. Lugd. Bat. 1658. 1667. et 1675. 8. apud Hackios, et 1687. quae locupletissima est editio.

Cum notis *Augusti Buchneri* ad tironum maxime captum comparatis, Hamburgi primum, deinde Lipsiae 1688. 8. in meliori editione accessit triplex in Nepotem clavis, Chronologica, Geographica et Stathmica, quae mo-

 netae

netae atque menſurae veteris convenientiam cum noſtrate exhibet, auctore M. P. L. S. Additus quoque index duplex, alter Boecleri latinus, alter locutionum germanicarum. Repetita eſt Lipſ. 1693. 8.

In uſum *Delphini*, illuſtrante *Nic. Curtino.* Pariſ. 1675. 4. et Lond. 1691. 8. 1720. 8.

Editiones *Oxonienſes* e MSS. recenſitae an. 1675. 12. 1687. 12. 1697. 8. addita e Pauſaniae Meſſeniacis vita Ariſtomenis Meſſenii graece et latine. Editio Oxonienſis repetita eſt a. 1709. 8.

Cum *Hermanni Eſſenii* animadverſionibus perquam nitide excuſus Nepos, Traiecti 1691. 12. Recuſa editio ibid. 1705. 12.

Cum notis ſelectis *Davidis Hoogſtratani*, V. C. Amſt. 1691. 12. et per ſecundas curas auctioribus Amſt. 1706. 12.

Ex editione *Rutgeri Hermannidae*, qui notas et indicem addidit e Boecleriano contractum. Amſt. 1665. et 1692. 12.

Cum perſpicuis notis tabuliſque Chronologicis ac Geograph. viri doctiſſimi *Chriſtoph. Cellarii.* Lipſ. 1694. 12. poſt editionem 1689. 12. et Lipſ. 1699. 12. atque additis in tironum uſus ſcholiis *Chriſtiani Schoettgenii*, ib. 1711. 12. In hac editione p. 341. legitur etiam locus inter fragmenta a Schotto et aliis praetermiſſus, e Freculphi Chronico Tom. 1. lib. 3. cap. 7. *Homerus Poëta in Graecia claruit, ut ait Cornelius Nepos, ante Olympiadem primam, ante urbem conditam anno centeſimo viceſimo quarto.* Prodiit iterum Nepos cum Cellarii notis ſuppletis ab *Andrea Stubelio* Lipſ. 1720. 12.

Cum *Chriſtiani Grunbergii* notis Philologicis, Hiſtoricis et Geographicis, phraſiumque elegantiorum adnotatione et variatione Francofurti 1697. 8.

E recenſione *Ioachimi Heningii*, ConR. Hamburgenſis adiuncto indice *Hermannidis*, hinc inde locupletato Hamburg. 1697. 8.

Ex

Ex recensione *Michaëlis Maettarii*, Lond. 1715. 12.

Cornelius Nepos notis selectissimis variorum illustratus. Rothomagi apud Richardum et Nicolaum Alemannum, 1718. 12. Vide Memorias Trevoltinas illius anni, mense Maio p. 337.

Ex accurata et nitida *Vulpiorum* (Ioannis Antonii praecipue) recensione *d*) Patav. 1720. 8. cum elegantiorum locutionum indice et variis Lectionibus editionum Venetarum a. 1471. fol. et 1521. 8. bis repetita haec editio, bis millenis propagata exemplis utraque.

Optima hodie et nitidissima editio est, quae facta est ab *Augustino van Staveren* Leidae 1734. 8. cum notis variorum, integris Gebhardi, Ernstii et Bosii, selectis Schotti, Lambini et aliorum, nec non excerptis P. Danielis, denique notis suis. accessit Index Bosii. Vsus est MSS. pluribus et edd. melioribus. In ea editione multa reprehensa sunt ab Heusingero in Spicilegio in Nepotis vitas, de quo infra, item in Actis Erud. Lips. ubi et Defensio eius memoratur.

V. *Versionem* Vitarum Nepotis *Graecam* habuit *Io. Christophorus Wolfius*, incerto auctore. Initium est: ὁ Μιλτιάδης τȣ̃ Κίμωνος, ἐκ τῆς τῶν Ἀθηνῶν πόλεως τῇ παλαιᾷ γενέσει καὶ τῇ δόξᾳ τῶν προγεγενημένων etc.

Versiones vernaculas, puerorum caussa scriptas Germanice non attinet commemorare, nec libellos phraseologicos, aut imitationum puerilium libros. — *Belgice* versus est a *Io. Hillaride* Roterod. 1988. 12. *Gallice* a *Bernardo Girardo* Paris. 1568. 4. ab *Ant. Pineto*, quem saepe a vero sensu aberrasse notat Colomesius ad Gyrald. p. 202. ab *Ant. le Gras* Paris. 1729. 12. quae parum fidelis esse iudicatur ab ipsis Gallis. Vitam *Attici* vertit *Io. Franc. Sarasinus* in Opusculis Paris. 1656. 1658. 8. Hic est Sarasinus, qui sub Attici secundi nomine scripsit bellum

d) Giornale de' letterati d'Italia T. 34. pag. 462. Acta Erud. 1720. Tom. 33. parte 2. pag. 484. seq. et pag. 546.

lum parasiticum, sive Satiram in Petr. Monmotium. *Anglice* a pluribus versus est Oxon. 1684. 8. Vitam Iphicratis vertit *Andr. Allam*, teste Wood Athen. Oxon. T. II. p. 595. *Atticum* Matth. *Hale.* Totus Nepos a *Io. Clarke*, additis notis et indice. Lond. 1726. 1732. — *Italice* vertit *Remigius Narninus* Florent. Venet. 1550. 8. Etiam Veron. 1732. 4. una cum versione Catonis et Attici a *Dionys. Ramazzino* facta. v. Act. Erud. nov. suppl. p. 248. — *Hispanicam* et *Polonicam* versionem memorat D. G. Mollerus in Diss. de Nepote §. 19. *Hungarice* vertit *Georg. Ballog* v. Czwittinger in Hung. liter. pag. 29. qui Sempronii editam hanc versionem tradit. *Danice* interprete *Io. Dabergio* prodiit Hafn. 1669. 8.

VI. Ad illustrandum Nepotem pertinet *Io. Scheferi* Specimen Animadvers. in Nepotis Miltiadem Hamb. 1675. et inter eius praelectiones.

Nepotem a Scioppio cum duobus MSS. collatum nactus Mich. Piccartus loca quaedam emendat in Periculis Criticis capite X. Nonnulla etiam castigaverat Scioppius ipse in libris Verisimilium et Suspectis Lectionibus.

Io. Mich. Heusingerus Isenaci a. 1744. 4. edidit egregium Spicilegium Emendationum et Observationum ad Cornelii Nep. vitas XVIII. priores, quo plura menda corriguntur, loca obscuriora explicantur, alia a sinistris interpretationibus vindicantur. In hoc Spicilegium animadversiones dedit *van Staveren* in Obs. Miscell. Dorvill. posterioribus T. VI. p. 513. seq. in quibus se adversus eius reprehensiones defendere conatur.

VII. Cornelii Nepotis scripta deperdita tum ab ipso, tum ab aliis veteribus haec memorantur:

Libellus, quo distinguit litteratum ab erudito. Sveton. cap. IV. de Grammaticis.

Chronicorum libri tres e) de quo opere Catullus.

Iam

e) Ausonius Epist. XVI. (Vineti edit. III.) *Nepotis Chronica quasi alios apologos, nam et ipsa instar sunt fabularum, ad nobilitatem tuam misi.* Quod nimirum non minus iucunde narrarent, afficerentque lectorem

Iam tum, quum ausus es unus Italorum
Omne aevum tribus explicare chartis,
Doctis Iupiter, et laboriosis.

Exemplorum libri, quorum *quintum* laudat Gellius VII. 18.

Illustrium Virorum libri complures, quorum *undecimum*, *decimum quintum*, et *decimum sextum* allegat, Sosipater Charisius libro II. In his videntur fuisse *Vitae Regum* Graecorum aliorumque, etiam *illustrium Romanorum*, quas Nepos ipse composuisse se testatur, et liber *de illustribus Historicis*, quem scripsisse se refert in Dione. Sic etiam de *illustribus Poëtis* scripsisse colligas e Suetonio in Terentii vita, et *de Oratoribus illustribus* etc.

Liber de vita M. Porcii Catonis separatim scriptus rogatu Attici, ut Nepos ipse auctor est, in extremo brevis de Catone commemorationis, quae hodie exstat.

Libri de Vita Ciceronis, quorum primum laudat Gellius XV. 28.

Libri Epistolarum ad Ciceronem, quorum primus citatur a Lactantio III. 15. quemadmodum et Ciceronis ad Nepotem Epistolas commemorant Suetonius in Caesare cap. 55. Macrobius, itemque alii.

In Catulli versibus ad Nepotem, *quum ausus es unus Italorum omne aevum tribus explicare chartis*, Petro Possino in notis ad Nicetae Orationem de laudibus SS. Archangelorum p. 59. *unus*, videtur idem esse quod *primus*, perinde ut apud Hebraeos interdum *echad*, et apud Graecos εἷς. Sed si primus fuit illo tempore Nepos, qui id ausus est, facile etiam cum Catullus scriberet, solus esse potuit: alloquitur enim Catullus eum ut aequalem. Magis placet praestantissimi Viri Io. Antonii Vulpii coniectura, qui *tribus chartis* interpretatur libris non tribus praecise,

lectorem quam fabulae. Nam fidei Nepotis nihil voluisse detrahere his verbis Ausonium, patet ex his quae subiungit: *Gaudens atque etiam glorians fore aliquid, quod ad institutionem tuorum, sedulitatis meae studio conferatur.*

praecise, sed paucis vel brevibus. Vide si placet eius notas ad Catullum.

IV. *Fragmenta* Nepotis ab *Andrea Schotto* diligenter collecta, atque inde in plerisque Cornelii editionibus recusa sunt, quibus subiiciuntur etiam e veteri libro Abbatiae Faesulanae et altero Britannico per Ant. Augustinum et Iac. Bongarsium A. Schotto transmissa *fragmenta duo ex Epistola Corneliae*, virtutibus et eloquentia clarissimae foeminae, quae Scipionis Africani filia, *f*) Tiberii Gracchi Censoris uxor, *Gracchorum* vero Tiberii et Caii ac decem praeterea liberorum, mater fuit. Scripta est ad C. Gracchum filium, ut eum deterreret a capessenda Rep. et vindicanda nece fratris Ti. Gracchi, licet ipse quoque deinde fratre, qui ante trigesimum aetatis annum obtruncatus fuerat, novem annis minor somnio monitus rem gessit, neglecta matris opportuna dehortatione, postque tribunatum occisus est anno V. C. 633. ante Ch. CXXI. Cornelia illa maluit vidua Romae curam gerere educationis liberorum, quam cum Ptolemaeo Aegypti Rege, qui nuptias eius ambibat, regnare, ut refert Plutarchus in vita Gracchorum fratrum p. 824. Caii Gracchi librum memorat idem p. 828. Orationem pro Vettio p. 835. Tit. Gracchi eloquentiae specimina quaedam exhibet p. 828. 831. seq. C. Gracchi p. 836. ubi etiam de eius in matrem veneratione, statuaque Corneliae a filio posita, quae tantam domus suae cladem miserosque filiorum casus fortissimo atque invicto animo tulit, ut, praeter Plutarchum p. 843. celebrat Seneca consolatione ad Marciam cap. XVI. Eloquentiae Gracchorum testimonium est et hoc Mamerti Claudiani, Epistola ad Sapaudum Rhetorem: *Naevius et Plautus tibi ad elegantiam, Cato ad gravitatem, Varro*

f) Quintilianus lib. I. cap. I. *Gracchorum eloquentiae multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus sermo in posteros quoque est* Epistolis *traditus, et Laelii filia reddidisse in loquendo paternam elegantiam dicitur, et Q. Hortensii filiae Oratio apud Triumviros habita legitur non tantum in sexus honorem.* De Gracchorum eloquentia vide Plutarchum p. 825. Epistolarum Corneliae ad filium Caium quoque meminit p. 840.

Varro ad peritiam, Gracchus ad acrimoniam, Chrysippus ad disciplinam, Fronto ad pompam, Cicero ad eloquentiam capessendam usui sint.

Alia duo fragmenta e MS. Bibliothecae Guelferbytanae edidit Cl. *Heusingerus*, Gymnasii Guelf. Rector, ad calcem Theodori de Metris, et Nepoti vindicavit. Ea reperit in antiquo Cod. Orationum Philippicarum Ciceronis, in cuius prima pagina scriptum est primo elogium eloquentiae Ciceronis e Lactantio, nominatim orationum Philippicarum, eique subiectum aliud cum hoc titulo; *Cornelius Nepos in libro de Historicis Latinis.* Non abhorrere haec fragmenta a Nepotis, aut seculi istius charactere, disputat non improbabiliter. Nec tamen audeam pro certo aliquid decernere.

VII. *Liber de Viris illustribus*, incipiens a Proca Rege Albanorum, non est Nepotis, nec Plinii Secundi, neque Aemilii Probi, nec Suetonii, neque Asconii Pediani, nec Taciti denique, sed *Aurelii Victoris*, ut infra in Victore dicam. Saepius tamen sub Nepotis nomine est editus, et confidentissime quidem a *Raphaële Eglino Iconio* Tiguri anno 1600. 8. hoc titulo: *Cornelii Nepotis de Viris illustribus liber, additamento ex MSto auctus: antehac Aemilio Probo, post Suetonio Tranquillo, diutissime C. Plinio Caecilio Secundo, nuper Sexto Aurelio Victori, nunc liberali causa Auctori assertus.* Equidem Victorem e Nepotis opere de Viris illustribus multa in hunc suum libellum derivasse, libenter viris doctis adsentiar, sed verum auctorem ex MSS. codicum fide et A. Schotti argumentis existimandum esse Victorem haud dubito. Sub Nepotis nomine prodiit etiam Germanice Argentorati 1535. fol. una cum Sallustio.

VIII. *Daretis* Phrygii *Historia Excidii Troiae*, quae latine circumfertur cum Pseudo Dictye, sive *L. Septimii* g) Romani *libris VI. Ephemeridos belli Troiani* prae-

g) Alii Quintum Septimium vocant, ut Barthius LVII. 7. LVIII. 11. Vossius de Hist. lat. p. 742. et Tho. Bartholinus de legendis libris

h) etsi praefixam habet sub Nepotis nomine *Epistolam ad Sallustium Crispum*, qua affirmat, se Daretem e Graeca in latinam linguam Athenis transstulisse; communi tamen eruditorum suffragio tam eleganti ac terso scriptore indigna existimatur. *Daretis* librum *i*) de bello Troiano ex perantiqua editione sine anni et loci notatione in 4. cum tribus carminibus Prudentii servat Bibl. Paulina Lipsiensis, ut me monuit Clariss. Schoetgenius, qui etiam de Dictye Casp. Barthii iudicium iubet consulere ad Gratii Cynegeticum v. 21. Antiquissima editio horum scriptorum latina (Graeca enim pridem periere) est Mediolanensis anno 1477. Inde commemoranda venit Veneta Francisci Faragonii anno 1499. Prodiere etiam Vitebergae 1512. apud Io. Grünebergium sive Viridimontanum, apud Augustinianos: et cum tribus Libanii declamationibus consimilis argumenti, Lugdun. apud Gryphium 1552. 12. Praetereo editionem Daretis Dictyisque Parisiensem a. 1560. 8. et Lugdunensem anno 1569. 8. nec minus versionem *Gallicam* Ioannis de la Lande Paris. 1556. 8. et *Italicam* Tho. Porcacchino auctore excusam Venet. 1543. 8. *Gallice* ex versione Caroli Bourguille prodiit Dares Cadomi 1573. Dictyn Gallica veste donare molitus Burdelinus. Vide Diarium Londinense, the history of the vvorks of the learned a. 1703. p. 222. Dares *Germanice* ex interpretatione

bris p. 93. Notas in Septimium hunc promisit idem Barthius quem vide sis ad Gratii Cynegetic. v. 21. Prosper vero Mandolis Tomo 2. Bibl. Romanae anno. 1692. edito p. 26. laudat *editionem nuperam iuxta MSS. Codices emendatam quae Lutetiae prodiit apud Rob. Stephanum.*

h) Auctor eas inscripsit Q. Aradio Rufino, qui sub Imp. Constantino consulatum gessit A. C. 316. aitque Dictyn opus suum conscripsisse primum litteris Punicis, oratione Graeca. Postea a nescio quo *Praxi* sive *Eupraxide* litteris Atticis transcriptum oblatumque esse Neroni Imp. atque inde a se versum latine. Ceterum S. Ambrosio aequalem vel supparem esse hunc scriptorem sive interpretem, verisimilis est Vossii coniectura IV. 50. de Idololatria, quanquam Scioppius et alii longe antiquiorem esse putaverint. At enim vel propter stili naevos sequiorem redolere aetatem demonstrarunt viri doctissimi Io. Frid. Gronovius c. XXV. Observat. Ecclesiast. et Iac Perizonius in diss. de Dictye c. XXXVIII.

i) De aliis Daretibus Reinesius ad Inscriptiones veteres p. 852. Hoc

ne Marci Tatii, Augustae Vinde. 1536. fol. cum iconibus. Novissime Parisiis vidit lucem Mythologia sive historia Deorum *k*) cum versione Gallica Daretis a Puteano (par Mr. Dupuy) Paris 1731. 12. Dictys *Germanice* redditus a Ioanne Heroldo, Basil. 1554. fol. Etiam *Russice* Dictys et Dares excusus Moscuae a. 1712. 8. Vide Acta Erud. 1714. p. 488. Prodiit etiam Dares cum Homero Spondani, adiuncta *Pseudo Pindari l*) Thebani Epitoma Iliados, latino carmine Hexametro scripta Basil. 1583. fol. Dares item Dictysque subiectus Diodoro Siculo ex Poggii versione edito latine ibid. 1578. fol. Ab eo tempore *Iosias Mercerus*, elegantissimi vir ingenii, et exquisitae doctrinae, Darete cum Dictye ad binos MSS. codices Petri Danielis et Pauli Petavii castigato, notisque illustrato, emendatius in lucem dedit Paris. 1618. 12. Mercerianam editionem secuta Amstelodamensis anno 1631. forma minore. Digni quoque hi duo scriptores habiti sunt, qui in usum *Delphini* illustrarentur, uti factum est haud infeliciter ab *Anna, Tan. Fabri* filia Paris. 1680. 4. Hinc cum Iosiae Merceri, *Casp. Barthii*, *Vlrici Obrechti* Praetoris Regii, qui vetus MS. Argentoratense contulit, *Paulique Vindingii* ad Dictyn notis, Dares recensitus est a V. C. *Samuele Artopoeo*,

Hoc loco ille innuitur scilicet, de quo Homerus Iliad. ε v. 9. Ἦν δέ τις ἐν Τρώεσσι Δάρης ἀφνειὸς, ἀμύμων, Ἱρεὺς Ἡφαίστοιο etc. Vide lib. 1. Bibl. Graecae cap. 5. ubi etiam de Dictye. Citatur Dares antiquis in scholiis ineditis ad Persii I. 51. vide Iosephi Wasse Bibliothecam litterariam Anglice editam Lond. 1724. 4. num. VI. p. 5.

k) Iournal des Sav. 1732. Mars p. 291. Lettres serienses et badines T. 6. p. 191.

l) Allegatur a Lutatio ad Statii VI. Thebaid. v. 120. ubi vide si iuvat, Lindenbrogium, itemque Barthium T. 3. p. 393. seq. qui auctorem vetustum bonique ingenii appellat LVIII. 14. et LIX. 1. et 15. Adversar. ubi integrum recenset, nec dubitat Iosepho Iscano Devonio praeferre. A Laurentio Valla inepte antelatus est ipsi Virgilio, ut notavit Iovianus Pontanus lib. 1. de sermone cap. 18. Primus edidit Laurentius Absteinius teste Vossio. Antiquam Florentinam editionem in 4. memorat Ioannes Cinellus in Bibl. volante T. 7. p. 66. sub titulo: *Homerus de bello Troiano.* In MS. Bibl. Annaebergensis inscribitur: *Homerus per Pindarum insignem Oratorem de Graeco in Latinum traductus.* Vide Christiani Gotthold Willischii arcana Bibl. Annaebergensis p. 18.

topoeo, cuius diligentia index etiam insignis accessit Argentorat. 1691. 8. Denique Amstelodamenses an. 1701. in quarta et octava forma Daretem et Dictyn, utinam satis emendate, recuderunt ex editione in usum Delphini, cui praeter notas universas ex editione Argentoratensi repetitas, adiunxere nunquam prius editam Iac. Perizonii viri eruditissimi dissertationem de Dictye, in cuius extrema parte varia huius scriptoris loca illustrantur: tum numos quosdam gemmasque veteres ad illustrandum Dictyn a Ludovico Smids V. C. collectas, denique *Iosephi Iscani m*) Devonii, Excestrensis, Poëtae, pro aetate illa, non inelegantis, poëma Heroicum in *sex libros* distinctum *de bello Troiano*, cum notis *Samuelis Dresemii* Dithmarsi, per singulas paginas substratis. Indicem quoque Dareti et Dictyi subiunxerunt, non qualem locutionum minus obviarum, ususque vocabulorum singularis adornavit Clariss. Artopoeus, sed qualis in editione Delphini occurrit, Index omnium vocabulorum. Iosephi quoque Iscani poëma exhiberi poterat ex emendatiore et integriore *Ioannis Mori* editione Londinensi a. 1675. 8. Dresemius enim qui hoc poëma recte Iosepho Iscano restituit, et eruditis notis illustravit Francof. 1623. 4. nullis codicibus MStis, sed

m) Iosephus Iscanus poema suum de bello Troiano dicavit Thomae Balduino Archi-Episcopo Cantiorum sive Cantuariensi. De Iscani porro nugis amatoriis vide Menagii anti Bailletum Tom. 2. p. 325. De bello eius Antiocheno sive Antiocheide et aliis scriptis Io. Lelandum de scriptoribus Britannicis editum nuper ab Antonio Hall, Oxon. 1709. 8. p. 237. Alia de eo Christianus Daumius notis ad Bernardum Geystensem p. 73.

n) Prima editio est ab Albano Torino Basil. 1541. 8. cum Pseudo Pindari epitome Iliadis, Darete prosario, et Homeri Iliade ex latina Nicolai Vallae et Vinc. Obsopoei versione. Tam corrupte autem vulgata est notante Io. Lelando p. 239. de scriptoribus Britannicis, *ut si pater ipse in prolem redivivus oculos converteret tam informem, cognosceret plane nunquam.* Hanc secuta est editio Henischii Basil. 1573. 8. Altera exstat ad calcem Homeri graece et latine editi et illustrati a Ioanne Spondano. Basil. 1583. 8. et 1603. fol. Tertiam denique ab Alexandro Carolo Trognesio editam Dresemius memorat, quam non vidi. Ceterum non videtur esse dubitandum, quod Iosephus Iscanus argumentum sive periocham poematis sui adsciverit Daretem latinum prosarium, unde deinde factum est, ut quemadmodum liber ipse pseudo Dare-

ſed tantum tribus editionibus anterioribus *n*) uſus fuerat, quibus hi libri, maiore adhuc inſcitia, quam proſarius Dares, *Cornelii Nepotis* tanquam auctoris, nomen gerunt praefixum. In omnibus vero iſtis editionibus omiſſi ſunt poſt lib. I. v. 32. hi verſus, quibus continetur encomium Balduini, cui Poëma hoc ſuum pro illa temporum ſuorum barbarie facundum et comtum auctor dicavit, Archi-Epiſcopi Cantuarienſis, ſub finem ſaeculi a nato Ch. duodecimi. Verſus illos primus, quod ſciam, e MSto codice produxit Tan. Faber in notis ad Longinum p. 169. edit. praeclarae Tollianae:

In numerum iam creſcit honos, te tertia poſcit
Inſula, iam meminit Wigornia, Cantia diſcit,
Romanus meditatur apex, et naufraga Petri
Ductorem in mediis exſpectat cymba procellis.
Tu tamen occiduo degis contentus ovili,
Tertius a Thoma, (Cantuarienſi) *Thomaſque ſecundus et alter,*
Sol oriens, rebus ſucceſſor moribus haeres.
Felices quos non trahit ambitus etc.

Pſeudo-Daretis duos Codices MSS. unum Canonicorum Lateranenſium Patavii, alterum Aloyſii Corradini laudat Io. Rhodius in notis ad Scribonium Largum p. 60. Citatur Dares a Freculfo lib. 2. Chronici cap. 17.

Praeter novam Gallicam Daretis verſionem obviam in libro edito Pariſ. 1731. 12. Mythologie et l'hiſtoire des Dieux, des demi Dieux et des plus illuſtres Heros de l' antiquité payenne per *Mr. Dupuy* ou l'on fait voir que le Culte, les Myſteres, les Sacrifices, & les autres Ceremonies, du Paganiſme ne ſont que des copies imparfaites de l'Hiſtoire ſainte, Daretem Gallica proſa verterat ſaeculo jam tertiodecimo Gotofredus de Waterfordia, Hibernus

Daretis, ita etiam Iſcani poema Cornelio Nepoti tribueretur. Scripſit et alia iſte Iſcanus Devonius, ſed quod ſciam nondum edita, *Antiocheidem*, cuius in Britannia meminit Cambdenus, magni eum cum viveret inter ſuos habitum teſtatus. Vide Iohannem Prince in Anglico opere de illuſtribus Devoniis, vel ſi liber ille ad manus non ſit, conſulantur Acta Eruditorum anni 1702. p. 289.

bernus, Ord. Praedicatorum. Vide Iac. Echardum de scriptoribus Ordinis Dominicani T. I. p. 467. Non omittendum, quod Dares Gallico etiam metro adstrictus extat in Codice Saeculi XII. membranaceo Bibliothecae Ambrosianae Mediolanensis. Vide V. C. Bernhardi de Montfaucon Diarium Italicum p. 19. et Palaeographiam Graecam p. 138. ubi habes versus quosdam Metaphrasi illi praemissos. Conferenda itidem Historia Troiana scripta a *Guidone de Columna*, Messanensi a. C. 1287. atque edita Argentinae 1486. et 1489. fol. Vtraque editio ad manus mihi est. Incipit: *Licet cotidie vetera recentibus obruantur.* In eius prologo haec verba leguntur, in quibus latinus Dictyos interpres multa Graeci omisisse arguitur. *Ea quae per Ditem* (lege *Dictyn*) *Graecum et Phrygium Daretem, qui tempore Troiani belli continue in eorum exercitibus fuere praesentes, et horum, quae viderunt, sunt fidelissimi relatores, et in praesentem libellum per me iudicem Guidonem de Columna Messana transsumta legentur, prout in duobus libris eorum inscriptum quasi una vocis consonantia inventum est Athenis. Quanquam autem hos libellos quidam Romanus,* Cornelius *nomine, Salustii magni nepos in latinum transferre curaverit, tamen dum laboraret nimium brevis esse, particularia historiae ipsius, quae magis possunt allicere animos auditorum, prae nimia brevitate indecenter omisit. In hac igitur serie libelli totum invenitur inscriptum, quod de tota historia universaliter et particulariter gestum fuit.* Idem scriptor ad calcem operis: *Et ego Guido de Columna iudex de Messana praedictum Ditem* (Dictyn) *Graecum in omnibus sum secutus, pro eo quod ipse Dites* (Dictys) *perfectum et completum fecit in omnibus opus suum ad literarum videlicet solatium, ut veram notitiam habeant praesentis Historiae, et ut magis delectentur in ipsa. Et ego historiam ipsam ornassem dictamine pulchriori per ampliores metaphoras et colores, et per transgressiones occurrentes, quae ipsius di-*

ctaminis

staminis sunt picturae. Sed territus ex magnitudine operis etc. Non intermisit tamen Guido varia ex suo saeculique sui ingenio attexere, ut lectori attento facile patebit. Italice lucem vidit Venetiis 1481. fol. Germanicae versionis MS. in Bibl. Caesarea, meminit Lambecius T. 2. p. 948. Latinos Codices MSS. laudat Mongitor T. 1. Bibl. Siculae p. 266.

In Lucae Dacherii spicilegio Tom. IV. p. 485. *Historia Homeri, ubi dicit et Dares*, legendum *ubi Dictys et Dares*, ut iam notatum Paulo Colomesio in Bibl. selecta p. 168.

IX. Falso quoque uti ad *Alexandrum M.* auctorem, sic ad Cornelium Nepotem tanquam interpretem refertur commentitia *Epistola de mirabilibus Indiae*, cum inscriptione: *Alexander Magnus Aristoteli Praeceptori suo salutem dicit.* Graece nunquam vidit lucem, latine vero praeter editiones in Bibliotheca Graeca lib. II. cap. X. sect. 17. a me memoratas excusa est nuper Giessae Hassorum 1706. 8. curante *Andrea Paullino*, qui nec de auctore, nec de interprete ambigendum ratus, in schola Darmstadiensi eam praelegere discipulis suis instituit. Quanquam vero certum est in hac Epistola legi pleraque huiuscemodi, qualia de Indiae mirabilibus vel commentati vel commenti olim sunt Onesicritus, Orthagoras, et alii rerum gestarum Alexandri scriptores; tamen hanc Epistolam ab Alexandro scriptam vel a Nepote versam minime mihi persuadeo.

X. Petrus Nannius Alcmarianus librum singularem de claris Corneliis scripsit ad Cornelium Musium Delphium, eumque suae praeclarae Nepotis editioni inseruit A. Schottus. In illo libro caput V. est de Corneliis Scriptoribus. Sunt autem praeter Nepotem nostrum hi: Cornelius Gallus et Cornelius Tacitus, de quo infra suo loco, Cornelius Calvus Orator, et Cornelius Severus, ac Cornelius Licinius Calvus Poëtae. His addi possunt non pauciores alii, ut Cornelius Thuscus, quem in suasoriis deridet Seneca;

neca; Cornelius Alpinus apud Horat. quem cum Gallo confundunt nonnulli: Cornelius Capitolinus laudatus Trebellio Pollioni in Odenato: L. Cornelius Sylla dictator eiusque libertus Cornelius Epicadus, qui librum, quem de gestis suis patronus scripserat, supplevit, teste Suetonio. Vide sis Vossium de Hist. latinis, apud quem habes etiam de Cornelio Boccho et Cornelio Valeriano, quos allegat Plinius. Ex Corneliani libro contra Beronicem nonnulla affert Stobaeus sermone IV. Alios Cornelios praeter Nannium retulit Io. Glandorpius in Onomastico Romano, et qui de familiis Romanis scripserunt Antonius Augustinus, Rich. Streinius, et alii. Adde sis T. Cornelium Nepotem Architectum, cuius Monogramma ex templo S. Vitalis Ravennensis refert idem vir doctissimus Montfauconus in Diario Italico pag. 98. *Nepos* apud Horatium Epod. I. 31. *discinctus ut perdam Nepos* nomen proprium, si credimus viro docto Michaeli la Roche, T. V. new memoirs of literature p. 32. sq.



CAPVT VII.

DE

M. TERENTIO VARRONE.

I. *Varronis aetas.* II. *Libri de lingua latina eorumque editiones, et fragmenta.* III. *Libri de re rustica.* IV. *Catalogus scriptorum Varronis quae interciderunt.* V. *Alii Varrones.* VI. *Index Scriptorum a Terentio allegatorum.*

I. M. *Terentius a) Varro*, Romae natus est anno V. C. 638. Vir undecunque doctissimus, Ciceronis et aliorum virorum clarissimorum familiaris, qui postquam tribunatu et aliis muneribus functus fuisset, et in

a) Terentium Sabinorum lingua notare mollem, docet Varro apud Macr. II. 14. Saturn.

in bello civili Pompeianas partes strenue conatus esset tueri, *b*) mature tamen Caesari victori se permisit, et ab eo in gratiam receptus, Bibliothecisque graecis et latinis comparandis ac dirigendis praefectus, in litterato otio delituit, totumque se tradidit scribendis libris. Septuagenario maior ab Antonio una cum Cicerone anno V. C. 710. proscriptus, evasit quidem, attamen direptis bibliothecis suis gravem iacturam passus est, etiam scriptorum suorum, atque in his εἰσαγωγικοῦ, quem Cn. Pompeio scripserat, ut memorat Gellius XIV. 7. Reliquum vitae tempus, nulla interpellante vi, totum peregit in litteris, plurimaque composuit, ita ut ipse duodecimam annorum hebdomadam, hoc est, septuagesimum et octavum aetatis annum ingressus memoret, se septuaginta hebdomadas librorum *c*) hoc est libros 490. conscripsisse. Diem obiit supremum prope nonagenarius, (anno enim octogesimo et octavo aetatis adhuc scripsisse traditur a Plinio XXIX. 4.) anno Vrbis 727. ante Christum natum 27. De Varronis aetate confer Arnoldum Pontacum ad Chronicon Eusebii pag. 52.

II. E libris XXIV. de lingua latina perierunt tres primi, quos ad *P. Septimium* Quaestorem Varro miserat, in quibus disseruit περὶ τῆς ἐτυμολογικῆς 1. quae contra eam dicerentur, 2. quae pro ea et 3. quae de ea denique. *Exstant liber IV. V. et VI.* in quibus origines ipsas verborum latinorum persequitur, ad *M. Tullium Ciceronem.* Tum *liber VII. VIII. et IX.* qui sunt de analogia, sed perinde, ut priores, hinc inde quibusdam hiantes lacunis. Reliqui libri unniversi, exceptis perpaucis fragmentis interciderunt, in quibus analogiam ipsam latinorum vocabulorum et anomaliam explicaverat, deinde tractaverat de syntaxi, sive quomodo vocabula inter se ratione coniuncta sententiam efferant, denique

b) Vide Ventranium Maurum et Ausonium Popmam in Varronis vita, ac praecipue Martinum Hanckium V. C. libro 2. de Rom. Rerum Scriptoribus cap. 6.

c) Gellius III. 10.

que disseruerat de copia verborum. Respiciens hoc Varronis opus Vitruvius in praefat. libri IX. (sive ut vulgo distinguunt IX. 3. at tractatio ipsa libri IX. demum a capite quarto incipit) *Plures*, inquit, *post nostram memoriam nascentes cum Lucretio videbuntur velut coram de rerum natura disputare: de arte vero Rhetorica cum Cicerone: multi posterorum cum Varrone conferent sermonem de lingua latina.* Fragmenta ex his libris collegit *Antonius Augustinus*, unde leguntur etiam in editione *Vertranii Mauri.* Postea additis nonnullis in Varrone *Ausonii Popmae*, Frisii, et in *Dionysii Gothofredi* Auctoribus latinae linguae. Repertum est etiam fragmentum Libri quarti ad calcem *Frontini* de Aquaeductibus in Codice scripto Cassinensi, de quo *Io. Bapt. Morganus* epistolam scripsit ad *Polenum*, quae edita est in opusculis scientificis et philol. Venetis T. IV.

Sed hi sex libri, primum exscripti sunt typis, a Iensono Venet. a. 1472. deinde a. 1474. per Io. de Colonia, et eius socium, de qua editione v. Maettarius Ann. typ. T. I. p. 109. 174. Dein repetita aliquoties eorum editio est, ut Venet. cum Nonio et Festo 1483. eodemque anno Brixiae per Boninum de Boninis et socios. Iterum Venetiis 1498. 4. e Pomponii Laeti recensione. Extat et alia sine loci et anni nota, quae Pomponii ad Platinam epistolam in capite habet v. Giornale de' literati d'Ital. T. XXII. p. 393. ex qua illa sine dubio expressa est: nam ipsa forma literarum declarat, esse Venetam priorem: de eius subscriptione mox videbimus. Seculi sequentis prima est Mediolanensis (1500.) quam laudari vidimus a Tob. Guthberleto de Saliis p. 131. Secutae sunt Parisienses a. 1519. f. et 1528. 8. denique 1529. 8. ap. Colinaeum, cuius editionis titulus dicit, *Mich. Bentinum* multa veterum Codicum collatione curasse, ut hi libri nitori pristino restituerentur. Occurrit etiam Varro de Lingua Latina cum Nonio et Festo et Bentini ad Varronem ac Nonium castigationibus ad calcem Cornu-copiae Nic. Perotti, excusi Venetiis 1492. et apud Aldum 1513.

1527.

1527. Tuscul. 1522. et Basil. 1518. 1526. fol. Praeterea cum *Bentini* castigationibus excusi Varronis libri etiam separatim Lugd. 1535. 8. adiunctis Pseudo-Catonis Orginibus, et Basil. 1536.

Romana a. 1557. cum castigationibns *Antonii Augustini*, qui codicibus MSS. usus est, ex quibus unum laudat Achillis Mafei. Lugdunensis a. 1563. 8. apud heredes Seb. Gryphii, cum notis eruditis *M. Vertranii Mauri*, et vita Varronis a Vertranio scripta, qui et ipse MSS. codices Florentiae et Romae contulisse se testatur. Cum *Iosephi Scaligeri* praeclaris in Varronem Coniectaneis lucem viderunt primum Paris. 1565. 8. In iis, praeter multa alia egregia, Varronem in originibus verborum frequenter falli observat vir doctissimus. Parum credibile mihi videtur et iniquum, quod Latinius T. 2. Epist. p. 121. *Vidi Iosephi Scaligeri in M. Varronem de lingua Latina adnotationum libellum, quas ut prudenter Pater Octavius existimat, Iulius Caesar pater adornarat, et fortasse non dignas suo nomine iudicarat.* Varro Scaligeri lucem etiam vidit ex tertia editione apud H. Steph. 1581. 8. et Paris. 1585. 8. et *H. Stephani* appendix ad assertiones analogiae sermonis Latini M. Terentii Varronis, 1591. 8. Textus ex Romana expressus est, ut typographus profitetur. Est autem duplex Scaligerana recensio: quippe et tertium Paris. 1581. 8. prodiit. Discernunturque etiam hac nota, quod in prima versus, Trabeae nomine Scaligero missi a Mureto, struente insidias viri ingenio, pro genuinis, i. e. ipsius Trabeae, adferuntur et laudantur: in altera omissi sunt, fraude cognita. Fraudem quidem illam quomodo ultus sit, satis constat, suntque noti versiculi, qui etiam ap. Erythraeum in Pinacoth. reperiuntur.

Cum notis *Dionysii Gothofredi* Varronis libri editi inter auctores latinae linguae, Genev. 1602. 4. et 1622. 4. Denique e recensione *Casp. Scioppii* Ingolstad. 1605. 8. *Quae enim partim per me ipsum*, inquit Scioppius, *partim*

 tim

tim Gabrielis Faërni, *hominis ingeniosissimi et doctissimi, cuius ex veteribus Varronis Codicibus excerptas lectiones* Fulvius Vrsinus *meus transscripserat, ipsius denique* Fulvii *opera adiutus, in restituendis Romani hominis monumentis Romanus ipse praestiti, ea non vereor, ne non ultro Civicam meruisse me vociferentur, si quis modo cum prioribus editionibus hanc nostram studiose contendere ac comparare velit etc.*

In Bibliotheca Senatus Lips. traditum est, esse Cod. MS. ad cuius calcem haec scripta sint: *Finis eius, quod invenitur M. Varronis. Parce, qui legeris, si aliqua minus polita inveneris. Nam ita omni ex parte, sive seculum fecerit, sive librarius, volumen quodvis corruptum erat, ut necesse fuerit hinc inde antiquari sententias. Ideo sine rubore veniam dabis, et errori veniam dabis. Pomponius tuus orat.* Est ibi talis MS. et frustra negat Christius in Diss. de Carmine Saturnino p. 22. Sed est descriptus ex editione Pomponii, de qua supra, in qua eadem est subscriptio. Et est Codex chartaceus Sec. XVI.

Libros de Lingua Latina et scriptores de re rustica in usum Delphini illustrandos Graevio committere tentavit Huetius, et acceptae ab eo conditionis spem facit, quam deinde aliis occupationibus ab eo neglectam oportet. Vide dissertationes et Epistolas Huetii a Tilladeto collectas T. 2. p. 238. 239.

Adriani Turnebi emendationes et commentarii posthumi, editi a filio Odone Turnebo Paris. apud A. Vvechelum 1566. 8. Abortivum hunc viri magni foetum vocat Iosephus Scaliger appendice ad coniectanea p. 179.

Locum libri quarti, qui in Codicibus quibusdam Frontini de aquaeductibus subiicitur, illustravit *Io. Baptista Morgagnus* Epistola Latina ad Io. Polenum data Patavi 1722. atque inserta tomo quarto Sylloges editae Venetiis 1730. 12. Italice hoc titulo: Raccolta d'opuscoli scientifici e filologici. Aureum Varronis Codicem MS. in Bibl. Memmiana, quem non viderit Scaliger, laudat

Is.

Is. Vossius Epistola ad Nic. Heinsium data a. 1645. T. 3. Sylloges Burmannianae p. 563. alium Varronis de re rustica satis vetustum Neapoli in Bibl. Sannazarii in Conventu Ioannis Carbonarii p. 566.

Vt Salmasio p. 3. libri de usuris observatum, *non nisi invitus solet Varro Romanorum dictionum origines e Graeco arcessere, adeo ut plerumque ineptire malit, quam veras originationes fateri.* Similiter in Platonis Cratylo multa pseudetyma deprehendunt viri docti.

III. Exstant praeterea Varronis *de re rustica libri III.* quos natus octoginta *d*) annos scripsit ad Fundaniam uxorem. Hi saepius viderunt lucem cum scriptis eiusdem argumenti, quae composuerunt Cato, Columella, et Palladius, ut supra capite 2. in Catone dixi. Igitur in praesenti duntaxat memorabo illas horum librorum editiones, quibus utraque solius Varronis scripta continentur, ut sunt editiones *H. Stephani* a. 1569. 1573. et 1581. cum Ios. Scaligeri in libros de latina lingua coniectaneis et appendice coniectaneorum, Antonii item Augustini emendationibus notisque Turnebi, non posthumis illis, sed ex Adversariorum opere excerptis: et in libros de re rustica notis eiusdem *Scaligeri*, et qui codicibus quatuor MSS. usum se profitetur, egregii viri *Petri Victorii.* Etiam appendicem H. Stephanus ad libros de analogia edidit anno 1591. 8. Praeterea *Ausonius Popma* Frisius Varronis scripta quae exstant recensuit, illustravitque notis collectaneis, et fragmenta scriptorum eius deperditorum, et vitam Varronis, atque Bibliothecam Varronianam, sive commentarium de Varronis scriptis adiunxit. Lugd. Bat. anno 1601. 8. apud Plantin. Ab eo tempore Varroniana scripta cum fragmentis emendatius et plenius descriptis, addita auctorum, e quibus depromta sunt, notatione, tum animadversionibus in Varronem, quaecunque in Stephani editione exstant, praetermissis Popmae lucubrationibus,

d) In limine Operis Varro ait sibi esse properandum, *quod, ut dicitur, si est homo bulla, eo magis senex. Annus enim octogesimus admonet me, ut sarcinas colligam antequam proficiscar e vita.*

nibus, edita sunt Dordraci anno 1619. 8. apud Io. Brerevood, et Amstelod. 1623. apud Io. Iansonium 8. *Petri Ciacconii* ineditas ad Varronem de re rustica animadversiones habuit Is. Vossius. *Petrus* quoque *Axenius* in hoc scriptore illustrando studium posuit, sed morte oppressus desiderium sui bonis, reliquit, destituto Varrone. De *Ornithone*, quem describit libro tertio de re rustica cap. 5. vide, quae in *Pyrrhi Ligorii* (quem secuti sunt *Iacobus Laurus* in splendore antiquae urbis et *Bernhardus Montfauconius* Antiquitatis explicatae tomo tertio) nec non in *Rob. Castelli* architecti descriptione notant Acta Erud. 1731. p. 110. seq. adde dicta Gesneri ad illum locum.

IV. Iam veluti in tabella, libros huius Scriptoris deperditos referam, quorum non ipsos etiam titulos tempus nobis eripuit. Sequar autem praeter Nonium Iosiae Merceri, et optimas Gellii ac Grammaticorum veterum editiones, *Robertum* et *Henricum Stephanos*, qui fragmenta Satyrarum Varronis congesserunt in fragmentis Poëtarum anno 1564. 8. editis pag. 305-364. tum *Antonium Riccobonum*, qui in fragmentis historicorum dedit quoque fragmenta scriptorum Varronis, ad calcem libri de Historia p. 219-401. *Ausonium* deinde *Popmam*, quem fragmenta Varronis collegisse iam dixi, denique curatorem editionis Dordracenae, prioribus collectionibus melioris. Fuerunt itaque

De cultu Deorum liber. S. Augustinus VII. 9. et 33. de Civ. Dei.

Rerum Humanarum Antiquitates, libri XXV. et divinarum XVI. ad C. Caesarem, de cuius utriusque operis argumento consulendus idem Augustinus VI. 3. de civitate Dei. Libros rerum divinarum Varro dicavit Caesari Pontifici Max. Lactantius lib. 1. cap. 6. *Varro, quo nemo unquam doctior ne apud Graecos quidem, nedum apud Latinos, in libris rerum Divinarum, quos ad C. Caesarem Pontificem maximum scripsit, cum de Quinde-*

cimviris loquretur, *Sibyllinos libros ait non fuisse unius Sibyllae.*

De vita Populi Rom. ad Atticum *libri*, quorum *undecimum* laudat Nonius in *paupertates*. Hos libros Ianus Gebhardus II. 19. antiquar. Lect. testatur in Codice Palatino Nonii Marcelli semper citari *de vita Patrum*: iis namque libris vitam maiorum executus erat Varro, ut ostenderet quantum sua tempora a frugalitate veterum descivissent.

De gente Populi Rom. libri IV. Arnob. et alii.

De initiis urbis Romae liber, Quintil.

De Republica libri, quorum *vigesimum* Nonius allegat.

Αἴτια, sive *Caussae* (quales apud Graecos scripsere Callimachus, Butas, Plutarchus). Serv.

De Philosophia liber, Augustin. XII. 4. et XIX. 1. de civitate Dei. *Liber secundus de forma Philosophiae* Charis. IX. *Libri disciplinarum* ad M. Coelium Rufum, in quibus unum de architectura fuisse, testis est Vitruvius praef. libri VII. Ex his *librum de Arithmetica* adhuc superstitem se vidisse Romae apud Laurentium Strozzium Cardinalem testatus est Vertranius Maurus in Varronis vita. Varronem de numeris allegat Censorinus cap. 2.

Hebdomadum sive *de imaginibus libri*, quorum ex *undecimo* profert nonnihil Charisius. In huius operis libris singulis ni fallor, septem Virorum illustrium imagines stilo persecutus erat Varro. Imagines 700. fuisse testis Plinius XXXV. 2. Confer Vossium lib. 1. c. 12. de Historicis latin. Libros hos unde *hebdomadum* titulo inscripserit Varro, docet Samuel Petitus lib. IV. eclog. chronolog. pag. 204. Sic:

Decem apud Athenienses sorte legebantur viri, e singulis unus tribubus, penes quos esset imperium ἐφημερίας tribuum suarum intra unam Prytaniam. Distribuebatur autem Prytania in *hebdomadas* quinque (*Hebdomadas* has observatas fuisse ab Atheniensibus testis est A. Gellius XV. 2.

his

his verbis: *In conviviis iuvenum, quae agitare Athenis hebdomadibus Lunae solenne nobis fuit.* Lunae, id est, κατὰ Σελήνην, ut loquitur Thucydides, sive τῆς πρυτανείας *hebdomadas* intelligitur) Singulos autem dies imperabat sorte captus Ἐπιστάτης, et ita deinceps reliqui, donec *hebdomadis* orbis absolveretur; atque ita fiebat, ut e decem tres superessent, qui non imperarent. Vlpianus in Androtianam: ἀλλ᾽ ἐπειδὴ πάλιν οἱ πεντήκοντα πολλοὶ ἦσαν εἰς τὸ ἄρχειν ἅμα, οἱ δέκα κατὰ κλῆρον μιᾶς ἡμέρας τῶν ἑπτὰ, ὁμοίως δὲ ἕκαστος τῶν ἄλλων ἀπὸ κλήρου ἦρχε τὴν ἑαυτοῦ ἡμέραν, ἄχρις οὗ πληρωθῶσιν αἱ ἑπτὰ ἡμέραι. καὶ συνέβαινε τοῖς ἄρχουσι, τρεῖς μὴ ἄρχειν. ἕκαστος δὲ ἄρχων ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ καλεῖται Ἐπιστάτης. Hinc explicandus est titulus Libri Varroniani. Nam ita inscriptus est, qui continebat imagines clarorum virorum, *e*) simulque eorum elogia, ut colligitur e Lib. I. Epistolarum Symmachi Epist. IV. *f*) quia quemadmodum singulis Πρυτανείας *hebdomadibus* regnabant οἱ Ἐπιστάται vicem et ἐφημερίαν suam; ita et in his Varronis *hebdomadibus* assignatus erat cuique clarorum virorum quasi regni dies in sua ipsius imagine et elogio. *Hactenus Sam. Petitus.*

De

e) Opus genealogicum appellat Iac. Frid. Reimannus in Historia litteraria libror. p. 44. nescio quo auctore. Nam singulos claros viros virtute rebus gestis vel ingenio sive Graecos sive Romanos illo opere celebrasse potius Varro, quam familiarum aut genealogiae rationem habuisse videtur. Sic libro primo de imaginibus Homerum posuerat, teste Gellio lib. 3. cap. 11. In alio Demetrium, teste Nonio in *luces*, in aliis alios. Eiusdem tamen Varronis fuit de familiis Troianis liber, et de gradibus necessitudinum.

f) Primus hanc Symmachi Epist. produxit et illustravit Lud. Carrio lib. 2. emendatt. cap. 14. quem vide. Symmachi ad Patrem scribentis verba sunt: *Studium quidem Menippei Varronis imitaris, sed vincis ingenium. Nam quae in nostrates viros nunc nuper condis epigrammata, puto hebdomadon elogiis praenitere, quod haec aequae sobria nec tamen casta sunt. Illa bono metallo causa torno exigi nescierunt: et duriorem materiam nisi fallor, adniteris. Ille Pythagoram, qui animas in aeternitatem primus asseruit; ille Platonem qui Deos esse persuasit; ille Aristotelem, qui naturam bene loquendi in artem redegit; illa pauperem Curium sed divitibus imperantem: ille severos Catones, gentem Fabiam, decora Scipionum, totumque illum triumphalem Senatum parca laude perstrinxit. Tu ruinam proximae aetatis illuminas.*

De proprietate scriptorum. Nonius, in *liquidum.*

Theatrales sive *de actionibus scenicis libri*, quorum *tertium* memorat Priscianus, *quintum* Charisius.

De scenicis originibus libri, quorum *tertium* Nonius et Charisius laudant. Librum primum laudat Censorinus cap. 17.

De Poëtis libri, quorum *primus* a Gellio citatur et Prisciano. Confer Ionsium p. 214. de scriptoribus Hist. Philosophicae.

Libri de poëmatis, quorum *secundus* allegatur a Charisio. *Poëticum* Varronis librum laudat Diomedes.

De Plautinis Comoediis liber. Gell. III. 3.

Libri de Plautinis quaestionibus, quorum *secundum* allegat Nonius.

Epistolicarum quaestionum libri, quorum *octavus* a Charisio citatur. Epistolicarum quaestionum libros laudat etiam Servius in 1. Georgic.

Epistolae, ad C. Caesarem, Fabium, M. Sulpitium Fusium, Neronem, Marullium, Ser. Sulpicium, Varronem, Oppianum etc.

De Bibliothecis librum secundum citat Charisius.

Liber de Vita sua, id.

Complexionum librum sextum citat Diomedes.

Ad Libonem Librum I. memorat Macrobius II. 14. Saturn.

Libros Navales laudant Io. Saresberiensis II. 1. Policratici, et Vegetius, qui pleraque ex illis transtulit in librum ultimum suum de re militari, et nominatim eos laudat lib. 5. cap. 11. His videntur respondere *littoralia* Varronis citata a Solino cap. 11. Servio *de ora maritima.* Vide Salmas. pag. 172. edit. Paris. *Tubero Varronis, de origine humana* laudatur a Censorino cap. 9. et falluntur, qui *de origine Romana* legunt.

Annales libri, quorum *tertium* Charisius commemorat.

Belli Punici Secundi librum *secundum* citat Priscianus.

Liber

Liber de familiis Troianis. Servius etiam *de gradibus* necessitudinum scripsisse Varronem testatur.

Rhetoricorum libri, quorum *vicesimum* Nonius laudat.

Περὶ χαρακτήρων librum *tertium*, Charisius.

Libri de lingua latina ad Marcellum *quorum* septimus laudatur a Rufino de metris Terentianis: et *libri de similitudine verborum*, quorum *secundum* citat Priscianus, fortassis partes fuere *librorum XXIV. de latina lingua*, de quibus supra §. 2.

De utilitate sermonis librum *quartum* allegat Charisius.

De compositione Satyrarum. Nonius in *Parectati.*

TITVLI LIBRORVM LOGISTORICORVM ET SATYRARVM g) VARRONIS,

quarum pleraeque *Menippeae*, h. e. prosa Menippi Cynici exemplo, carminis vario genere distincta atque expolita scripti erant, unde Varro *Menippeus* Athenaeo dictus et Tertulliano, Arnobio ac Symmacho *Cynicus Romanus.* Vide Probum in Eclogam VI. Virgilii, et Iosiam Mercerum p. 207. ad Nonium.

Aborigines περὶ ἀνθρώπων φύσεως.

De admirandis. Infra, *Gallus Fundanius.*

Agatho.

Age modo.

Ἀεὶ Διβύη vel *περὶ αἱρέσεων.*

Aiax stramentitius.

περι αἱρέσεων, supra, *ἀεὶ Διβύη.*

Ἄλλος οὗτος ἡρακλῆς.

Ἄμμον μετρεῖς, *περὶ φιλαργυρίας.*

Andabatae.

περὶ ἀνθρώπων φύσεως, supra, *Aborigines.*

Anthropopolis, *περὶ γενεθλιακῆς.*

περὶ ἀρχῆς, infra, *Marcopolis.*

περὶ ἀρχαιρεσιῶν, infra, *Serranus.*

περὶ ἀρετῆς κτήσεος, infra, *Trihodites.*

περὶ ἀφροδισίων, infra, *Vinalia.*

Armorum iudicium.

περὶ ἀῤῥενότητος. infra, *Triphallus.*

Atti-

g) De Satyris Varronis adeundus If. Casaub. lib. 2. de Satyr. poësi c. 2.

Atticus (leg. *Articulus*,) de numeris, Logistoricus *liber*.
Autumedus, infra, *Maeonius*.
Baiae.
Bimarcus, περὶ τρόπου.
Βοῦς περὶ τάφων. infra, in ἐπιτάφιον.
Pro *Caei* lib. II. apud Nonium in Carra lege, Ἀεὶ Διβύη. Scal.
Caprinum praelium, περὶ ἡδονῆς.
Catamitus.
Cato, f. ut vult Mercerus, *Catus*. vel *de liberis educandis*. Logistoricus.
Cave canem.
Κενοδοξία. περὶ φθόνου.
Ceria. infra *Dolium*.
περὶ κεραυνοῦ.
Chorographia.
Columna Herculis, περὶ δόξης.
Cosmotoryne, περὶ φθορᾶς κόσμου.
Cras credo, hodie nihil.
Cygnus, περὶ ταφῆς.
Cynicus.
Cynodidascalus.
Cynorhetor.
Desultorius, περὶ τρυφῆς.
περὶ διαθηκῶν. infra, *Testamentum*.
Δὶς παῖδες οἱ γέροντες.
Dolium, aut *Ceria*.
περὶ δόξης. supra, *Columna Herculis*.
περὶ ἐδεσμάτων.
περὶ ἐμμονῆς. infra, *Synephebus*.
περὶ ἐγκωμίων. infra, *Papiapapae*.
Endymiones.
περὶ ἐξαγωγῆς.
Ephebus, vel *Synephebus*, περὶ ἐμμονῆς.
περὶ ἐπαρχιῶν. infra, *Flaxtabulae*.
Ephemeris navalis.
Ἐπιτάφιον ἢ βοῦς περὶ τάφον.
Τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, περὶ εὐτελείας.
Erratio.
Est modus matulae, περὶ μέθης.
Eumenides, interdum male scribitur *Eudaemones*.
Εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα, περὶ γεγαμηκότων καθηκόντων.
περὶ εὐτελείας. supra, τὸ ἐπὶ φακῇ μύρον.
Ἔχω σε, περὶ τύχης.
Ἕως ποτέ, περὶ ὡρῶν.
Exdemetricus.
Flextabulae, (al. *Flexibula*.) περὶ ἐπαρχιῶν.
De *Fortuna*, infra, *Marius*.

Gallus Fundanius, de admirandis.
περὶ γεγαμηκότων. supra, εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα.
Gemini.
Gerontodidascalus.
Gloria, vel *Inglorius*, περὶ φθόνου. supra, κενοδοξία.
Γνῶθι σεαυτόν.
περὶ τρυφῆς. supra, *Desultorius.*
Hecatombe, περὶ θυσιῶν.
περὶ ἡδονῆς. supra, *Caprinum praelium.*
Hercules tuam fidem.
Hercules Socraticus.
De Historia. infra, *Sisenna.*
Idem Attii quod Titii.
De indigitamentis. infra, *Pransus paratus.*
Inglorius. vide *Gloria.*
De insania. infra, *Orestes.*
Ἱπποσύνη. (al. *Hippocyon.*)
Iudex. infra, *Pappus.*
Lat renſis. Logistoricus.
Lex Maenia.
De liberis educandis. supra, *Cato.*
Logomachia.
Longe fugit, qui suos fugit.
Maeonius Autumedus.
Magnum talentum.
Manius.
Marcipor.
Marcopolis, *b*) vel μαργόπολις περὶ ἀρχῆς.
De officio Mariti.
Marius, de fortuna. Logistoricus.
Meleagri sive *Meleager.*
Mensurales.
Messala, de Valetudine, Logistoricus.
περὶ μέθης. supra, *Est modus matulae.*
Moaius.
De Moribus, Logistoricus.
Mutuum muli scabunt, περὶ χωρισμοῦ.
Mystagogi.
Mysteria.
De natura rerum, Logistoricus.
Nepos, Logistoricus.
Nescis, quid vesper serus vehat.
De numeris, supra, *Articulus.*
De numismatis. vide mox *Octogesis.*
Octogesis, περὶ νομισμάτων.
Oedipothyestes.
Ὄνος λύρας.
Orestes, de insania. Logistoricus.

b) Pro *Marcopoli* Hadrianus Iunius VI. 9. animadvers. legit μαργόπολις; quasi luxuriosam civitatem dicas, Romam.

De Origine Humana. infra, *Tubero.*
περὶ αἱρέσεων, supra, ἕως πότε.
Papiapapae, περὶ ἐγκωμίων.
Pappus vel *Iudex.*
Pappus, *de indigitamentis.* Logistoricus.
Parmeno.
Τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον, περὶ παιδοποιίας.
περὶ φθόνου. supra, Κενοδοξία et *Gloria.*
περὶ φιλαργυρίας. supra, ἄμμον μετρεῖς.
περὶ φιλονεικίας. infra, *Vae Victis.*
περὶ φιλοφθονίας. infra, *Testamentum.*
περὶ φθορᾶς κόσμου. supra, *Cosmotryne.*
Pius, *de pace.* Logistoricus.
Plutorine.
περὶ πλούτου nisi leg. Περίπλου 1. et 2. περὶ φιλοσοφίας ap. Nonium.
Polyandrion.
Praetoriana.
Pransus paratus, *de indigitamentis.*
Prometheus lib. 1. 2. et lib. 15. allegatur a Nonio in *evirescat.*
Prometheus liberatus.
Pseudonea.
Pseudolus Apollo, περὶ θεῶν ἀπαντήσεως.
περὶ φωρισμοῦ. supra, *Mutuum muli scabunt.*
Quinquatrus.
Salaria.
Sardi venales.
Scaurus, Logistoricus liber.
Sciamachia, περὶ τύφου.
De Sectis; ex Nonio, et Prisciano.
Sera parecte.
Serranus, περὶ ἀρχαιρεσιῶν.
Sesqui Vlysses.
Sexagesis.
Sisenna de Historia. Logistoricus.
Synistor.
Synephebus, περὶ ἐμμονῆς.
Tanaquil.
Ταφὴ Μενίππου.
περὶ ταφῆς. supra, *Cygnus.*
Testamentum, περὶ διαθηκῶν, περὶ φιλοφθονίας.
περὶ θεῶν ἀπαντήσεως. supra, *Pseudolus Apollo.*
Tithonus, περὶ γήρως.
Tricipitina.
Trihodites, *Tripylius*, περὶ ἀρετῆς κτήσεως (al. καὶ φύσεως.)
Tripallus sive *Triphallus*, περὶ ἀῤῥενότητος.

Tubero, sive *de origine humana*, (al. *Romana* male.) Logistoricus.

περὶ τύφυ. supra, *σκιαμαχία*.

περὶ θυσιῶν. supra, *Hecatombe*.

περὶ τύχης, supra, *ἔχω σέ*.

Vae victis, *περὶ φιλονεικίας*.

De Valetudine. supra, *Messala*.

Vinalia, *περὶ ἀφροδισίων*.

Virgula divina.

Ὑδροκρύων. sive vt Clarissimus Falsterus ad Gellii XIX. 30. legit, *ὑδροκύων*.

Casp. Barthius XV. 19. Adversar. in MSto Codice, nescio quo, ait se has reperisse Varronis sententias:

M. Varro dixit: ficte referas gratias invite danti. Vix datum, ne beneficium putes, sed praedam. Semel dedit qui rogatus, bis, qui non.

Extorquere est plus quam semel rogare.

Turpissimum est in mendaciis confidere: Pulcherrimum est foenore datam gratiam reddere.

Vis experiri amicum? calamitosus fias.

Non refert quis sed quid dicam.

Nemo suum putet quod extra ipsum est.

Excellentissimum est docendi genus exemplorum subditio.

Studia tantum intermittantur, ne obmittantur. Gaudent varietate Musae, non otio.

Nil magnificum docebit qui a se nihil didicit.

Non essemus pauperes, si ignorare nos pateremur quid esset paupertas. Optimus est ad summas divitias progressus, ignoscere se paupertati. Non est miser nisi qui sic se esse putat.

Nusquam perveniet, qui quot videt, sequitur calles.

Imperitiae signum est, quod difficillimum est, exigere cito fieri.

Nulla iactura gravior est scienti quam temporum.

Viatores non vadunt ut eant: sic vita non sui causa sit, sed ut in ea praeclarum aliquid fiat.

Con-

Contemnendi sunt ineruditorum contemtus.
Si vis ad summum progredi, ab infimo ordire.
Multi laudem amittunt quam ipsi de se dicunt.

Svetonius de illustribus Grammaticis c. 23. de Rhemmio Palaemone: *arrogantia fuit tanta, ut Marcum Varronem porcum appellaret.* Caspar Barlaeus Epistola ad Ioachimum Vicofortium: *Palemon Grammairien fort satirique appelloit le docte Varron le pourceau des lettres, parce qu'il ramassoit de toutes parts beaucoup des choses sans choix et sans jugement.* Dubito an haec fuerit Rhemmii sententia. Nec enim porcorum est colligere, sed rimari ac tentari rostro.

V. *Argonauticorum* libri IV. fuere alterius eodem tempore celebris *P. Terentii Varronis*, a patria, Galliae Narbonensis vico Atace, dicti *Atacini*, *i*) ut observatum praeter alios Gyraldo, dialogo IV. de poëtis pag. 202. et Vossio lib. I. de Hist. latinis c. 16. Idem Atacinus *bellum Sequanicum* carmine Heroico descripserat aliquot libris, quorum *secundus* allegatur a Prisciano lib. X. p. 877. Alii Varrones complures videantur apud Glandorpium in gentibus Aelia, Cingonia, Rubria, Terentia, Vibidia et Visellia.

VI. SCRIPTORVM ET LIBRORVM NOMINA QVAE A VARRONE IN LIBRIS DE LATINA LINGVA REFERVNTVR.

Ad paginas editionis anno 1581. 8.


L. *Attius* 9. 26. 60. 67. 69. 74. 76. 78. 79. 80. 140.
In Bruto 22.
In Philoctete 67.
In carmine Priami 70.
In tragoediis 140.
M. Attius Plautus 24. 72. 80. 81.

 In

i) Varronem Atacinum agentem annum 35. aetatis Graecas litteras dedicisse scribit Hieronymus, et ex eo Prosper in Chronico.

In

INCERTORVM.



CAPVT VIII.

DE

M. TVLLIO CICERONE.

I. *Ciceronis aetas.* II. *Laus.* III. *Scripta quae exstant Rhetorica.* IV. *Orationes.* V. *Epistolae.* VI. *Philosophica.* VII. *Fragmenta et scripta deperdita.* VIII. *Suppositia.* IX. *Editiones Opp. o.* X. *Varii libri recentiorum, scriptis Ciceronis rebusque lucem afferentes.* XI. *Index Scriptorum, quorum Epistolae, cum epistolis Ciceronis ad Familiares leguntur.*

I. M. *Tullius Cicero*, *a*) Romanus, ex equestri familia, natus est in villa Arpinate *b*) A. V. C. 648. Q. Servilio Caepione et C. Atilio Serrano COSS. die *c*) tertio Ianuarii. An a Rege Tullo duxerit originem, disputant Dausquius et N. Heinsius ad Silium VIII, 407. Pater fuit eques, mater Helvia. Nam calumnia est Fufii Caleni ap. Dionem L. XLVI. patre fullone natum dicentis. Sed de maioribus Ciceronis v. Interpr. ad Or. II. in Rullum. Vitam ipsius e veteribus, ne perditos *Tullii Tironis* et *Cornelii Nepotis* libros memorem, *Plutarchus* scri-

I 5

a) Plinius XVIII. 3. *Iam Fabiorum* (nomen) *Lentulorum*, *Ciceronum*, *ut quisque aliquod optime* (leguminis) *sereret.*

b) Idem Plin. XXXIII. 18. *Cicero Arpinas*, *municeps C. Marii.* Quanquam vero non natus Romae Tullius, tamen ad decus Romani sermonis plus contulit quam sexcenti alii etiam e disertis. Sed nec Varro, nec Lucretius, nec Caesar Romae geniti, et multi alii insignes Auctores Latini aliud quam Romam natale solum habuere. Nimirum ut Cardinalis Bembus observat, saepius cultiores videmus scriptores prodiisse, non natos iis in locis, ubi linguae elegantia tanquam in patria sua viget. quo maiorem illi adhibent diligentiam, ut effugiant vitia et sermonem castigent, cultumque eius ac nitorem, quem negligentiores urbani non dubitant congenitum sibi esse, studio et attentione assequantur.

c) Conferatur illustris doctrinae Viri Steph. Baluzii dissertatio de die natali Ciceronis, et Epistola ad Em. Cardinalem Norisium, quae exstat ad calcem notarum in librum Lactantii de mortibus persecutorum editionis Traiectinae V. C. Pauli Bauldri 1693. 8. p. 118. 119.

scripsit, et brevius *Aurelius Victor* cap. LXXXI. Inter recentiores copiose eam atque diligenter singulari libro tradidit Franciscus Fabricius Marcoduranus, digestam per annos aetatis, qua vixit Cicero quatuor et sexaginta. Prodiit haec vita primum separatim Colon. a. 1563. 8. ac deinde saepius recusa est variis formis locisque, ut notatum Tho. Crenio parte 2. animadvers. p. 193. seq. Novissime Budingae 1727. 8. Etiam adiuncta legitur melioribus quibusdam editionibus Ciceronis, ut Gruterianae, Hamb. 1618. fol. apud Frobenium. Ante Fabricium hoc argumentum tractaverant *Christoph. Mylaeus*, *Henr. Bullingerus*, cuius narrationem de vita Ciceronis Romae repertam a. 1553. edidit Vuolffgangus Peristerus Borussus. *Iac. Angelus de Scarparia*, *Leonhardus Aretinus*, qui pro Plutarchi interpretatione novam ipse Ciceronis vitam dedit, inter Plutarchi parallelas latine editas plus semel excusam: *Constantius Felix* Durantinus libris duobus de exsilio et glorioso reditu Ciceronis, Lipsiae, 1535. 4. *Christophorus Preyssius* Pannonius, Basil. 1535. 8. *Sebastianus Corradus* vir pereruditus in Egnatio sive Quaestura, qua Ciceronis etiam mores adversus Plutarchum aliosque tuetur, Bononiae anno eodem: *d*) et *Petrus Ramus* in Ciceroniano, Paris. 1556. Post Fabricium memorandus etiam *Lambinus* in sua Cic. editione: *Benedictus Herbestus*. a. 1568. tum *Io. Brantius*, qui cum elogiis virorum illustrium e Cicerone collectis Tullii vitam Chronologico ordine digessit, Antuerp. 1612. 4. *Dauidis Chytraei* tabula Chronologica, cum Scarpariae libello edita Berolin. 1587. 8. *Sim. Vallambertus* in vita Cic. Paris. 1587. 8. *Rudolphus Capellus* in Protheoria Ciceroniana, Hamb. 1683. fol. *Casp. Sagittarius* libro de vitis Plauti, Terentii, ac Ciceronis Altenburg. 1671. 8.

Libro

d) Huius Corradinae Quaesturae, cum sint duae partes, una tantum vulgo edita est, nempe maior, quae de vita Ciceronis est: alteram minorem, quae tractat loca Ciceronis, emendat, explicat, et per eorum occasionem etiam aliorum scriptorum, ignoratam fere, sed dignam lectu addidit editio Lipsiensis a. 1754. 8. ex editione Veneta 1537. 8.

Libro de lectione et imitatione Ciceronis, ibid. et in Historia vitae ac mortis Tulliae filiae, Ien. 1669. 4. Tulliae vita nescio quo auctore Parisiis edita 1681. 8. Vide etiam Petrum Lambecium lib. 2. de Bibl. Vindob. p. 726. seq. His accessit The History of the Life of M. T. Cicero, by Conyers Middleton. D. D. principal Library-keeper of the Vniversity of Cambridge, the 2d. edition Lond. 1741. 8. in III. Volumes: in praef. p. XX. as I have borrowed my Plan, so I have drawn my materials also from Cicero. ubi speciatim laudat Epistolas ad familiares et ad Atticum, velut memorias istorum temporum. Huius loca quaedam examinavit *Iac. Tunstallus* in Epist. ad Middletonum, de qua infra. In praesenti annotare suffecerit, Consulatum gessisse anno V. C. 691. et Catilinae furoribus patriam feliciter liberasse. Ab eo tempore missum esse in exsilium anno 696. sed mense decimo sexto post, omnium consensu atque *Italiae humeris*, ut ait ipse, in Vrbem reportatum, praefuisse Ciliciae cum Imperio anno 703. Hinc cum semper omni ope Reip. partes, quantum potuerat, in bello civili tutatus esset, a Caesare victore veniam consecutus, sed tandem triumvirorum, vi, Antonii maxime, adversus quem in Philippicis constantissime et gravissime verba fecerat, oppressum, Octaviano Augusto, qui Ciceronis suffragio Consulatum *e*) acceperat, aliquamdiu frustra obnitente, proscriptum misereque obtruncatum *f*) periisse VII. Id. Decembris, anno post C. Caesarem in senatu transfossum, qui erat V. C. 711. ante Ch. 43.

Ciceronis effigies extat in nummo Magnesiorum apud Tristanum Tom. 2. 429. et in alio apud Lambecium Tom. 2. p. 726. ubi de corona eius laurea, quam in Cilicia promeruit p. 628. atque in veteri Cyriaci Matthaei marmore ibid. nec non in gemma apud Laur. Begerum p. 71. thesauri

e) Plutarchus in Cicerone p. 884.

f) Adi si placet Senecam suasoria VII. et quae ad Cornelii Severi fragmentum Theodorus Gorallus sive Ioannes Clericus V. Cl. de invento Ciceronis sepulchro in Zacyntho insula exstat Epistola Desiderii Lignaminei, Venet. 1547.

thesauri Palatini: et in veteri anaglypho porticus serenissimi Ducis magni Hetruriae apud Iac. Gronovium Tom. 3. thesauri Graecar. Antiquitatum. In plerisque tamen horum desideratur vestigium naevi sive cicerculi sub sinistro oculo, a quo Ciceronis nomen aiunt tulisse, et quem in veteri statua marmorea thoracide Venetiis vidisse se testatur Georg. Hieron. Welschius in actis Naturae curiosor. Decade I. anno 3. p. 54. Sed nomen a maioribus transmissum, ab eiusmodi Ciceronis naevo derivandum esse merito negat Conyers Middleton History of the Life of Cicero T. 1. p. 6. sq. rationem appellationis petens, duce Plinio Hist. nat. XVIII. 3. 1. ex eo, quod maiores in colendo hoc genere leguminis nobiles fuerint: ut Fabii, Lentuli etc. unde sculptores etiam veteres Ciceroni naevum eiusmodi affingentes reprehendit. De peregrinatione sua et studiis Cicero ipse in Bruto cap. 91. seq. cui iungendae C. V. Io. Georgii Walchii amoenitates historicae et Geographicae de Ciceronis peregrinatione Lips. 1715. Quis vero non miretur Ciceronem, hominem novum, de quo ipse fere gloriatur Orat. pro L. Muraena c. 8. primo statim, quo petere eum licebat, tempore, hoc est, tertio et quadragesimo anno aetatis, Consulatum Romae et petiisse et impetrasse et gessisse tanta cum auctoritate. Confer Orat. contra Rullum c. 1. seq. et de Catilina a Cicerone Consule oppresso Excerpta Peiresciana p. 797. et Orationes Catilinarias, Sallustium etc. Consulatus sui res gestas breviter celebrat Cicero in Pisonem c. 2. 3. et reditum ab exilio c. 15. Historiam exilii Ciceroniani Gallice diserto stilo scripsit *Morabinus* Paris. 1725. 12. vitam integram pollicitus, usus que notis ineditis Abbatis *de San Real* in librum tertium et quartum Epistolarum ad Atticum. Eadem Anglice etiam versa prodiit Lond. 1726. 8. Ante Morabinum de exilio Ciceronis Latine scripserat *Hortensius Laudus* et *Constantius Felicius Durantinus*, cuius alter etiam libellus exstat de glorioso eius reditu quem composuit annos natus non plures quam septendecim. Ob-

servatio-

ſervationes de Vita Ciceronis ſeparato libello Lond. 1731. 8. neſcio quo auctore Anglice editae. Nummus in Ciceronis ex Cilicia triumphum apud Begerum Tom. 2. theſauri Brandenburg. Conſulere etiam iuvabit eiuſdem Begeri examen dubiorum quorundam, ubi Ciceronem Proconſulem non Ciliciae tantum, *g*) ſed Cypri quoque et (partis) Aſiae fuiſſe diſputat. Berolin. 1704. fol.

Vxorem ipſius Terentiam fuiſſe, ſororem Fabiae Terentiae virginis Veſtalis, notat Plutarchus in Catone minore p. 768. Filius Ciceronis Marcus Tullius ex paterno ingenio nihil admodum habuit praeter affectationem urbanitatis ſive iaciendi ioci, cuius exemplum affert Seneca ſuaſoria ultima. Non minus tamen ac pater Conſulatum obtinuit, geſſitque eodem quo Auguſtus an. V. C. 723. ſuffectus ex Idibus Sept. et in conſulatu ſuo auctor fuit, ut ſtatuae, imagines, ornamenta M. Antonii omnia deiicerentur, ſancireturque edicto, ut ex Antoniorum familia nemo Marcus nominaretur. Vide Plinium XXII. 6. et Plutarchum in Ciceronis patris vita p. 886. Appianum quarto Civilium p. 619. Dionem p. 456. ſeq. etc. Numus Ciceronis filii, triumviri Monetalis, apud Lambecium T. 2. p. 738. Multi ſunt in huius Ciceronis filii laudibus efferendis ſcriptores duo recentiores, quorum unus Latine, alter Gallice vitam eius conſignarunt, et ſimul nonnulla attigerunt de rebus patris, fratriſque eius Quinti, et quem hic habebat filium cognominem, Quinti Ciceronis. Latinus quidem, raro obvius, ſcriptus diligenter terſoque ſtilo, non indignus mihi viſus, quem praelo iterum ſubiici curarem Hamburgi 1729. 8. una cum Andreae Schotti Cicerone patre a calumniis vindicato. Titulus libri eſt: *h*) *M. Tullii Ciceronis Vita, continens rerum cum ab aliis tum ab ipſo domi foriſque praeclare geſtarum hiſtoriam,* Simone Vallamberto, *Heduo Avalonenſi autore.* Pariſ. apud

g) Cicero de Divinatione libro et capite 1. *Cilicum autem et Bithynorum gens, et his finitima Pamphylia, quibus nationibus praefuimus ipſi.* etc.

h) Henr. Io. Buttemeiſteri programma VViteb. 1720.

apud Barthol. Macaeum 1587. 8. Auctor posterioris, quae Gallice lucem vidit Hagae 1715. 12. i) *Histoire des quatre Cicerons*, ex Vallamberto profecit, licet vix usquam commemoret nomen, nisi p. 222. vitiose *Valember* pro Vallamberto.

De Tullia Ciceronis filia et genero Dolabella k) eruditam observationem leges in Acerra Philologica Hallensi Germanice a. 1715. 8. edita p. 533. seq. De fano, quod Tulliae filiae suae defunctae Cicero monumentum dedicasse se innuit XII. 25. 27. ad Atticum, Dissertatio Nicolai Mongalti inserta Memoriis Academiae Regiae inscriptionum, vulgatis Gallice T. 2. p. 473. Sed de Ciceronis uxore, liberis videndus inpr. Corradus in Quaestura.

In Academiam et thermas Ciceronis, quae oculis medebantur, argutum Epigramma Laureae Tullii, eius liberti servatum est a Plinio XXXI. 2.

De clade Ciceronis patris v. Plutarchus in Vita eius p. 884. seq. Ioannes Antiochenus in excerptis Peirescianis p. 798. Valerius Max. V. 3. 4. Martialis III. 66. et quae ex Livio et Severo Seneca suasor. VII. e recentioribus Io. Conradus Dietericus in vita Augusti Imp. p. 78. seq. et Theodorus Gorallus sive Io. Clericus ad fragmentum Cornelii Severi dedêre.

Desiderii Ligraminei, Patavini ad Io. Baptistam Privitellium Cenetensem descripta et Venetiis a. 1557. edita facies monumenti Ciceronis, reperti ut aiunt a. 1544. in Zacyntho insula cum inscriptione *M. Tulli Cicero Have et tu tertia Antonia*, cumque urna inscripta verbis *Mar. Tul. Ave*, et vasculo excipiendis lacrymis, recusa exhibetur in Amplisс. Viri Burchardi Gotthelf Struvii Bibliotheca librorum variorum, theca 1. Ien. 1719. 4.

S. Hieronymus, cuius Epistolae selectae sub Tullii Christiani nominе a Monacho quodam Benedictino vulgatae

i) Acta Erud. a. 1715. p. 155. Iournal literaire Tom. V. p. 118. Neve Bibl. XXXIX. p. 188.

k) Duo Dolabellae, de quibus Graevius ad Suetonii Caesarem p. 776.

gatae sunt Parisiis a. 1718. 12. Eustochio suae Epist. 22. narrate febricitanti, sibi visum se coram divino tribunali vapulare, quod Ciceronianus magis esset quam Christianus. Pro re vere gesta accipiens Petrus Blaesensis Epist. 140. *B. Hieronymus*, inquit, *fere usque ad internecionem flagellatus est ab Angelo, quia rhetorici lepore sermonis illectus vanitati operam dabat.* In Corpore Canonico Can. *legimus* 7. distinct. 37. *Legimus de B. Hieronymo, quod cum libros legeret Ciceronis, ab Angelo est correptus eo, quod vir Christianus paganorum figmentis intenderet.* Aliis somnium, quod ipse alibi firmat Hieronymus: aliis, ut Heumanno *l*), merum est commentum Hieronymi. Sed nihil impedit quo minus fuerit somnium ex iis, quibus videmus nobis vigilare et tamen somniamus, quod febricitantibus saepius accidere est notissimum.

II. Verissime prodidit Velleius I, 17. *perfectum prosae eloquentiae decus sub principe operis sui Tullio erupisse:* atque S. Hieronymus, *in arce eum Romanae stetisse eloquentiae.* Quae enim vis, quae suavitas, quanta copia in eius oratione, quae dignitas, quanta rursus abundantia rerum, honestas sententiarum: cumque familiariter agit cum amicis ac necessariis suis, quantus in simplicitate inimitabili nitor, quantus delectus verborum, ecquod porro doctrinae genus, quae pars, quam ille ingenio suo non dicam attigit, sed mirifice illustravit et amplificavit: quid tam abstrusum aut difficile, quod pro illo usu rerum et doctrinae, qua abundabat, ubertate non potuerit explicare facillime atque quam pulcherrimis luminibus exornare. Ex innumerabili autem multitudine eorum, quibus admirabilis semper Cicero visus est, Stephano Doleto etiam *Deus*, unum duntaxat adscribemus testimonium Plinii VII. 30. Hist. *Salve primus omnium parens Patriae appellate, primus in toga triumphum linguaeque lauream merite,*

l) Anno aetatis Hieronymi XXXII. vide Tillemont. Tom. XII. memor. Hist. Eccles. p. 24. seq. Cherubini a S. Iosepho apparatum Biblicum T. 1. p. 380. seq.

merito, et facundiae latinarumque litterarum parens: atque ut dictator Caesar, hostis quondam tuus, de te scripsit, omnium triumphorum lauream adepte maiorem, quanto plus est ingenii Romani terminos in tantum promovisse, quam Imperii. Antonii Schultingii erudita Oratio de *iurisprudentia* Ciceronis subiuncta est viri illius clarissimi dissertationibus editis Franequ. a. 1708. 4. et recusa ad calcem dissertationum eius de recusatione iudicis Lugd. Bat. 1714. 4. nec non post Cuiacii, Ruperti et Bynkershoekii notas ad Pomponium de origine Iuris p. 309. seq. Halae 1735. 4. Quanquam, Ciceronem ICtum non fuisse, disputat. Nempe non fuit professione, et qui ab aliis consuleretur et operam scribendo, cavendo, respondendo navaret, sed iuris peritum fuisse nemo negat: nam alias caussas civiles in foro agere non potuisset. add. Cornelium van Bynkershoek in opusculis varii argumenti, p. 83 - 90. de quibus opusculis vide Acta Erud. a. 1720. p. 111. et 116. seq. Nicolai Harschei diatribe de divinatione Ciceronis (Reip. mutationem praesagientis,) in exemplum divinationis civilis proposita Marpurg. 1710. 8. Iac. Perizonii Oratio inauguralis lectu dignissima, de Ciceronis eruditione et industria, proposita in exemplum iuventuti Academicae. Franequ. 1682. Io. Sam. Bergeri Cicero *Medicus*. Witeb. 1711. Io. Casp. Haferungii Cicero *Theologus*. Witeb. 1701. Io. Philippi Treuneri diss. de Theologia Tullii, Ienae edita. Ex utroque horum, sed longe magis ex ipsa Ciceronis lectione constare puto, alienum fuisse ipsum ab errore Epicuri, quem illi impingit Io. Matthias Gesnerus, qui in Chrestomathia Ciceroniana, libro utilissimo alioqui et commendando adolescentibus p. 277. providentiam Divinam ab Cicerone negatam fuisse affirmat.

Vim dictionis Tullianae innuere videtur Ennodius Epist. 5. scribens de Avieno: *Aurum Demosthenis et ferrum Ciceronis expendit.* Idem Epistola XVI. *Adhibita, credo, adversus me fuisset Tulliani profunditas gurgitis, Chrysippi proprietas, Varronis elegantia.* Magnus

nus Ciceronis, sive chirographa eius, adhuc superabant temporibus Quintiliani, quo iudice X. 1. Tullius effinxit vim *Demosthenis*, *Platonis copiam*, *et Isocratis iucunditatem:* atque, ut ait Velleius, effecit, *ne quorum arma vicerant Romani*, *eorum ingenio vincerentur.* Hieronymus prologo quaestionum Hebr. *Sed et Tullius*, *qui in arce eloquentiae Romanae stetit*, *rex oratorum et Latinae Linguae illustrator*, *repetundarum accusatur a Graecis.* Similiter *Regem eloquentiae* appellat Paschasius Ratbertus prologo in Evangelium Matthaei. Et Themistio Graeco scriptori Oratione XIII. ad Gratianum Imp. p. 173. audit ὁ πάνσοφος Τύλλιος, ὁ τῆς παλαιᾶς Ῥωμαίων σοφίας ἡγεμὼν, *qui nihil ignoraret*, *dux et auctor veteris Romanorum sapientiae.*

III. Ex scriptis Ciceronis exstant:

1. *Libri II.* qui vulgo *de inventione* inscribuntur, soli tulere aetatem e *libris quatuor*, quos fecerat adolescens *de arte Rhetorica.* Confer Vossium de natura Rhetoricae cap. XIII. p. 91. In duos illos libros edita sunt Commentaria Rhetoris antiqui *Fabii Marii Victorini* (de quo infra libro IV.) cum variis Ciceronis scriptis, Venet. 1490. Mediolani 1498. fol. et separatim Paris. apud Rob. Stephanum 1537. 4. atque una cum variorum Commentariis in universos Rhetoricos Ciceronis libros, additis *Marini Becichemi* castigationibus Basil. 1541. fol. ac denique inter antiquos Rhetores latinos collectos et editos a Francisco Pithoeo. Paris. 1599. 4. *Libri duo de inventione*, ab initio sub titulo *Rhetoricae veteris* prodierunt, quemadmodum libri ad Herennium nuncupantur *Rhetoricae novae.* Itaque et a Georgio Trapezuntio per Rhetoricam veterem libri de inventione denotantur, non libri ad Herennium, ut sibi persuasit Clarissimus Gibertus: *m*) idque recte observatum in Diario Lipsiensi. *n*) At verba haec, Commentarii

m) Iugemens sur les Auteurs de la Rhetorique.

n) Never Bücher Saal XXXIX. p. 319.

tarii in libros ad Herennium, non sunt Marii Fabii Victorini, qui in illos non scripsit, sed recentis scriptoris: *Nova Rhetorica* (vocantur libri ad Herennium) *ad differentiam veteris, quam in adolescentia scripsit* (Cicero) *de qua in Oratore ait:* qui libri nobis exciderunt etc. Hos libros cum iis, qui sunt ad Herennium, primum editos habemus Venetiis 1470. fol. per Nicolaum Ienson, cum his versibus ad calcem.

Emendata manu sunt exemplaria docta
Omniboni, quem dat utraque lingua patrem.
Haec eadem Ienson Veneta Nicolaus in urbe
Formavit, Mauro sub Duce Christoforo.

Eius editionis exemplum repetitum est saepe etiam cum ipsis illis versibus, ut Mediol. 1474. et sine loci et anni notatione 1476. Venet. 1479. per Phil. Condam, 1481. per Bapt. de Tortis, 1483. per Io. de Fortivio, item 1486. 1488. 1490. 1493. etc. Post correctio adhibita est paullatim textui horum librorum maxime ab Aldo in editione Rhetoricorum Ciceronis 1514. 8. qui tamen textum nimis multis locis, saepe non bene mutavit. Ante a. 1508. 8. Florentiae ap. Iuntam eosdem libros ediderat Laur. Romuleus, Flor. qui textus fere consentit cum textu Mediolanensi, Operum Ciceronis 1498. Ceterum textus Aldinus deinde basis omnium editionum factus est. Habemus et ed. s. l. et a. 8 quae videtur initio Sec. XV. facta esse Lugduni. Nam iisdem literis et eodem insigni habemus editionem Quintiliani, quae se Lugdunensem profitetur.

Posthaec hos libros edidere separatim, etiam emendare studuerunt *Nascimbenus Nascimbenius* Venet. 1563. 4. additis etiam notis, item *I. Mich. Brutus* Lugd. 1570. 12. Recentissime Lugd. B. 1761. 8. cum libris ad Herenn. editi sunt a *P. Burmanno sec.* cum not. integris Lambini, Vrsini, Gruteri, Iac. Gronovii et excerptis aliorum, item Lect. Var. et notis postumis Graevii: additis in fine notis *Bruti*, et ineditis Fr. Oudendorpii, in quibus textus emendatio-

dationes e libris scriptis et edd. pr. propositae sunt diligenter collatis.

2. *Dialogi III. de Oratore*, ad Q. Fratrem, quos ipse laudare non dubitavit: et est iis nihil excellentius in hoc genere: ad Att. XIII, 19. et Div. I, 9. Top. 25. 26.

Prima editio facta est in monasterio Sublacensi per Sweinhemium et Panarz 1466. aut 1467. f. ut docet Mermannus Origg. typogr. p. 246. Secuta est altera Romana 1468. per Vlricum Han, de Vienna. Hanc excepit Waldarferiana a. 1470., quae et repetita est 1472. Huic proxima esse videtur Mediolanensis 1477. f. per Lavagniam. nam ea, quae extat f. l. et a. utrum praecesserit eam an secuta sit, incertum est, mihi tamen illud placet, sed haec, quae est f. l. et a. correctior est superioribus, quam et Mediolanensis in Operibus 1498. plerumque secuta est. De ea v. et Maittaire T. IV. P. II. p. 750. Exemplum eius est in Bibliotheca Lips. Paullina. Porro 1478. editi sunt Venetiis per Andr. Katharensem, qua usus est Pearcius. Cum Omniboni Comm. rursus 1485. f. Seculo sequente *Lucas Robia* Flor. 1414. 8. ap. Iuntas edidit. Basin fecisse videtur textum Mediolanensem 1498. (in Opp.) quem passim tamen mutavit: sed moderatius Aldo, qui eodem anno hos libros inter ceteros rhetoricos edidit. Separatim etiam edidit *Phil. Melanthon* Hagenoae 1525. 8. cum notis brevibus, et, nescio quis, Lipsiae 1715. f. non certe indoctus vir. Post operae pretium fecit *Iac. Lud. Strebaeus*, qui hos libros edidit cum docto Commentario Paris. 1540. f. Paucis annis ante 1533. ibidem cum notis ediderat *Audomarus Talaeus*, ut alios obscuros mittamus. Oxon. 1696. 8. edidit hos libros *Thom. Cockmannus* additis excerptis lectionum e MSS. edd. et notulis: haud paullo melius *Zach. Pearcius*, post Episcopus Oxon. 1716. et iterum 1732. 8. emendato e MSS. et edd. vett. duabus textu et locis difficilioribus explicatis. Nam *Iac. Proust* ed. in usum Delphini Paris. 1687. 4. repetita etiam Oxon., ea vero nihili est. Praeter *Strebaeum* etiam alii loca quaedam

dam vel emendare vel explicare instituerunt, ut *Marinus Becichemus Scodrensis*, cuius castigationes extant in Corpore Basileensi Commentariorum in Ciceronis libros Rhetoricos: correctiones ipsas fere in margine indicavit Ascensius ed. 1511. *Bened. Averanii* Diss. in L. I. de Or. inter Opera eius T. II. multas res illustrant, quarum in iis mentio est: suntque lectu iucundae et utiles. Locum *de iocis* L. II. 54. separatim illustravit *Adr. Turnebus*. Libertus eius *M. T. Tiro* collegerat libros III. iocorum Ciceronis. If. Voss. de Hist. lat. 1, 17. Ionf. de Script. Hist. Phil. III, 17. Multos e Plutarcho, Quintiliano, Macrobio aliisque collegit Fr. Vavassor de dictione ludicra p. 328. s. adde Passeratii praefationem de ridiculis Ciceronis, et A. Schottum in Cicerone vindicato a calumniis c. 5. 6. Extat horum librorum versio Italica *Ludovici Dulcis* cum paucis eius notis, subiectis ad calcem Voluminis, quae lucem vidit Venetiis 1554. 12. Gallica versio Paris. 1673. 8. Anglica auctore G. P. Lond. 1725.

3. *Brutus* sive dialogus *de claris Oratoribus*, quem, fuisse olim, qui in tres partes secarent, cum unus a suo auctore sit editus, testatur Hieronymus praef. in Paralipom. Hunc primum ex Codice MS. descripsisse se, et in manus hominum dedisse gloriatur Blondus Flavius in Italia illustrata p. 346. *Cum in Quintiliani Institutionibus et ad Atticum Epistolis nostrorum Italiae adolescentium ingenia desudarent*, Gasparinus Bergomensis, *Grammaticus Rhetorque celeberrimus*, *Venetiis meliori solito doctrina nonnullos erudivit*, *plurimos ad ea imitanda studia incitavit: florebantque iam et fama celebrabantur Petrus Paulus Vergerius*, *Omnibonus schola Patavinus*, *et natu maiores Leonardus Aretinus*, *Robertus Rossus*, *Iacobus Angeli et Poggius ac Nicolaus Mediceus*, *quem praeceptor domi assiduus erudierat Aretinus*, *Guarinusque Venetiis et Victorinus Feltrensis Mantuae multos coeperant erudire*, *cum Philippus Mediolanensis dux*

dux tertius, Casparinum a Bergomo subditum hominem invitum Mediolanensibus edocendis Padua et Venetia evocavit. Vbi id maxime adiumenti studiis eloquentiae attulit, quod repertus Laude a summo viro Gerardo Landriano tunc ibi Episcopo multis maximisque in ruderibus Codex Ciceronis pervetustus, et cuius literas vetustiores paucissimi scirent legere, ad eius perveniens manus interitum evasit. Continebat is codex praeter rhetoricorum novos et veteres, *qui habebantur*, tres *quoque* de Oratore *integerrimos*, Brutum de Oratoribus claris *et* Oratorem ad Brutum M. Tullii Ciceronis: *unde liberatus est bonus ipse vir Gasparinus ingenti, quem assumserat, labore supplendi, quoad poterat, librorum de Oratore defectus: sicut diu antea in Quintiliani institutionibus multo labore suppleverat. Et quum nullus Mediolani esset repertus, qui eius vetusti Codicis literam sciret legere, Cosmus quidam egregii ingenii, Cremonensis, tres de oratore libros primus transcripsit, multiplicataque inde exempla omnem Italiam desideratissimo Codice repleverunt. Nos vero cum publicis patriae tractandae negotiis adolescentes Mediolanum adiissemus*, Brutum de claris Oratoribus *primi omnium mirabili ardore ac celeritate transcripsimus, ex quo primum Veronam Guarino, post Leonardo Iustiniano Venetias misso, omnis Italia exemplis pariter est repleta.* In hac narratione sunt quaedam partim falsa, ut mox videbimus, partim incerta. Nam in hoc quidem, de quo nunc agitur, contrarium habet Decembrius in Polit. lit. p. 33. qui primum innotuisse Brutum, ait, per Guarinum Veronensem, sed id non multum refert.

Typographorum quidem arte primum publicatus est Romae per Sweinhemium et Panartium, una cum ceteris minoribus rhetoricis libellis: idque corpusculum repetitum est, ut putamus Venet. 1485. ap. Andream Asculanum. Separatim postea editus non est. Proprium enarratorem habuit insignem *Seb. Corradum*, cuius Comm.

editus est Flor. 1552. Extat et *Coelii Sec. Curionis* Comm. editus Basil. 1564. Addantur *Io. Rivii* Castigationes, qui editione Rom. usus est et Veneta: ut taceamus *Aul. Ant. Palmyreni* Scholia, quae in Collectione Basil. reperiuntur. Idem Brutus Gallice a Girio versus est Paris. 1670. 12. extantque et Entretiens de Ciceron sur les Orateurs illustres, Paris. 1725. cum selectis e Vet. Test. historiis in usum scholarum. Mem. de Trev. 1725. p. 2107.

4. *Orator* sive *de optimo genere dicendi*, ad M. Brutum scriptus est A. V. 708. cum M. Brutus Galliam cis Alpes teneret. Vide Henr. Norisium ad Cenotaphia Pisana p. 271. Exemplum primum repertum est a *Gerardo Landriano*, Laudis Pompeiae Episcopo, missumque *Gasparino Barzizo* ut describeretur et corrigeretur. Sunt, qui hoc de libris de Oratore tribus tradant, etiam veteres, Sabellicus de L. L. reparatione et Blondus ante memoratus, item ipse Furiettus, vitae Barzizianae scriptor. Sed Barzizius ipse in epistola ad Gerardum, in qua ei gratias agit, et apographum (a Cosmo Cremonense factum) mittit, diserte *oratorem* appellat, eumque unum. In eadem Epistola est descriptio Codicis, quem vocat *vetustissimum*, sed *paene ad nullum usum aptum.* Ex eo porro exemplo, sic descripto, omnia alia et scripta et formulis expressa exempla fluxere: unde de textu eius libri iudicare in promtu est.

Editiones antiquissimae sunt eaedem quae Bruti: quas secutae sunt eae, quae sunt in universorum Ciceronianorum Corporibus, Mediolanensi etc. Praeter has habemus Lipsiensem, factam a 1515. f. ab *Hermanno Tulichio*, ex ed. Rom. factam maxime, variis Lectt. in marginem reiectis: Parisiensem 1542. 4. ap. Fr. Gryphium: quae tamen nihil profuerit cuiquam. Profuere ei *libro Strebaeus*, *Victor Pisanus*, *Io. Rivius* et *Melanthon* quorum notae sunt in Corpore Comm. Basileensi.

5. To-

5. *Topica* ad C. Trebatium ICtum primum cum Oratore edita sunt Romae et Venetiis. Separatim a ceteris cum prodiere, fere adiunctum habuere *Boëthii* Commentarium, ut Paris. 1542. et 1547. 1557. 1561. 4. Sic et *Phil. Melanthon* edidit, additis Scholiis suis, Hagenoae 1533. 8. Illustrarunt Topica etiam *Achilles Statius*, qui eum eruditis notis Topica edidit, Lovan. 1552. 8. atque *Antonius Goveanus*, Paris. 1545. 8. Appendix quoque ad explanationes Statii exstat edita Antuerp. 1553. 8. Alios interpretes reperies in Collectione Basileensi ut *Georgium Vallam*, *Io. Visorium*, *Barth. Latomum* et *Hegendorphium*. Cum *Io. Visorii* et *Barth. Latomi*, Comm. prodiere Lugd. 1541. 8. Cum commentariis *Georgii Vallae*, sine anno et loco fol. *Coelii Secundi Curionis* in Topica commentarius Basil. 1553. 8. Denique *Ioannes a Reberteria* Turonensis, ICtus Parisiensis, dignus Duareni discipulus, vulgavit libros quatuor Topicon iuris, Paris. 1575. 8. Viteb. 1590. 8. quibus Ciceronis Topica illustrantur supplenturque.

6. *De partitione Oratoria* Dialogus, quo filius e patre Cicerone latine accipit, quae eidem de ratione dicendi graece tradiderat. Hunc coniecturis quibusdam, sed levibus, iudice Vossio, Ciceronis esse negat Angelus Decembrius lib. I. de Politia litteraria p. 62. *Maioragii* Commentarius in Tullii partitiones lucem vidit Venetiis 1587. 4. Scripsere etiam in hunc librum *Io. Sturmius* Rhetor sua aetate insignis, *Vitus Amerbachius*, *Coelius Secundus Curio*, et, qui in collectione commentariorum Basileensi occurrunt *Georgius Valla*, *Iac. Ludovicus Strebaeus*, *Barthol. Latomus*, et *Christophorus Hegendorphius*. Prodiere etiam partitiones cum tabulis Claudii Minois Paris. 1582. 4. Editiones primae sunt eaedem quae Oratoris et Topicorum. Extat vero etiam ed. a. 1472. in qua Topicis iunguntur, v. Maittaire Ann. typ. T. III. p. 319. T. V. p. 282.

7. *De optimo genere Oratorum* brevis disputatio, quam Cicero *prologi* vicem o) praemiserat *Orationibus contrariis Demosthenis atque Aeschinis* latine a se conversis. Hanc translationem intercidisse, vehementer dolendum est, quoniam Cicero illas Orationes velut exemplar Atticae eiusque consummatissimae eloquentiae de industria delegerat, ac Romanis suis ad imitandum proposuerat. *Achillis Statii* Commentarius in hunc libellum editus est Lovanii 1552. 8. *Io. Antonii Viperani* Antu. 1581. 8.

8. *Libri quatuor Rhetoricorum ad C. Herennium* p) cognatum, ac familiarem suum, quos Ciceroni diserte tribuit S. Hieronymus libro I. in Rufinum atque praefat. ad Abdiam, itemque non uno loco Priscianus, sed et Lupus Ferrariensis (ut videtur) Epistola prima ad Eginhartum: atque Ciceroni praeter Antonium Marinellum aliosque singularibus diatribis vindicatum ivere Georgius Caspar Kirchmaierus, et Io. Petrus Ludovicus in Academia Hallensi Professor, Leonardus Aretinus, Dionysius Lambinus, Marinus Becichemus Scodrensis, qui ab adolescente scriptos q) putat in diss. quod libri ad Herennium a familia Ciceronis amoveri non debeant, et Angelus Bucinensis in defensione pro Rhetoricis ad C. Herennium Philippo Strozae dicata. Becichemi et Bucinensis diatribae occurrunt in collectione Commentariorum Basileensi in libros Ciceronis Rhetoricos. Audacter etiam pro

o) Asconius Pedianus in Orat. pro Milone tamen librum appellat: *Non tantum ex Oratione et Annalibus, sed etiam ex libro apparet, qui Ciceronis nomine inscribitur de optimo genere Oratorum.* Respicit autem haec verba, quae capite IV. leguntur. *Sed si eodem modo putant exercitu in foro, et in omnibus templis quae circum forum sunt collocato dici pro Milone decuisse, ut si de re privata ad unum iudicem diceremus, vim eloquentia sua facultate non rei natura metiuntur.*

p) Lib. IV. c. 69. *Nam et simul libenter, exercemur propter amicitiam, cuius initium cognatio fecit, caetera Philosophiae ratio confirmavit.*

q) Huic sententiae repugnat quod lib. I. cap. 20. exempli loco affertur: *Tullius haeres meus Terentiae uxori meae triginta pondo vasorum det quae volet.* Atqui Tullius Ciceroni natus anno aetatis quadragesimo tertio.

pro Cicerone auctore pugnat Tranquillus Tamyras in Hexasticho, quod in antiquis editionibus legitur:

Dic quibus, o Lector, validis rationibus instes
Hoc non esse, sacri est quod Ciceronis opus?
Non hic ingenium, non spectas flumina linguae?
Non cernis variis dicta ministeriis?
Qui negat hoc, caeli tandem reor astra vetabit,
Et maris esse undas, et gramen esse soli.

Sed viri in lectione Ciceronis versatissimi, tum avorum nostrorum memoria, tum nostra aetate, e quibus vel unum iuvat honoris causa appellare Conr. Samuelem Schurtzfleischium, communibus suffragiis, Tullio hos libros abrogant, tribuuntque vel *L. Cornificio r*) patri, ad quem Ciceronis Epistolae exstant, vel L. Cornificio filio, qui anno V. C. 1719. Consul fuit, et de Rhetorica arte scripsisse e Quintiliano intelligitur; vel *Ciceroni* filio, *s*) aut *Laureae* Tullii Ciceronis liberto, qui et ipse Cicero vocabatur, vel *Tullio Tironi*, quem inter Rhetores memorant Plinius ac Svetonius: vel *M. Gallioni t*) cuius nomen in antiquissimo codice librorum ad Herennium Romano, licet ab alia manu deletum, comparuisse refert Aldus Manutius Pauli F. Epistola ad A. Naugerium: vel *Virginio Rufo*, *u*) quem voce et scriptis eloquentiam docuisse Neronis temporibus, tradunt Tacitus et Quintilianus: vel *Timolao* denique, uni e XXX. Tyrannis, quem ad *Herennium* fratrem scripsisse auctor est Trebellius Pollio. At enim quicunque demum sit auctor, quem

K 5 uti

r) Ita P. Victorius, Paullus et Aldus Manutii, Adr. Turnebus, Muretus, Sigonius, Riccobonus in diss. advers. Marium Martium, Barthius in Adversar. et Glandorpius in Onomast. And. Dounaeus ad Chrysost. T. VIII. p. 340. Vide etiam Io. Rainoldum praelect. XX. de libris Apocryphis Tom. I. p. 166. et Vossium de natura Rhetoricae cap. XIII. p. 92. 93. qui pro Cornificio filio librorum ad Herennium auctore disputat.

s) Haec sententia placuit Nascimbaenio in lib. 2. Cic. de invent. ut eidem Vossio notatum.

t) Gallionis inter Rhetores meminit Seneca et auctor Dialogi de caussis corruptae eloquentiae. Idem forte ad quem Ovidius IV. 11. de ponto. Gallioni libros ad Herennium tribuit et Iul. Caes. Scaliger.

u) Haec Raphaëlis Regii coniectura est in diss. an Rhetorica falso sit inscripta ad Herennium.

uti Ciceronem esse vehementer negat, ita *non mediocriter doctum virum fuisse et Rhetorica arte diligenter scripsisse*, recte profitetur Franc. Floridus Sabinus lib. I. lectionum subcesiv. cap. IV. (pag. 1033. T. 1. facis Artium Gruterianae) certe non longe abfuisse ab aetate Ciceronis, libenter mihi persuadeo: tametsi ante aetatem Augusti scriptos non esse ex Gellii XIII. 6. colligit Christianus Falsterus parte 3. amoenitatum philol. p. 286. Herennius, ad quem scripti sunt hi libri, qui fuerit dici non potest. Contra non Cicerone modo, sed etiam *Cornelio Celso* et vel mediocri Celsi auditore (qui et ipse de Rhetorica scripsit) indignos esse ad Herennium libros disputat Franciscus Floridus Sabinus lib. 1. lect. subcisiv. c. 4. Tom. 1. Lampadis artium Gruterianae p. 1037. Sed totam hanc rem, qui accurate explicatam et disputatam cognoscere velit, adeat *P. Burmannum* secundum V. C. in praefatione ad editionem eorum librorum, de qua mox. Quisquis vero fuit auctor, (certe non Cicero) doctore *Hermete* se usum innuit lib. 1. cap. XI. *Causarum constitutiones alii quatuor fecerunt, noster Hermetes tres putavit esse.*

Horum librorum editiones antiquae pleraeque sunt eaedem quae librorum de Inventione, quibuscum sub titulo *Rhetoricorum veterum et novorum* coniuncti sunt. Separatim editorum exempla haec cognovimus. 1) Romae, a. 1474. fol. per Vendelinum de Vila in artibus magistrum. 2) 1477. f. Paris. et Papiae. 3) Mediol. 1479. per Henr. de Cataneis, ap. Scinzeler et Pachel. 4) Friburg. a. 1492. 4. editore Io. Curto de Eberspach. 5) f. l. et a. f. eiusdem seculi, sed sine dubio in Germania facta, cuius exemplum e bibliotheca Comitis Wernigerodani missum est. 6) Cracoviensis a. 1500. 4. cum praef. *Raph. Regii*, unde patet esse repetitionem exempli Italici *Io. Mich. Toxitae*, cum ipsius notis Basil. 1558. 8. 7) *Giberti Longolii* cum brevibus scholiis in margine Antverp. 1536. 8. 8) *Vlr. Zasii*, Bas. 1537. 8.

Inter-

Interpretes multos nacti sunt hi libri, toties ad usum studiosorum eloquentiae editi, fere eosdem cum libris de Inventione. Veteres reperiuntur in Collectione Basileensi: qui vix hodie leguntur. De ceteris, qui exemplis suis notas addidere, dicere separatim, non est necesse.

Corpus quoddam facere vel plurium vel universorum horum Operum rhetoricorum mature coeptum est: primum in libris ad *Herennium et de Inventione:* deinde in ceteris minoribus libris *Bruto*, *Oratore*, *Topicis Partitionibus*, et a Sweinhemio et Andr. Asculano. Ad extremum omnes coniuncti sunt, primum ab *Aldo* seniore Venet. 1514. 8. maj. Cuius textus pro basi deinde fuit editoribus horum librorum; idque institutum imitati sunt alii extra Corpus universorum operum, Venet. 1533. 8. Genev. 1621. 8. cum Lambini notis. Paris. 1681. 4. in usum Delphini a Iac. *Proust*.

IV. Ex *Orationibus* Ciceronis x) ad nos pervenerunt hae LIX. quibus temporis notationem adiunxi ex A. Schotti Tullianarum quaestionum IV. 7. Secundum quam et inde ab Aldo ordinantur:

1. *Pro P. Quintio* ad Aquilium Gallum Iudicem, in causa privata, post Idus Martias anni V. C. 673. aetatis y) sexto et vicesimo. Vide quae viri docti ad Gellium XV. 28. Hanc in specimen caeterarum Tullii Orationum similiter illustrandarum cum notis et animadversionibus suis edidit vir ingenio praestans ac doctissimus *Iacobus Facciolatus*, z) nec paucis illius locis novam et insignem lucem attulit ad calcem Orationis suae, qua Latinae linguae facultatem ex usu bonorum scriptorum potius quam ex Grammaticorum prae-

x) Patrocinium non semper gratuito impertiisse clientibus suis Ciceronem (ut visum Q. Corrado in Quaestura,) probat Frid. Brummerus in commentario erudito ad Legem Cinciam cap. 7. pag. 89. seq. edit. Lipsiensis. Andreas Alciatus X. 20. parergon Iuris; *Ego illud amplius arbitror, si hodie orantem Ciceronem audiremus, fore ut vix a quoquam intelligeretur, tanta pronunciationis ipsius atque accentuum mutatio facta est.*

y) Arnoldus Pontacus ad Eusebii Chron. pag. 488.

z) Giornale de' letterati d'Italia Tom. XV. pag. 458. et Tom. XVI. pag. 366. Journal litteraire T. VI. pag. 494.

praeceptis comparanda. Patav. 1713. 8. Ei deinde et alteram pro Roscio Am. addidit. Eandem Tulli Orationem pridem illustrarunt, *Hotomannus*, *Antonius Luscus* Vicentius, et *Ioach. Camerarius*, et multi alii: inter recentiores *Menardus* in ed. Graeviana.

2. *Pro Sex. Roscio Amerino*, parricidii reo, dicta anno aetatis 27. Vrbis 674. Notis illustravere *Franciscus Hotomannus*, Io. Cyrenius Paraschius, Spirae 1567. Guarinus Veronensis, Sylvius, Melanthon, I. Saxonius, Latomus etc. In hanc Orationem quoque exstat *Scholiastes antiquus a)* a Iacobo Gronovio et Io. Georgio Graevio editus.

3. *Pro Q. Roscio b) Comoedo*, dicta anno aetatis 31. quo Quaestor creatus est, Vrbis 678. Notis illustravit *Franciscus Hottomannus*. Roscianam utramque *Ioach. Camerarius*, *Franciscus Sylvius*, Menardus.

4-10. Orationes septem de causa Verrina 1. Fuere duae actiones. Earum praecursio quasi fuit Disputatio super accusatore Verris constituendo, quae dicitur *Divinatio*. Nam Siculi accusatorem volebant esse Ciceronem quaestorem ante apud se: Caecilius Quaestor Verris se offerebat accusatorem, et sibi potius debere accusationem mandari iactabat, quod Quaestor Verris cum fuisset, melius Cicerone eius facinora et flagitia nosset. Contra eum ergo dicta Oratio, quae in *Caecilium*, s. *Divinatio* dicitur est, prima

a) Scholiasten istum anonymum pridem laudavit Petrus Pithoeus in notis ad Mosaicarum et Romanarum Legum collationem titulo VIII. Editus est primum in editione Ciceronis Gronoviana atque mox in Graeviana, verbisque Ciceronis per singulas paginas substratus, e Codice MS. If. Vossii, cuius Catalogum MSS. Codicum vide sis inter latinos num. 153. An auctor sit *Volcatius Sejus* Gallicanus, non plane certum esse existimo, quamquam Volcatium in Orationes Ciceronis scripsisse testatur S. Hieronymus 1. in Rufinum: placet id autem *Is. Vossio*, qui ad Catull. p. 315. fragmentum in Verr. e Volcatii Comm. adfert. Ceterum commentarium anonymi huius Scholiastae in priorem partem Orationis pro Sex. Roscio, in Gronoviana editione quaeres in clariss. editoris praefatione.

b) De hoc Roscio, *Claudii Francisci Fragverii* diss. Orationem Ciceronis non integram ad nos pervenisse, ex Aristide Quintiliano colligit M. Meibomius notis ad Aristidem p. 288. Res per se patet.

prima. Sequitur Oratio dicta in Actione prima; quae nihil est nisi praefatio interrogationis testium, qua Cicero initium facere necessarium credebat: ea est altera. Actio altera divisa est in Partes quinque, quos Cicero *Libros* vocavit ipse. *Primus* est de praetura urbana. *Secundus* de iurisdictione Siciliensi. *Tertius* quae Oratio frumentaria Ausonio Epist. 22. aliisque dicitur, de furtis Verris in re frumentaria. *Quartus* de signis sive statuis antiquis et aliis monumentis e Sicilia et ornamentis domesticis privatorum a Verre ablatis. *Quintus* denique de suppliciis. *c*) *Pro Verre* contra Ciceronem dicere volebat *Hortensius*. Sed res eo non venit. In edd. quibusdam primis Orationum Ciceronis, 1471. 72. 80. non sunt hae orationes, sed sunt in ed. Rom. et Brix. 1483. etiam ab Iuntina absunt, quod mireris, omninoque non esse in edd. 1472. 1480, cum iam editae essent Romae. Sed Iunta separatim edidit. In primam, secundam, tertiam, et initium quartae Scholia *Asconii Pediani* et *Anonymi veteris* a Gronovio et Graevio editi. Vniversas illustrarunt Franciscus Sylvius, Barth. Latomius, primas quatuor Christoph. Hegendorphius, primam Mich. Toxita, ceteras Ioach. Camerarius, quartam et quintam Petrus Nannius, quintam quoque Eubulus Dynaterus. Horum omnium enarrationes exstant in collectione Comment. in Cicer. Orat. Lugdunensi 1553. fol. Sed inprimis iis profuit opera Hotomanni, Fr. Fabricii, Nannii, Menardi, Manutii etc.

11. *Pro M. Fonteio* Oratio, sed quae mutila et trunca ad nos pervenit. Dixit eam Cicero anno 38. aetatis, Vrbis 685. eodem quo aedilitatem gessit. Notis illustravit *Gabriel Faernus*, *Hottomannus*, et praeter *Franc. Sylvium* et *Ioach. Camerarium* etiam *Franc. Fabricius*.

12. *Pro*

c) Vulgo etiam has septem orationes *libros septem* appellabant, quos miratus sum etiam Fabricium secutum esse; abusum et ipsum loco Cic. in Orat. c. 29. quem locum vitiosum esse ostendi et lectionem ipsam correxi in textu recensionis meae.

12. *Pro A. Caecina.* Dicta anno eodem. Notis illustravit *Petrus Faber*, Lugd. Bat. 1601. 8. *Hottomannus*, *Iac. Omphalius*, *Petrus Pelletarius*. Parif. 1540. 4. *Ioan. Tislinus*, *Latomus*, *Melanthon*, *Camerarius*, *Menardus* etc.

13. *Pro Lege Manilia*, de Imperatore Pompejo deligendo ad Pop. Rom. dicta a Cicerone Praetore, anno aetatis 41. Vrbis 688. Notis illustravit *Franciſcus Fabricius*, *Hottomannus*, *Paulus Benius*, *Rud. Agricola*, Tom. I. Opp. 461. seqq. Colon. 1539. 4. qui potiſſimum ea, quae ad inveniendi ac diſponendi artificium pertinent, annotavit, *Nicolaus Agricola* Blankenburgenſis, *Iac. Omphalius*, et *Ioach. Camerarius*, et multi alii, quorum et lectione et notitia quisque facile careat. Exſtat et in hanc Orationem *antiquus Scholiaſtes* a Iac. Gronovio et Graevio editus.

14. *Pro A. Cluentio Avito.* Dicta anno eodem. De hac Sidonius VIII. Epiſt. 10. *M. Tullius in actionibus ceteris ceteros, pro A. Cluentio ipſe ſe vicit.* Hanc illuſtrarunt *Franc. Sylvius*, *Antonius Luſcus*, *Ioach. Camerarius.*

15. *Pro C. Cornelio*, Maieſtatis reo. Cuius Orationis fragmenta tantummodo habemus cum ſcholiis *Aſconii Pediani.* Non omittendum teſtimonium Quintiliani VIII. 3. ubi de ornatu: *Nec fortibus modo, ſed etiam fulgentibus armis praeliatus in cauſſa eſt Cicero Cornelii, qui non aſſecutus eſſet docendo iudicem tantum, et utiliter demum ac Latine perſpicueque dicendo, ut populus Romanus admirationem ſuam non acclamatione tantum, ſed etiam plauſu confiteretur. Sublimitas profecto, et magnificentia, et nitor, et auctoritas expreſſit illum fragorem. Nec tam inſolita laus eſſet proſecuta dicentem, ſi uſitata et ceteris ſimilis fuiſſet oratio. Atque ego illos credo, qui aderant, nec ſenſiſſe, quid facerent, nec ſponte iudicioque plauſiſſe, ſed velut mente captos, et quo eſſent in loco ignaros, erupiſſe, in hunc voluntatis affectum.*

16. In

16. *In toga candida d)* contra *C. Antonium* et *L. Catilinam* competitores consulatus. Exstant itidem fragmenta duntaxat, cum scholiis *Asconii Pediani.*

17.18.19. *De lege agraria*, prima Kal. Ian. contra P. Servilium Rullum Tribunum pleb. dicta in Senatu a Cicerone Consule, *e)* anno aetatis 44. Vrbis 691. altera ad Populum dicta est, longe pulcherrima, ad quam proprie pertinet locus Plinii VIII. 51. Histor. ubi Ciceronem dicit eloquentia sua populo Rom. sua alimenta eripuisse. Tertia dicta est pariter ad populum. Prima caret principio. Notis illustravit has Orationes agrarias *Hadr. Turnebus* Paris. 1576. 4. Petrus Ramus Basil. 1580. 4. Francf. 1582. 8. Leodegarius a Quercu. Paris. 1540. 4. Eubulus Dynaterus, Ioach. Camerarius et Iacob. Burgelius. *Bernardi Lauredani*, sive qui sub hoc latet, *Caroli Sigonii* commentarius prodiit Venet. 1558. 4.

20. *Pro C. Rabirio* perduellionis reo, ad Quirites. Anno eodem. Notis illustravere *Hadrianus Turnebus* et *Hottomannus* etc.

21. *In L. Catilinam*, in Senatu, anno eodem.

22-23. In eundem, ad Quirites.

24. In eundem, in Senatu. Notis illustravit Catilinarias Orationes *M. Antonius Muretus*, Venet. 1557. 8. Paris. 1581. 8. Albertus Lonicerus, Viteb. 1585. 8. Petrus Ramus, Paris. 1553. 4. In tres posteriores exstat *Scholiastes antiquus* a Iac. Gronovio et Graevio editus. Eaedem cum duabus, sub Catilinae nomine adversus Ciceronem, Badii,

d) Interpres Franciscus *Villefore* stultissime vertit *pour la robe blanche.*

e) Duodecim Orationes Cicero Consul habuit, ut scribit ipse ad Atticum II. Epist. 1. testatus se curasse, ut quemadmodum Demosthenis Philippicae, ita suae quoque essent Orationes, quae *Consulares* nominarentur, *quarum* una *est in Senatu Cal. Ian.* altera *ad populum de lege agraria*, tertia *de Othone*, quarta *pro Rabirio*, quinta *de proscriptorum filiis*, sexta *cum provinciam in concione deposui*, septima *qua Catilinam misi*, octava *quam habui ad populum postridie quam Catilina profugit*, nona *in Concione quo die Allobroges invocarunt*, decima *in Senatu Non. Dec. Sunt praeterea duae breves, quasi ἀποσπασμάτια legis agraria. Hoc totum σῶμα curabo ut habeas.* Ex his interciderunt tertia, quinta, et sexta.

Badii notis illustratae occurrunt ad calcem editionis Sallustii Basiliensis cum notis Varior. 1564. fol. Additur et pag. 1098. quinta Ciceronis nomine adversus Catilinam Oratio, quae incipit: *Non est amplius tempus otii P. C. non est amplius locus potestatum.* Exstant et Orationes in Catilinam et Sallustium cum Sallustii invectiva in Ciceronem excusae in 4. sine anno et loco. Catilinarias Ciceronis illustrarunt Francisc. Sylvius, Caelius Saec. Curio, Ioach. Camerarius, et primam Xicco Polentonus. Et novissime vniversas quatuor, quemadmodum et Orationem pro Milone et pro Caelio, secundamque Philippicam praeclarus ICtus *Franciscus Petrus Gilletus*, cuius Actiones forenses aliaque opuscula iunctim recusa *f*) Gallice, Paris. 1718. 4. Denique Catilinarias quatuor Gallice et Latine, vir illustris *Je. Bouhier* Gallice cum notis Paris. 1727. 12. additis ex nova Gallica versione etiam Demosthenis Philippica prima et secunda.

25. *Pro L. Muraena*, Consule designato. Huic Aonius Palearius disertissimam Orationem in L. Muraenam nomine Catonis min. scriptam opposuit. Notis eam illustravit *Ioach. Camerarius*. Lipsiae 1542. 8. De tempore Orationis pro Muraena dictae consulendus Petrus Victorius Var. Lect. VI, 18. qui non post omnes quatuor Catilinarias, sed ante patefactam Catilinae coniurationem, comprehensosque Catilinae socios habitam fuisse, adeoque in medio Catilinariarum collocandam esse disputat. Eam illustrarunt *Franciscus Sylvius*, *Barthol. Latomus*, *Phil. Melanchthon*, et *Ioannes Benignus*.

26. *Pro L. Flacco.* Haec primum plenior, ut nunc est, edita est in ed. Cratandri Opp. Cic. ex Peutingeriano Codice. Notis illustravit *Gabr. Faernus* Romae 1563. 8. praeter *Franciscum Sylvium* Ambianum Basil. 1537. 4. *Antonium Luscum*, *Christoph. Cornerum*, et *Ioach. Camerarium*.

27. *Pro*

f) Journal des Savans 1719. pag. 666.

27. *Pro P. Cornelio Sulla.* Dicta anno Vrbis 692. aetatis 45. Notis illustravere *Claudius Minos*, Herborn. 1584. 8. *Sylvius*, *Luscus*, *Camerarius*, et *Philippus Melanthon*. Adversus eandem interpellationes sive responsionem Torquati nomine pro Sulla scripsit *Melchior Iunius*, quae inter Orationes eius Argentorati excusas legitur, parte VII. Ad hunc Sullam spectat, quod narrat Io. Sarisberiensis lib. V. Policratici c. 15. p. 311.

28. *Pro A. Licinio Archia.* Anno aetatis Ciceronis 46. Vrbis 693. Notis illustravere, certe voluere plures, ad usus tironum. Habet et communes cum superioribus interpretes in Collectione Basileensi.

29. *Post reditum, ad Quirites.* Dicta anno aetatis 50. Vrbis 697. Notis illustravit *Hottomannus*, *Benedictus Herbestus* Francof. 1506. 8. *Albertus Lonicerus* Viteb. 1572. 8. praeter *Xicconem Polentonum*, *Io. Sturmium*, *Barthol. Latomum*, *Vitum Amerbachium* et *Ioachimum Camerarium*.

30. *Post reditum, in Senatu.* Notis illustravere *Hottomannus*, *Xicco Polentonus*, *Io. Sturmius*, *Iac. Bugelius*, *Ioach. Camerarius*.

31. *Pro domo sua*, ad Pontifices, anno eodem. Notis illustravere *Hottomannus*, *Bartholomaeus Nunciata* Marosticensis Venet. 1553. 8. *Xicco Polentonus*, *Iacobus Bugelius*, *Mich. Toxita*, *Ioachimus Camerarius*. Hanc orationem pulcherrimam iudicat Seb. Corradus, in Quaestura. Mentionem eius facit Quintilianus loc. cit. sed obliquam, cum ait, Calidium dixisse pro domo Ciceronis et Brutum pro Milone. At citatur ab Aquila Romano, et Iulio Rufiniano. Spuriam iudicat *Tunstallus*, cuius dubitationes sustulit I. M. Gesnerus.

32. *De aruspicum responsis*, adversus Clodium dicta in Senatu. Anno aetatis 51. Vrbis 698. Notis illustravere *Franciscus Fabricius*, *Hottomannus*, *Xicco Polentonus*, *Io. Saturnius*, *Ioach. Camerarius*. Hanc quoque spuriam putat *Tunstallus*; cui respondit idem.

33. *Pro Cn. Plancio.* Anno aetatis Cic. 53. Vrbis 700. Notis illustravere *Franciscus Sylvius* Ambianus et *Bartholomaeus Latomus*, *Antonius Luscus*, *Mich. Toxita*, *Ioach. Camerarius.*

34. *Pro P. Sextio.* Anno aetatis 51. Vrbis 698. *Sestianam*, hoc est, Orationem pro P. Sextio, allegat Servius in 1. Georgic. p. 77. 78. Illustrarunt *Xicco Polentonus*, *Iac. Bugelius*, *Vitus Amerbachius*, *Ioach. Camerarius*, *Rolandus Petreius* Paris. 1555. 4. Lacunae eius, quae sunt in edd. pr. expletae sunt primum in edit. Hervagiana 1534. e MS. Senatoris Mediolan.

35. *In Vatinium.* Anno eodem. Notis illustravit *Antonius Goveanus* Paris. 1542. 4. *Hottomannus*, *Polentonus*, *Latomus*, *et Camerarius.* Lacunas edd. pr. explevit ed. Cratandri e MS. Peutingeri.

36. *Pro M. Caelio.* Anno eodem. Notis illustravere *Hottomannus*, *Barthol. Latomus* et *Io. Tislinus* Paris. 1534. *Xicco Polentonus*, *Phil. Melanthon*, *Leodegarius a Quercu*, *Ioach. Camerarius.*

37. *De Provinciis consularibus.* Anno eodem. Notis illustravere *Hottomannus*, *Franciscus Fabricius*, Dusseldorp. 1569. 8. *Xicco Polentonus*, et *Iacobus Bugelius.*

38. *Pro L. Cornelio Balbo.* Anno eodem. Notis illustravere *Hottomannus*, *Vitus Amerbachius*, *Xicco Polentonus*, *Franciscus Sylvius*, *Caelius Secundus Curio*, *Ioach. Camerarius.* Loca in Oratione *pro Balbo* c. 8. 18. et 21. de populis fundis, singularibus diatribis illustrarunt Nic. Rigaltius, Ismaël Bullialdus, ac praecipue Henricus Valesius, quae exstant Tom. 2. thesauri Antiquitatum Romanarum Graeviani. Vide et Iac. Gronovium ad Gellium p. 737.

39. *In L. Calpurnium Pisonem.* Anno aetatis 52. Vrbis 699. Quam multa non initio tantum huius Orationis sed in medio etiam desiderentur, ex numeris versuum in commentario Asconii annotatis investigavit *Hieronym-*

ronymus Lagomarsinus S. I. in Epist. ad Iac. Facciolatum data Florentiae 1733. editaque tomo decimo sylloges cui titulus: Raccolta d'opuscoli scientifici e filologici, Venet. 1433. 12. p. 437. seq. Notis illustravere *Gabr. Faernus*, *Franciscus Fabricius*, *Hottomannus*, *Paulus Benius*, *Iacobus Omphalius*, *Ioach. Camerarius*. Exstant et scholia *Asconii Pediani*.

40. *Pro M. Scauro*, cuius orationis fragmenta tantum ab *Asconio Pediano* servata exstant. Hanc allegat Servius in 1. Georgic.

41. *Pro T. Annio Milone.* g) Anno aetatis Cic. 55. Vrbis 702. Notis illustravere *Ianus Parrhasius* Paris. 1567. 8. et in face Artium Gruteriana T. 1. p. 827. *Franciscus Fabricius* Dusseldorp. 1569. 8. *Io. Pellicolius*, Bergomi 1595. 4. *Iac. Cruquius*, Antverp. 1582. 4. *Esromus Rudingerus*, *Franciscus Sylvius*, *Barthol. Latomus* Paris. 1450. 8. *Nic. Scaevola* Rom. 1549. 8. *M. Bosilorus*, Spir. 1586. 8. *Vitus Amerbachius*, Basil. 1550. 8. *Matthaeus Dresserus*, Vitebergae 1596. 8. *Antonius Luscus*, *Iac. Philomusus*, *Phil. Melanthon*, *Caelius Secundus Curio*, *Ioach. Camerarius*, et *Claudius Baduellus*. Exstant et scholia *Asconii Pediani*. *Pro Milone* orationem quoque exercitationis causa scripserat M. Brutus, etiamsi egisse eum Cornelius Celsus falso existimavit, teste Quintiliano X. 1.

42. *Pro C. Rabirio Postumo.* Anno aetatis 53. Vrbis 700. Notis illustravere *Andreas Patricius*, Cracov. 1582. 4. *Freder. Cerutus*, Veron. 1589. 8. *Io. Tislinus*, Paris. 1536. 4. *Mich. Toxita*, et *Ioach. Camerarius*.

43. *Pro M. Marcello.* Anno aetatis Ciceronis 61. Vrbis 708. Notis illustravere *Andreas Patricius*, *Paulus*

g) Hanc orationem aliter dixit Cicero, aliter ac diligentius deinde scripsit, ita ut Milo negaret, se tantos mullos in exsilio pransurum fuisse Massiliae, si eam ita dixisset in iudicio Tullius, qualem deinde edidit, et ad Milonem misit. Vide Dionem Lib. XL. p. 146. Robortellum in limine tabularum Oratoriarum ad Orat. pro Milone et Scipionem Gentilem ad Apologiam Apuleji p. 8.

lus Bewius, *Claudius Minos*, *Claudius Baduellus*, *Freder. Cerutus*, Veronae 1589. *Val. Erythraeus*, Argent. 1550. 8. *Petrus Francius* in specimine secundo eloquentiae exterioris, Amst. 1699. 8. *Albertus Lonicerus*, Viteb. 1580. 8. tum *Antonius Luscus*, *Franc. Sylvius*, *Melanthon*, *Latomus*, *Caelius Secundus Curio*, *Franciscus Iammetius Textor*, *Ioach. Camerarius*

44. *Pro Q. Ligario* ad C. Caesarem, anno eodem. In qua Oratione omnem vim eloquentiae, omne Rhetoricum artificium, omne affectuum genus exhibere voluisse videtur Oratorum Princeps, eodem Francio iudice. Adde Rupertum ad Pomponii enchirid. de origine iuris III. 12. p. 197. Contra *Q. Ligarium*, atque adeo Ciceronem dixit Q. Tubero, ut partim ex Cicerone ipso constat, et narrat Quintilianus X. 1. Notis illustravit *Andreas Patricius*, *Franciscus Fabricius*, *Ioach. Camerarius*, *Vitus Amerbachius*, *Georgius Trapezuntius*, qui commentarium suum dicavit Victorino Feltrensi: *Georgius Merula*, Tarvisii 1478. fol. cum notis in Iuvenalem adversus Domitium Calderinum, et argumentis Epistolarum Ciceronis ad Lentulum; *Antonius Luscus*, *Franc. Sylvius*, *Barthol. Latomus*, *Xystus Betulejus*, *Philippus Melanthon*, *Caelius Sec. Curio*, *Trapezuntii*, *Merulae*, caeterorumque omnium lucubrationes exstant in commentariis variorum in Orationes Tullii iunctim editis Lugd. 1554. fol. Est mihi editio antiqua huius Orationis excusa Cracoviae in 4. cuius fronti post Petri Conarii hexastichon, quo ait Ciceronem ut in aliis alios, ita hac in oratione seipsum vicisse, subiiciuntur hi phalaeci Michaelis Wrancii Dalmatae:

Istac ut Cicero actione vitam
Quinti Ligarii Charonte ab ipso
Divini eloquii tuba evocavit,
Sic nos, o iuvenes, labore multo
Saevam barbariem iugo prementes

Ho

Hoc Marci auxilio evocemus orco,
Musaque eloquiumque Tullianum.

Deinde afferuntur testimonia de hac Oratione, Pomponii de origine iuris, Quintiliani, et Plutarchi.

45. *Pro Rege Dejotaro*, Tetrarcha Galatarum, ad C. Caesarem anno aetatis 62. Vrbis 709. Notis illustravere *Andreas Patricius*, *Muretus*, *Matthaeus Cardenus*, *Albertus Lonicerus*, Viteb. 1582. 8. *Antonius Luscus*, *Franc. Iammetius Textor*, *Franc. Sylvius*, *Iac. Bugelsius*, *Barthol. Latomus*, *Gerardus Bucoldianus*, *Vitus Amerbachius*, et *Caelius Secundus Curio*, in eadem collectione Lugdunensi. Notae *Ioachimi Hagemeyeri* ad calcem libri primi Variarum Lectionum. Rostoch. 1638. 8.

46-59. *Orationes XIV. in M. Antonium*, quas Demosthenis exemplo *Philippicas* Cicero ipse appellavit. Prima habita in Senatu, ceterae dictae vel scriptae, post Caesarem interfectum, anno aetatis Ciceronis 63. Vrbis 710. Optima ex his secunda, eademque maxima, ut Plinio lib. 1. Epist. 20. notatum, sed quae vita auctori suo stetit:

— — *conspicuae divina Philippica famae*
Volveris a prima quae proxima — Iuvenal. X. 125.

Prima Philippicarum editio Romana in fol. sine anni nota cum praefat. Io. Antonii Campani, apud Vdalricum Hahn sive Gallum, in quem hoc in calce libri legitur eiusdem Campani hexastichon:

Anser Tarpeii custos Iovis, unde quod alis
Constreperes, Gallus decidit, ultor adest
Vldricus Gallus: ne quem poscantur in usum,
Edocuit pennis nil opus esse tuis.
Imprimit ille die, quantum non scribitur anno,
Ingenio, haud noceas, omnia vincit homo.

Eodem tempore etiam edidit *Sweinhemius* cum *Pannartio*, cum ceteris, eamque primam dicit *Quirinus* Card. de optimis script. edd. p. 232. sed non dubitem, a Sweinhemio repetitas esse e Galli exemplo. Deinde editae sunt

 sepa-

ſeparatim a Io. de Colonia 1474. f. Florentiae anno 1515. 8. apud Iuntas, et Pariſ. cum variorum commentar. 1529. 4. 1544. 4. *Gabr. Faërnus* emendavit e MS. Vaticano optimo et cum ſcholiis edidit Rom. 1563. 8. Cum ſcholiis *Mureti* prodiere Colon. 1561. 8. qui ex eodem MS. correxit Pariſ. 1562. 1573. 4. et cum *Hieron. Ferrarii* emendationibus, Venet. 1542. 8. Lugd. 1552. 8. quae ſunt etiam obviae in Bibliotheca Commentariorum ad Orat. Cic. ubi praeterea invenies, quae in Philippicas ſcripta ſunt a Franciſco Maturantio, Vicentiae 1488. fol. G. Trapezuntio, Phil. Beroaldo, Barthol. Latomo, Caelio Secundo Curione, aliiſque. Illuſtrarunt univerſas etiam praeter Georg. Trapezuntium, Maturantium, Beroaldum Pariſ. 1509. fol. Latomum et Io. Sturmium, Caelius Secundus Curio, Baſil. 1551. fol. Tres primores Chriſtoph. Hegendorphinus; primam, ſecundam et ſeptimam Mich. Toxita, ſecundam et ſeptimam Ioach. Camerarius: quorum omnium lucubrationes habes in Bibliotheca commentariorum ad Orationes Ciceronis: in qua occurrunt etiam, quae ad Ciceroni adverſus Salluſtium tributam Orationem ſcripſere Franciſcus Sylvius et Andreas Helmontanus, et in Salluſtii contra Ciceronem, iidem duumviri, atque Xicco Polentonus. A Ciceronis Philippicis locus datus proverbio eſt, ut Philippicae dicerentur pro invectivis. Vide Sirmondum ad Godfridi Viterbienſis lib. I. Epiſt. 15. Hinc et Io. Cochleus quatuor acerbas ſuas in Philippum Melanthonem et Apologiam Auguſtanae Confeſſionis ab illo ſcriptam invectivas, *Philippicas* inſcripſit. Lipſiae 1534. 4. Vti Cicero autem Steleteuticas ſuas Demoſthenis exemplo, ſic et Iuſtinus hiſtorias ſuas ad imitationem Theopompi Philippicas, ſed alio quam Tullius ſenſu appellavit, de quibus infra lib. 2. ſuo loco. Ad ſecundam Ciceronis Philippicam reſponſio *Q. Fufii Caleni* exhibetur a Dione Caſſio libro XLVI. pag. 295. 310. qui idem ſumma capita ſecundae Philippicae tradiderat libro XLV. pag. 279. 294. Dignum Cicerone elogium et facinoris Antonii, qui Auguſtum

ftum; ut Ciceronem proſcriberet, adegit, iuſta deteſtatio exſtat apud Velleium II, 66,

Orationes Ciceronis editae ſunt per Conr. Sweynheim et Arnoldum Pannartz Rom. 1471. fol. cum praefatione Io. Andreae Alerienſis ad Paulum II. In qua editione ſunt universae, etiam Verrinae et Philippicae in fine. Nam initium fit a Maniliana. *h*) Eodem anno editae ſunt Venetiis fol. per Chriſtophorum Valdarfer Ratisponenſem. Ad calcem exſtat hoc teſſaradecaſtichon:

Germani ingenii quis non miretur acumen.
Quod vult, Germanus protinus efficiet.
Aſpice quam mira libros impreſſerit arte,
Quam ſubito veterum tot monumenta dedit.
Nomine Chriſtophorus Valdarfer, *gentis alumnus,*
Ratisponenſis, *gloria magna ſoli.*
Nunc ingens Ciceronis opus, cauſaſque forenſes
Quas inter patres dixit et in populo,
Cernis quam recto quam emendato ordine ſtrinxit
Nulla figura oculis gratior eſſe poteſt.
Hoc autem illuſtri Venetum *perfecit in urbe*
Praeſtanti Marro *ſub Duce* Chriſtophoro,
Accipite hunc librum, quibus eſt facundia cordi,
Qui te, Marce, colet, ſponte diſertus erit.

In hac editione deſunt Orationes pro *Fonteio*, *Roſcio Comoedo*, *Verrinae* et *Philippicae*. Eam primam vocat Gruterus in notis ad Orat. Ciceronis, ſed eodem iure Romana prima dicitur. Succeſſit tertia anni 1472. fol. per Adamum de Ambergau, ſine loci notatione, ſed adſcripto in calce hoc diſticho;

Hoc ingens Ciceronis opus, cauſaſque forenſes,
Quas inter Patres dixit et in populo,
Tu quicunque leges. Ambergau natus alienis
Impreſſit formis. Ecce magiſter Adam.

 Huius

h) Maittarii annal. typograph. pag. 90.

Huius basis est Valdarferiana, sed tamen interdum corre- cta et mutata; ut videtur, e Romana; Desunt eaedem, quae in Valdarferiana.

Proxima est Ven. a. 1480. per N. G. i. e. Girardengum, quae habet easdem, non plures, quas ed. Vald. sed ab ea interdum discedunt eius lectiones. Sed Brixiensis a. 1483. f. habet omnes, ut Sweinhemiana, ex qua est expressa. Hinc iam duae quasi Classes, qua numerum orationum, et textum: altera est edd. 1471. Veneta, 1472. 1480, alteram Rom. et Brix. faciunt: quas fere sequuntur ceterae plenae usque ad Aldum: ut Venet. 1495. per Barth. Zanis de Portesio, et 1499. *Phil. Beroaldi*, anno eod. per Bened. Hectorem Bononiensem. Venet. 1505. per Christoph. de Pensis, cum omnibus vitiis expressa ex edit. 1499. Separatim post editae sunt etiam Flor. 1515. ap. Iunt. per *Nicolaum Angelium*, qui textum pluribus locis e MS. Colotiano correxit. Sed habet ea ed. non omnes Orationes, desuntque Catilinariae, Verrinae, Philippicae: verum eae post separatim editae sunt ibidem, nam Hotomannus ad Verr. V, 65. commemorat ed. Florentinam, quam nobis videre non contigit. Inter haec etiam Mediolani editae sunt per Zarottum, si fides est Io. Smith. ap. Saxium, in Catal. libr. Mediol. p. DCXIII. quamquam qualis sit, docet Io. Parrhasius. Edidit etiam separatim Io. Sturmius Argent. 1540. et 1544. 8. Voll. 3.

Francisci Hottomanni Commentarii egregii in Ciceronis Orationes, ab Quintiana ad Manilianam usque, Paris. apud Rob. Stephanum 1554. fol. quae est ed. sec. castigatior et auctior prima. v. Lamb. et Graev. ad Verr. V, 16. Per hunc textus multis locis melior est factus. Recusi sunt in Tomo 3. Operum *Hottomanni* Lugd. 1600. fol. 7. Gregorii Bersmanni in Orationes XXXI. Servestae 1611. 8. 2 Volum. Steph. Riccii, Lipsiae 1568. 1574. 8. Per Coelium Secundum Curionem Basil. 1562. 8. tribus Vol. Alphonsi Alvaradi Analyses et enarrationes in aliquot Orationes Ciceronis partes duae, quae continent Francisci Sylvii, Phil. Melan-

Melanthonis, Barthol. Latomi, Iac. Omphalii, Martini Boleri, Io. Sturmii, Georg. Trapezuntii, Io. Tislini annotationes, curante Iac. Bedroto Basil. 1536. 1537. 4. duobus Vol. Bibliotheca Commentariorum et notarum omnis generis in Orationes Ciceronis, Basil. 1539. Venet. 1547. f. et Basil. 1553. Lugd. 1554. fol. duobus Vol. et curante Ioh. Beato Helio, Basil. 1594. fol.

Orationes Ciceronis ex recensione *Io. Michaelis Bruti*, Lugd. 1570. et Antw. 1584. tribus Vol. 8. Cum Analysi Logica et Rhetorica notisque *Io. Thomae Freigii*. 3. Voluminibus, 8. Francof. 1592. Hanov. 1602. 1614. Francof. 1624. et 1646. et 1654. in qua est mera compilatio alienarum notarum, ut Hotomanni inprimis. Editio Orationum Tullii ad Manutianam et Brutinam conformata cum annotationibus et castigationibus selectis ad Voluminis calcem Hanov. typis Wechel. 1630. Selecta Variorum Commentaria in Orationes Ciceronis, Colon. 1521. 8. tribus Vol. curante Andrea Schotto. Tomus tertius Orationum Ciceronis, (qui ab illa 34. pro P. Sextio incipit) cum commentariis copiosis atque eruditis *Nic. Abrami* e Soc. Iesu, Paris. 1631. fol. 2. Voluminibus, apud Cramoisium. Orationes Ciceronis cum interpretatione et notis in usum *Delphini*, auctore *Carolo de Maroville*, Paris. 1684. 4. tribus Vol. Praelis iterum subiecta haec editio Venetiis 1724. *Mem. de Trev.* pag. 2091. Selectae quaedam Ciceronis Orationes cum Merovillii notis recusae Cantabrig. 1692. 8.

Deinde a *Io. Ge. Graevio* i) viro doctissimo ad MStos Codices, et antiquas melioresque editiones recensitae, cum eiusdem animadversionibus et scholiis Q. Asconii Pediani ad MSS. emendatis, et Anonymi Veteris Scholiastae, notisque integris Francisci Hottomanni, Dionysii Lambini, Fulvii Ursini, Paulli Manutii et selectis tum aliorum ut Faërni, Mureti, Lauredani sive Sigonii, tum Nicolai Abra-

i) Editionem Orationum luculentam Graevianam cum Variorum notis, mendosissimam appellare non dubitat Thom. Crenius XVI. animadvers. Philologico Histor. p. 141. quod iniquius quam verius ab eo pronunciatum est.

Abrami, Amstelod. 1699. 8. sex Voluminibus, quae lucu-lenta et praestantissima facile omnium editio exhibet etiam notas praeclaras antea ineditas *Iac. Menardi* in sex primas Orationes, et e *Io. Passeratii* praelectionibus in nonnullas Orationes excerpta: nec non fragmenta ex Orationibus Ciceronis deperditis, a Sigonio et Andrea Patricio collecta atque illustrata. Orationes Ciceronis cum argumentis, animadversionibus et analysi *M. Antonii Ferratii* Patav. 1729. 8. maior, quatuor voluminibus. Acta Er. nov. suppl. T. I. p. 240. Eiusdem etiam *Epistolarum* in *Orationes Ciceronis* Libri VI, in quibus omnia fere, quae in Or. Cic. dubia occurrunt polemice illustrantur, editi sunt Venetiis 1738. 4. Tractatur res primum universe per locos communes, ut de legibus iudiciariis, de forma iudiciorum, de iudice quaestionis etc. et per eos loca Ciceronis explicantur, partim per seriem orationum, partim singulis locis tractandis. — Editae etiam sunt a pluribus quaedam Orationes selectae ad usus tironum, cum notulis ei aetati accommodatis, ut a *Cellario*, *Gezelio Ed. Zurck*, *Merovillio* etc. de quibus libris hic dicere non attinet.

In Orationes Ciceronis Commentarium scripsit olim *Asconius Pedianus*, de cuius reliquiis infra dicetur.

Versiones Gallicae plures extant tum singularum, ut Fr. Petr. *Gilleti*, *Maucroix*, etc. tum universarum *Ludovici Dulcis*, cuius versio Orationum Ciceronis recusa nitide Neapoli 1727. 4. tribus Voluminibus, *Ryerii* etc. Novissime lucem vidit versio *Gallica* Orationum Ciceronis omnium auctore *de Villefore*, additis notis Paris. 1731. 12. octo Volum. (Journal des Savans lettres sciences et badines T. VII. pag. 189. Acta Erud. 1733. p. 151. Mem. de Trev. 1732. Fevr. p. 288.) Sed ea est hominis parum latine docti, ut demonstratum est in Actis Erud. l. c.

Belgice, Orationes X. *Petro Francio*, si recte memini, interprete, Amst. 1702. 8. Quaedam etiam Germanice versae sunt, parum plerumque feliciter.

V. I. *Epi-*

V. 1. *Epistolarum ad diversos k) libri XVI*, quos *Franciscus Petrarcha* primum repetit Vercellis. De illo Codice v. Politiani Misc. c. 25, unde discimus, eum esse in Bibl. Medic. et ex eo ductos esse ceteros Codices scriptos, sive e Petrarchae apographo, quod servatur in Bibl. D. Marci Florentina, ut tradit Victorius ad IX, 16. Ille vero Codex antiquus est is, quem optimum vocat Victorius ad VII, 16. v. inpr. ad I, 8, in Castigg. poster, adde Politian. Misc. cap. 87. Apographum autem Petrarchae ipsius in nonnullis discrepare ab exemplo vetere, notatum est ab iis, qui inspexere. Ex quo intelligitur, quid edd. antiquis sit tribuendum, et variis lectionibus MSS. et edd. Tabellas quasdam *αὐτογράφους Epistolarum* Ciceronis adhuc superesse in Bibliotheca Thoruniensi, scripsit Simon Staravolscius in Polonia sua. Verum tantam illis tabellis antiquitatem tribuere non audet Christophorus Hartknochius in Historia Ecclesiastica Borussiae, Germanice edita p. 923. Editae sunt primum Romae, a. 1467. fol. isque est liber primus ab Sw. et Pan. Romae editus. In ea ad calcem libri hos leges versiculos:

Hoc Conradus *opus* Sweynheimius *ordine miro*
Arnoldus*que simul* Pannartz *una aede colendi*
Gente Theotonica Romae expediere sodales.
In domo Petri de Maximo.

Ea editio repetita est anno 1471, curante Io. Aleriensi. Secuta proxime edit. Venet. 1469. fol. per Ioannem de Spira. A. 1471, editae sunt Venetiis per Nic. Ienson, quae ed. fuit in Bibl. du Boze. Eiusdem anni duae sunt, sed sine loci et editoris nomine in Bibliotheca Duvii, Viri ill. Hannoverae, altera earum etiam ap. nos: quae videtur esse Io. Spirae. In

k) Vulgo *ad familiares* inscribuntur, sed citra veterum Codicum Scriptorumque auctoritatem, ut annotatum P. Victorio et aliis viris doctissimis. *Liber VIII.* non complectitur Epistolas Ciceronis, sed *M. Caelii Rufi* ad Ciceronem. Hic est Caelius, quem Vossius in praefat. ad libros de vitiis sermonis adiungere non dubitat Ciceroni, Caesari, aliisque scriptoribus primae caveae, qui vigorem ac maturitatem in latina dictione sunt consecuti.

In Bibl. Zviccavienf. eſt ed. Mediolan. 1472. fol. per Phil. Lavagnium. Aliae anno 1475. 76. 77. et antiqua Mediol. fuere ap. Graevium. In Catal. Bibl. N. Heinſii eſt edit. a. 1473. f. Pariſiis editae ſunt 1477. f. ſine editoris nomine. Vicentiae autem 1479. fol. Venet. 1483. fol. Memoratur et Mediolanenſis in 4. ap. *Alex. Minucianum*, qui opera Ciceronis primus univerſa edidit. Ea memoratur ap. *Dom. de Colonia*, T. II. pag. 759. Hiſt. lit. Lugd. qui eam Lugduni ſervari tradit. Exſtat et alia ſine loci et anni ſignatione de Seculo XIV. per Emilianum Fulginatem et Io. Numeiſter, fol. cum hiſce ad calcem verſiculis:

Emilianus *auctor* Fulgina: *et fratres una*
Ingenio praeſtante viri. Numeiſter *et Auctor*
Iohannes Almanus *recte qui plura peregit*
Tulli ducenta nuper preſſere volumina recte,
Quas viſerat probus Epiſcopus Alerienſis.
Fulginei acta vides ex laribus Emiliani.

Ex his verſibus diſces, recenſitas Epiſtolas Tullii et caſtigatas a *Ioanne Andrea*, Aleriae in Cyrno inſula Epiſcopo, et Pauli II. tempore Bibliothecario Vaticano, *l*) cui renaſcentes literae plurium optimorum ſcriptorum editionem debent.

Saepiſſime deinde recuſae ſunt variis in locis, et cum commentario *Hubertini Clerici*, Creſcinatis, Venet. 1480. et 1482. fol. per Baptiſtam de Tortis, et 1483. fol. impenſis Andreae Aſculani, Bartholomeique Alexandrini ſociorum, nec non 1487. fol. Cum commentario Hubertini Clerici, Martini Philetici, et in Epiſtolas ad Lentulum Spintherem argumentis Georgii Merulae Venet. 1498. fol. Cum Io. Baptiſtae Egnatii etc. Venet. 1509. fol. Cum commentario *Hubertini Creſcentinatis*, et alior. Pariſ. 1534. f. In quibus eſt parum bonae frugis, aut quod proſit Critico.

Sed Seculo quintodecimo coepit melior lux effulgere his Epiſtolis. Nam ſtatim in principio, anno ſecundo (1502)

l) Andr. Chevillier origine de l'imprimerie de Paris pag. 199. Maittaiſius pag. 43. ſeq.

(1502.) ex officina *Aldi* Manutii facta sunt nova exempla textus, in quibus hoc actum est, ut quam correctissima essent: qui textus repetitus est in ed. operum universorum a. 1719. seq. Sed verissimus et maximus sospitator contigit his Epistolis in *Victorio*, qui etsi et alias partes operum Ciceronis, tamen has epistolas omnium diligentissime tractavit, et felicissime et correxit et illustravit. Itaque in his notis ad Epp. Cic. est vera Criseos rectae et accuratae disciplina. Habemus exemplum harum notarum Victorii separatim excusarum Lugduni, 1540. quod filio peregrinaturo dederat Iac. Gothofredus: in quo scripserat ita, ut filio lectionem libri vehementer commendaret, et nullum diem praetermitti vellet, quo non aliquid in eo legisset etc. Atque ut in genere Critico felices hoc tempore fuere per Victorium, *m*) sic in P. *Manutio* nacti sunt interpretem eximium: ut, qui his duobus adiutus Epistolas has legat, plurimum possit in intelligendo Cicerone proficere, nec modo in his epistolis, sed etiam aliis scriptis. Sed et ceteras ceterorum operas et editiones huius seculi breviter commemorabimus.

Igitur, Epistolae hae cum notis *Seb. Corradi, Bernh. Rutilii, Phil. Melanthonis, P. Victorii* etc. Basil. 1540. 8. Paris. 1556. f. prodiere ex officina Ambrosii a Porta. Sine notis Lugd. 1543. 1561. 12. etc. Cum *Pauli Manutii* scholiis Venet. 1544. 8. et Francof. ap Wechel. 1600. 8. duobus Vol. Cum scholiis *Melanthonis, Camerarii, Longolii*, Francof. 1570. 8. Cum commentario *Iodoci Badii Ascensii*, notis *Io. Baptistae Egnatii, Francisci Robortelli, Luc. Ioannis Scopae* et aliorum, atque argumentis *Christophori Hegendorphini*, et lemmatibus *Giberti Longolii* Venet. 1554. fol. Paris. 1556. fol. Venet. 1565. 1586. fol. Cum explicatione et emendatione locorum quorundam a *Guil.* *Cantero*

m) Tenendum est, cum Victorii in Ciceronem notae aut castigationes commemorantur has intelligi. Super his habuit, qui calumniarentur, plagium obiicientes et alia ut P. Manutium aemulum suum, contra quae se purgat in posterioribus castigationibus, quae dicuntur, v. c. in ed. Rob. Steph. Gryph. *explicationes suarum castigationum.*

Cantero Antu. 1568. et cum castigationibus *Titi Popmae*, ibid. 1572. Notae *Hieron. Ragazoni*, siue *Caroli Sigonii* prodierunt Venet. 1555. 8. *Hieron. Arlotini* notae in librum primum. Venet. 1549. 8. *Francisci Priscianensis* obseruationes ibid. Enarrationes *Viti Amerbachii* Basil. 1553. 8. *Io. Fabri* Lipſ. 1561. 8. Notae eruditae *Io. Glandorpii* post auctoris mortem editae a Reinero Reineccio. Basil. 1580. 8.

Henrici Stephani editio cum notis Pauli Manutii et Lambini atque *Hieron. Ragazoni* siue *Sigonii*, additis *Guil. Canteri* explicationibus aliquot locorum et emendationibus, ipsiusque Stephani commentario de variis generibus Epistolarum Ciceronis, variaque earum scriptione a. 1577. 8.

Ordine chronologico ex Sigonii et Manutii obseruationibus digestae et argumentis novis illustratae ab *Adamo Theodoro Sibero* 1611. etc. item cum notis *Iusti a Dransfeld*, Lipſ. 1697. 8. Cum notis succinctis *Christoph. Cellarii* V. C. Lipſ. 1698. 8. *Iohannis Minelli*, qui notis in librum undecimum est immortuus. Eas deinde rogatu Leersii nescio quis continuavit. Roterd. 1704. saepe sunt recusae. Et extant aliae in usum tironum editiones, ut *Reimanni*, *Bengelii*, hic non commemorandae.

In usum *Delphini* explanatae a *Philippo Quartier* e Societate Iesu, Parif. 1685. 4. praemisso charactere Historico singulorum, ad quos Tullius scripsit. Sed huic editioni non magnum statuitur ab eruditis pretium. Ex recensione *Io. Georgii Graevii* cum eiusd. animadversionibus et notis integris P. Victorii, Paulli Manutii, Hieron. Ragazonii, Dionysii Lambini, Fulvii Vrsini, nec non selectis Io. Frid. Gronovii, Bernhardi Rutilii, Iani Gebhardi aliorumque, et ineditis Mureti atque H. Valesii. Amstelod. 1677. 8. duobus voluminibus. Repetita editio haec luculenta est a. 1693. ut Epistolas Cic. cum solis Graevii

notis

notis Amst. 1689. 12. recusas praeteream. Notatam etiam reperi editionem *Io. Ross* Cantabr. 1749. 8. Voll. 2.

Gallice post antiquam versionem *Steph. Doleti* et *Francisci de Belleforest*, Lugd. 1569. 12. redditae ex nova interpretatione Abbatis *de S. Real.* et aliorum; cum notis Hagae Com. 1709. 12. quatuor Volum. Selectas Epistolas Gallice vulgaverat *Io. Corderius* Lugd. 1556. 8. Exstant etiam *Italice* cum commentariis Ioannis Fabrini, et *Francisco Ranier Chiari*, Pisani lettere scelte di M. T. C. volgarizzate secondo l'uso di finere de' tempi correnti. Libri IV. Venet. 1732. 12. et *Hungarice* Georgio *Balogio* interprete etc.

2. *Epistolarum ad Pomp. Atticum* n) *libri XVI.* ab consulatu Ciceronis usque ad extremum vitae tempus ad illum missarum, *quae volumina qui legat*, inquit Nepos in Attici vita cap. XVI. *non multum desideret historiam contextam eorum temporum.* Has Epistolas primus itidem Petrarcha reperit, illisque inventis exclamavit *se tandem Ciceronem agnoscere, praecipitem ac calamitosum senem.* Alium Codicem antiquum Politiani ab Cavalcante acceperat Victorius, de quo videndus Politianus Misc. c. 53. et P. Victor. praef. ad Cic. Epp. ad Diversas.

In Lucae Langermanni Itinerario MS. notatum est in Bibl. Laurentiana Florentiae haberi Ciceronis *Epistolas ad Atticum*, manu Francisci Petrarchae scriptas: item ut Epistolas ad familiares, quas idem ille vir doctus in loco quodam, ubi minime putaret, invenerat, sicut in Epistola quadam sua docet, et primus in manus hominum dedit. Ante Petrarchae enim aetatem Ciceronis Epistolae per plures annorum centurias desideratae fuerant, ac nisi ipsius

n) Liber de consulatu Ciceronis quem Graece Atticus teste Nepote scripserat, intercidit. Sed de Tullii ad eum Epistolis recte Seneca Epist. XXI. *Nomen Attici perire Ciceronis Epistolae non sinunt. Nihil illi profuisset gener Agrippa et Tiberius progener, et Drusus Caesar pronepos. Inter tam magna nomina taceretur, nisi Cicero illum applicuisset.*

ipsius studio ac opera in lucem prolatae fuissent, fortassis ad haec usque tempora iis careremus.

Epistolae hae ad Atticum, una cum iis, quae sunt ad M. Brutum et Quintum fratrem, bis excusae uno eodemque a. 1470. o) Romae et Venetiis in fol. Romae, apud Conradum Svveynheim et Arnoldum Pannartz, cum Ioannis Andreae Aleriensis Episcopi Epistola ad Paulum II. Venetiis, per Nicolaum Ienson in cuius editionis calce hoc exstat Hexastichon.

Attice, nunc totus Veneta diffunderis urbe,
Cum quondam fuerit copia rara tui.
Gallicus hoc Ienson Nicolaus muneris Orbi
Attulit ingenio Daedaliaque manu.
Christophorus Mauro plenus bonitate fideque
Dux erat. Auctorem, Lector, opusque tenes.

Neapoli in Bibliotheca nobilissimi Viri Iosephi Valletae exstabat editio Romana Epistolarum ad Brutum, Q. Fratrem, Octavium et Atticum cum vita Attici scripta a Nepote, a. 1490. fol. per Magistrum Eucharium Silber, alias Frank, cum notis MSS. Iani Parrhasii. Huius exempli repetitio facta est per Barthol. Salicetum Bonon. et Cornelium Regium sine loci et anni nota, sed correctione adhibita, quae videtur esse Ponponii Laeti, In Epp. ad Atticum e MS. Augustini Maffei. Nempe pauci erant, qui legerent, ut et nunc fit. Seculo deinde quintodecimo coeperunt diligentius tractari a Criticis, sed ut facile intelligitur, per coniecturas magis quam per libros, ut factum in ed. Aldina a. 1513. 8. in cuius praefatione promittit Aldus edere corpus universorum Ciceronis librorum. In praefatione est interpretatio Graecorum, quae in epistolis his occurrunt. Sed plus debent hae epistolae Victorio, P. Manutio, Corrado, Lambino et aliis, qui Opera universa edidere. Sed exemplorum editorum genera enumerabimus, quae nobis innotuere.

Cum

o) Maittaire Annal. typograph. p. 69. T. 1.

Cum notis igitur *Io. Baptistae Pii* Bononiensis, quas *Eotinas*, quia mane elucubratae, inscripsit, prodiere Bononiae 1527. fol. Paris. 1531. fol. E *Io. Bovillerii* castigatione Lugd. 1562. 8. *Leonhardi Malaspinae* Florentini notae Venet. 1563. 8. merito laudatae H. Stephano in Pseudo Cicerone p. 108. et repetitae a Graevio. Cum scholiis *Sebast. Corradi* Venet. 1544. fol. Prodiere etiam Corradi notae ibid. 1549. 8. Cum notis *Io. Mich. Bruti* Lugd. 1571. 12. Cum notis *Lambini* et *Francisci Iunii* ap. Commelin. 1549. 8. In libros I. et II. *Antonii Goveani* notae editae Paris. 1544. 4. et in Opp. p. 377. Libri XVI. cum notis *Simeonis Bosii* Praetoris Lemovicensis, qui ex optimis Codd. plura emendavit, Ratiasti Lemovicum 1580. 8. Antvv. 1585. 8. (Vide de Bosio Carrionem lib. 1. emendationum c. 15.) Iunctim prodiere notae *Paulli Manutii* et *Sim. Bosii* Francof. 1580. 8. apud Vvechel. Manutii commentarium (qui primum editus est in ed. maiori Aldi nepotis, nam ante erant Scholia brevia.) *Iano Parrhasio* deberi, legas in Pithoeanis et Patinianis. Sane praeclarissimus est, et ad Ciceronem intelligendum utilissimus, neque Manutii ingenio abiudicandus, licet Parrhasium praelectionibus has Epistolas illustrasse constet, quibus praemissam orationem Gruterus inseruit tomo primo facis artium p. 820. Editionem *Pauli Manutii* Venet. 1540. 8. (quae est Pars Operum universorum) habeo notatam manu *Iosiae Merceri.*

Epistolae ad Atticum cum notis *Ausonii Popmae* Antvv. 1607. 12. Franequ. 1619. 8. Ex recensione *Io. Georgii Graevii* cum notis integris P. Victorii, Paulli Manutii, Malaspinae, Lambini, Fulvii Vrsini, Sim. Bosii ex chirographo eius auctioribus, Francisci Iunii, et Popmae ineditis, item Is. Casauboni, Mureti et I. Frid. Gronovii, selectisque Corradi atque aliorum Amstelod. 1684. 8. duobus voluminibus: accuratissima et elegantissima editio: de qua vide Acta Erudd. a. 1684. p. 397. In tanto studio doctorum virorum has epistolas et emendandi et illustrandi,

tamen non parvum Spicilegium relictum est. Pluribus locis lucem attulit *Iac. Tunstallus* in Epist. ad Middletonum. Cantabr. 1741. 8.

Epistolarum ad Atticum librum 1. et 2. a se translatos, addita Epistola secunda libri primi ad Quintum fratrem, *Gallice* edidit paulo ante obitum Abbas *de S. Real* Paris. 1691. 12. intra sex annos inde secundo tertioque recusos. Libri quatuor ad Atticum primores cum notis Historicis eadem lingua prodierunt Hagae Com. 1709. 12. Vniversos demum XVI. Libros similiter versos eleganter, et notis non contemnendis illustratosque debemus Clarissimo Viro L. Mongault, Paris. 1714. sex Voluminibus. *Italice* Epistolas ad Atticum pridem convertit Matthaeus Senarega, Venet. apud Paulum Manutium 1552.

3. *Epistolarum ad Q. Fratrem libri III.* cum Epistolis ad Atticum saepissime editae primum uno volumine, a Graevio, nimiam voluminis molem metuente, seiunctae, et interventu mortis destitutae. Illustrarunt has Epistolas praeter Victorium, Lambinumque et Manutium, Christophorumque Cornerum, Malaspina, Brutus et Iunius, quos paulo ante laudavi. Castigavit etiam *Bovillerius. Io. Tissini* collectanea lucem viderunt Lugd. 1543. 8. Epistola princeps omnium est et lectu dignissima, prima libri primi, quae est de ratione bene gerendae provinciae. Eam peculiaribus commentariis explicarunt Rol. Petreius Paris. 1564. 4. Marcus Baumlerus Tiguri. 1587. 8. et Zacharias Schaeferus Tubing. 1628. 8. inprimis Franciscus Hotomannus Lugd. 1564. 4. atque T. 3. Opp. p. 1417. et commentario postumo Nathan Chytraeus, et *Facciolatus* ad calcem duarum Orationum, de quibus supra. Italice ex comta ac fideli versione V. C. Iacobi Facciolati, in novellis litterariis a. 1730. Italice editis a Io. Baptista Albrizzi, Venetiis in 4. De Quinti fratris scriptis infra. Hanc epistolam sine dubio ante oculos habuit et imitatus est S. *Bernardus* in egregio

gio et lectu dignissimo libello *de Consideratione* ad Eugenium Pont. R.

4. *Epistolarum ad M. Brutum liber* primum prodiit Rom. 1470. fol. Titulus est: M. Tullii ad Brutum et ceteros Epistolae. Romae etc. praesidentibus magistris Conr. Sweinheim et Arn. Pannarz. 1470. Eam editionem ceterae secutae sunt. Editio Cratandrina Opp. Cic. addidit sex nondum editas. Has quoque, iidem viri docti cura sua et lucubrationibus dignas habuerunt. Exstant etiam cum notis *Io. Baptistae Pii.* Bononiae 1527. fol. Paris. 1531. fol. Epistolas ad diversos *Italice* vertit Aldus Manutius. Venet. 1573. 8. *Gallica* versio cum argumentis notisque et latino contextu ex editione Graeviana. Paris. 1704. 12. auctore quatuor voluminibus. Vide si placet Iacobi Bernardi V. C. novellas relationes Reip. literariae a. 1705. mense Novembri p. 483.

Ceterum quod Graevius perficere non potuit, in his ad Q. et Brutum Epistolis, id alius vir doctus suscepit, eius rationem hactenus imitando, ut faceret eundem delectum notarum, adderetque textui notas Vict. P. Manutii, Malaspinae, Lambini, Vrsini, Fr. Iunii, Gruteri et Iac. Gronovii, de suo nihil addidit. Sed in eo bene fecit, quod in illam ad Q. Fr. epistolam principem addidit Commentarium *Hotomanni.* Accessit et libellus Q. Fr. Petitione Consulatus, cum *Valerii Palermi* Veronensis Commentario. Volumen hoc prodiit Hagae Com. anno 1725. 8. Ceterum ad Brutum Epistolarum αὐθεντίαν in dubium vocavit *Iac. Tunstallus* in Epistola supra commemorata p. 192. sqq.

VI. Reliquum est, ut referam scripta Ciceronis Philosophica, quibus componendis per postremos maxime annos vitae operam dedit. Ii iunctim editi sunt Romae 1471. f. et Venet. 1494. f. sed ut deessent Tusculanae et de Officiis. Eodemque modo editi sunt a Vendelino Spirensi sed sine anni nota. v. Maettarius Ann. typogr. T. III. p. 291. Recentissime omnes, exceptis iis, qui sunt de

Officio, recensuit et edidit, additis variorum et suis notis voluminibus sex, *Davisius*, Cantabrig. a. 1724. sqq. 8. Etiam in universos *Lectiones Tullianas* edidit *Th. Woptens* Amst. 1730. 8. Instituta est etiam editio in usum Delphini ab *Franc. Honorato:* eiusque primus Tomus prodiit Paris. 1689. 4. Sed abruptum est opus morte *Honorati*, nulla literarum iactura, ut recte iudicavit *Olivetus*, frustra defendentibus socium Diarii Trevoltini auctoribus; quibus et respondit *Olivetus*, in ed. 2. versionis librorum de nat. Deorum.

1. *Ex libris Academicis*, p) sive, ut vulgo inscribuntur, *Academicarum quaestionum* libris quatuor, quos ad M. Varronem scripserat, exstant *primus* et *quartus*. Sed quartus est potius *secundus primae editionis*, ab auctore inscriptus *Lucullus*. Duos enim libros Academicos primo scripserat Cicero, Catulum et Lucullum. Hos deinde contulit in libros quatuor et ad Varronem misit. Postea duos quoque illos edidit praemissis novis prooemiis, quibus Catulus et Lucullus laudantur. Ex editione prima interiit Liber primus; ex altera 2. 3. 4. Vide Epistolas ad diversos IX. 8. et ad Atticum XIII, 13. et 32. Meminit etiam Plinius XXXI. 2. et Plutarchus Lucullo p. 520. Cicero ipse 2. Tusc. *Pro Academia autem quae dicenda erant, satis accurate in Academicis quatuor libris explicata arbitramur.* Ciceronis argumenta confutavit *S. Augustinus* libris III. contra Academicos, et confutavit certissima ratione, ut ipse quidem scribit lib. 1. retractationum. *Io. Castellani* disputatio adversus Academicas Ciceronis quaestiones prodiit Bonon. 1558. 8. In librum primum Commentarius *Hadriani Turnebi* saepius excusus est et separatim, et inter illius opera. In librum quartum annotationes *P. Fabri* prodierunt Lugd. Batav. 1601. 8. Paris. 1611. 8. *Io. Rosae*, Prof. Ienensis, Francof. 1571. 8. De his *Academicis* Tullii libris Quintilianus III. 6. et Plinius

p) Plinius XXXI, 2. *digna memoratu villa est* (non procul Arpino) *quam vocabat Cicero Academiam ab exemplo Athenarum, ibi compositis Voluminibus eiusdem nominis etc.*

nius XXXI. 2. ubi etiam de Ciceronis Academia, et Laureae Tullii in eam Epigramma. Quando Cicero 2. Tusc. ait se pro Academia satis accurate dixisse, Carneadis Academiam intellige. Academici libri primum editi Rom. 1471. fol. per Conr. Svveynheim et Arnoldum Pannartz, una cum aliis Tullii scriptis Philosophicis: deinde Venetiis 1494. fol.

2. *De Finibus bonorum et malorum*, q) sive de summo boni ac mali *libri V*. ad M. Brutum. Quorum *primo* Epicuri sententia ad voluptatem omnia referens exponitur, quam refellit *secundus*: *tertius* Stoicorum dogma de sola virtute explicat, quod confutatur in *quarto*, *quintus* denique Peripateticam expendit doctrinam. Scripti sunt anno Vrbis 701. seq. vide Sam. Petiti librum I. Observ. cap. XI. p. 119. Prodierunt primum Maguntiae apud *P. Scheferum* s. l. et a. de qua ed. v. Schelhorn. V. C. ad Quirini Card. librum supra memoratum in prolegom. Secuta est editio Romana. 1471. fol. Eodemque anno Venetiis fol. viderunt lucem sumptu Ioannis de Colonia Agrippinensi, ex recensione Georgii Merulae r) Alexandrini, qui illos dicavit Ludovico Fuscareno, Doctori Legum et Procuratori S. Marci. Editiones illas secutae Paris. 1477. fol. cum Tusculanis quaest. et Venetae 1480. per Phil. Condam 1494. fol. Seculo sequente iterum editae sunt Maguntiae a Io. Scheffero a. 1520. 8. Ab eo tempore *Olivarii* commentarius lucem vidit a. 1545. Colon. 8. Hinc cum *Guil. Morelli*, sive (cui illas Pithoeana tribuunt) *Hadriani Turnebi* eruditis observationibus editi fuere Paris. 1546. 4. *M. Antonii Mureti* notae Ingolstad. 1602. 8. *Io. Rosae* in Academicas Quaestiones et libros de finibus Frf. 1571. 8. Luculenter ac nitide excusos et diligenter castigatos hosce libros una cum Paradoxis ex Anglia accepimus cum notis *Thomae Bentlei*, s) Cantabrig. 1715. 8. qui praefationis ad lectorem loco observationem Mureti ex XIV, 20. Var.

 Lect.

q) Vide Muretum XVI. 1. Var. lect. capite 1.

r) Giornale de' letterati d'Italia Tom. XVII. p. 303.

s) Praeter rem Richardo Bentleio tribuuntur in memoriis Trevoltinis a. 1717. p. 1924.

Lect. praemisit. Denique ex octo Codicum collatione recensuit, notisque integris Victorii, Manutii, Camerarii Lambini, Fulviique Vrsini suas addidit V. C. *Iohannes Davisius*. Cantabrig. 1728. 8. *Acta Erud.* 1730. p. 228.

Germanice una cum Ciceronis Paradoxis a. 1536. 4. Anglice, una cum viri doctiss. *H. Doduvelli* Apologia *t*) pro scriptis Ciceronis Philosophicis. a. 1702. 8. prodiere. Haec versio debetur *Samueli Parkero*, multis aliis scriptis celebri. De Henr. Dodwelli, quae illi versioni adiuncta legitur, apologia pro scriptis Ciceronis Philosophicis, vide vitam Dodwelli scriptam a Franciso Brokesby, Lond. 1715. 8. editam p. 323. sq. De Gallica versione Franc. Seraphini Regnerii Desmarets edita Paris. 1721. 12. *entretiens de Ciceron sur les vrais biens et sur les vrais maux*. v. Mem. de Trev. 1722. p. 660. sq.

3. *Tusculanarum quaestionum*, sive ut cl. Davisius malit, *Disputationum libri V.* ad eundem Brutum, *primus* disputat de contemnenda morte, *secundus* de dolore tolerando, *tertius* de lenienda aegritudine, *quartus* de reliquis animi perturbationibus: *quintus* denique e scitis Stoicorum docet virtutem ad bene vivendum seipsa esse contentam. Hos libros publicis scholis explicavit Romae a. 1475. *Franciscus Philelphus*, qui recte observavit Ciceronem cum has quaestiones, rerum potito Caesare, scriberet, conventum suae domi habuisse studiosorum hominum, et quendam veluti ludum litterarium aperuisse. Vide Alexandri ab Alexandro dies Geniales lib. I. cap. XXIII. atque ibi Tiraquellum, et Giornale de' Letterati d'Italia Tom. XIV. p. 325.

Claudius Salmasius prolegomenis ad Solinum testatur in Bibl. Regis Christianissimi exstare MStum codicem magnae vetustatis, in quo Tusculanae *u*) quaestiones non ordine continuo, sicut in aliis tralatitium est, sed

σιχη-

t) Memoires litteraires de la grande Bretagne T. X. p. 439. Gelehrte Zeitungen 1723. p. 171.

u) De Tusculano Ciceronis vide quae Steph. Vinandus Pighius in Hercule Prodicio, et in Latio suo Athanasius Kircherus part. 2. c. 2. et ex hoc Rev. Reimannus in systemate antiquitatis literariae p. 496. 517. seq.

στιχηρῶς, per inaequales στίχους et commata, libri descripti sint, eo modo, quo Biblia Sacra videmus. Atque ita olim fuisse descripta Ciceronis monumenta, auctor est S. Hieronymus praefatione in Esaiam: *Nemo cum Prophetas versibus viderit descriptos, metro eos existimet apud Hebraeos ligari, et aliquid simile habere de Psalmis et operibus Salomonis. Sed quod in Demosthene et Tullio solet fieri, ut per cola scribantur et commata, qui utique prosa et non versibus conscripserunt, nos quoque utilitati legentium providentes, interpretationem novam novo scribendi genere distinximus.* Nactus sum e Bibliotheca Gudiana editionem Tusculanarum Gryphianam a. 1535. 8. cum MSto isto Regio diligenter collatam, notatis lineola ubique Codicis illius Regii minorem sectionum sive versuum (ut appellat Salmasius Epist. ad Sarravium p. 187. edit. Vltraiect.) distinctionibus.

Tusculanae primum viderunt lucem Romae per Vlricum Han de Vienna cum Paradoxis, Laelio, Catone, et somnio Scipionis, 1468. fol. deinde apud Sweynheim et Pannartz 1471. ibid. eodemque anno per Io. de Colonia. Porro Venet. 1472. per Nic. Ienson, et cum Libris de finibus Paris. 1477. fol. Deinde prodiere Venet. 1480. fol. et sine loco et anno in fol. et cum commentario nescio cuius ibid. 1482. et 1491. fol. quam ad verbum repetit Mediol. 1494. fol. Tusculanae cum commentario *Phil. Beroaldi* et *Omniboni Vicentini*, Venet. 1499. 1502. et 1516. fol. Paris. 1509. et 1510. 4. apud Io. Parvum, quae repetit Mediolanensem 1498. in *Opp.* Duobus annis prior est Iuntina per *Lucam Robiam*, 8. saepe illa discedens a superioribus exemplis. Sequitur Argent. 1510. 4. quae a superioribus, etiam Iuntina, multum differt. Edidit porro Erasmus Basil. 1523. 4. Confer eius Epistolas XXVIII. 18. edit. Lond. Cum notis Georgii Vallae, Beroaldi, Camerarii, Erasmi, Pauli Manutii et Petri Victorii Paris. 1549. et 1562. 4. Sine notis Paris. 1537. 8. apud Robertum Stephanum. *Ioach. Camerarii* eruditus et lectu dignissimus com-

commentarius prodiit Basil. 1543. 4. *Francisci Fabricii* annotationes Dusseldorp, et Colon. 1569. 1583. 8. *Io. Saturnii* scholia in lib. I. Argent. 1575. 8. *Hier. Wolfii* notae et Aphorismi Basil. 1580. 8. *Victorinus Strigelius* in librum primum Lipsiae. 1590. 8. *Mureti* notae in librum I. Tusculanarum. Ingolstad 1602. 8. Io. Conradi Schwartzii emendationes nonnullae leguntur in Bibliotheca novissima Hallensi 1720. 4. sectione X. p. 477. seq. Novissime praestantissima Tusculanarum editio lucem vidit Cantabrigiae 1709. 8. cum commentario insigni *Io. Davisii*, et variis lectionibus e MSS. Norvolsciensi et Petrensi sive Collegii S. Petri (cuius veram scripturam nefario Raphaëlis de Marcatellis scalpello sexcenties obliteratam queritur p. 224.) aliisque, et ex editione Veneta 1491. Frobeniana etc. subiunctis ad calcem Voluminis animadversionibus et castigationibus sane doctis et acutis *Richardi Bentleii* V. C. Emendationes quasdam Bentleii reprehendit acerbe nimis Iac. Gronovius in scripto, quod sine nomine edidit adversus Io. Clericum de locis quibusdam Minutii Felicis. Lugd. Bat. 1712. 8. Editio tertia Davisii a. 1730. 8. notas eius auctiores exhibet et textum Ciceronis castigatum ad lectiones Cod. Regii Paris. in στίχους divisi (de quo supra) et Pithoeani, quas lubens ad eum misi. Sed haec et secunda editio longe postponenda est primae. Nam notae eruditae Bentleii sunt omissae, et coniecturae Bentleii in textum receptae.

Anglice, nescio quo auctore, prodiere Oxon. 1714 *by a gentleman of Christ Church*. *Gallice* quoque Lugduni interprete *Steph. Doleto*, 8. postea transtulit *Ryerus* Paris. 1643. 12. Novissime gallice vertit *Ios. Olivetus*, notasque eruditas addidit *Buherius*, et Diss. de Sardanapalo. Editio optima est anni 1733. 12. Voll. 3. repetita Amst. 1739.

4. *De natura Deorum libri III. x*) et ad M. Brutum, in quibus *nullam veritus impietatis invidiam*, *ingenue*, *con-*

x) Memorat Cicero ipse lib. 1. de Divinat. c. 4. seq. et 51. Librum tertium in scholis Iesuitarum non proponi notat Lescaloperius p. 593.

constanter, et libere Cicero superstitionem gentium refellit, ita ut fuerint etiam, teste Arnobio, lib. III. p. 103. 104. qui mussitarent, *oportere statui per Senatum Rom. aboleantur ut haec scripta, quibus Christiana religio* (quatenus Idolorum cultui illa adversa est) *comprobetur, et vetustatis opprimatur auctoritas.* Libro primo explicatur doctrina Epicuri a Velleio, contra disputante Cotta, Academico: in altero exponitur Stoicorum Theologia, ubi occurrit pulcerrimus de providentia locus inde a c. 30. In tertio Academicus Cotta contra stoicam rationem disputat. Cicero autem auditor disputationis Balbi rationem praefert.

Libros de natura Deorum non reperi vulgatos ante editionem Philosophicorum Tullii Romanam 1471. fol. in qua sunt, praeter hos libros, libri de Divinatione, de Fato et legibus et liber ad Hortensium de disciplina militari. Exstat et Bononiensis a. 1494. fol. cum libris de finibus et de legibus etc. qua usus est Davisius. Veneta eiusdem anni 1494. fol. cum libris de divinatione, de legibus, Academicis quaest. de finibus, de petitione Consulatus, de fato et de Vniversitate. Extat etiam editio eorundem scriptorum Florentina 1516. 8. apud Philippum Iuntam ex Nicolai Angelii Bucinensis castigatione, ubi adiunctum quoque Somnium Scipionis, et quod sub Ciceronis nomine ambulat breve scriptum de re militari. Porro editi sunt Venet. 1507. f. cum libris de Divin., et commentariolo *P. Marsi*, et eius orationibus quibusdam. Alia editio s. l. et anno memoratur, et alia Parisiis facta, ubi et 1593. 8. prodiit editio apud Colinaeum. *Xysti Betuleii* Basil. 1550. 8. sed haec et aliae minores exigui pretii sunt. Clara autem fuit olim *Petri Lescaloperii* Paris. 1660. f. in qua res illustrantur copiose, et omnis Gentilium Theologia explicatur. Sed ista collectanea hodie non magni fiunt. Ad criticam et grammaticam rationem haud paullo melior est editio *Io. Davisii*, cum variorum, et *Io. Walkeri*, suisque notis, quae prodiit Cantabrig. 1718. et 1723. et 1733. 8. additis etiam L. III. locis et fragmentis e

Lactantio, Arnobio, Nonioque Marcello. Denique hos libros edidit cum eruditis notis *Zach. Pearcius.*

Francice versi sunt libri a *Guidone Fabricio Boderiano* Paris. 1580. 4. melius a *Petro Ryer* a. 1658., quae tamen et ipsa subinde a *Lescaloperio* reprehenditur. Novissima et optima est *Oliveti*, quae Paris. 1721. et 1732. 12. Voll. 2. cum notis eruditis in textum latinum *Buherii.* Sed in hac quoque versione quaedam parum recte versa sunt.

5. *De Divinatione libri II.* editi a Cicerone post Caesaris y) necem. Et priore quidem libro Quintus Ciceronis frater pro divinatione disputans inducitur, posteriore Cicero divinationis genus fere omne tollit atque evertit, et contra illam quidem, quae arte fit, pugnat usque ad caput 47. contra somnia vero atque Enthusiasmum in ceteris libri capitibus. *Librorum de divinatione*, fato, legibus prima editio facta est per Vendelinum Spiram z) Venet. 1470. fol. cum hoc epigrammate. *Raphael Zovenvoxius Ister P. Aluisio Donato, patricio Veneto S. S.*

Spira, tuum nomen toto celebrabitur orbe,
Quae Vindelini diceris esse parens.
Ordine qui tanto Ciceronis opuscula magni
Imprimit, ut fabrum Palladis esse putes.
Tu quoque Donatae stirpis Venetique Senatus
Gloria Aluisi, tu quoque dicis idem.

Hanc

y) Lib. 2. de divinat. cap. 9. *Quid vero Caesarem putamus, si divinasset fore, ut in eo Senatu quem maiore ex parte ipse cooptasset, in curia Pompeiana, ante ipsius Pompeii simulacrum, tot centurionibus suis inspectantibus, a nobilissimis civibus, partim etiam a se omnibus rebus ornatis, trucidatus ita iaceret, ut ad eius corpus non modo amicorum, sed ne servorum quidem quisquam accederet, quo cruciatu animi vitam acturum fuisse?* In limine eiusdem libri secundi testatur Cicero hos se libros scripsisse post Hortensium, libros IV. Academicos, libros V. de finibus, totidem Tusculanarum disputationum, libros III. de natura Deorum, sex de Rep. Consolationem, librum de senectute, et III. de Oratore, quartum Brutum et quintum Oratorem. Horum enim omnium ibi meminit. Plutarchus in Paulo Aemilio p. 260. laudat Ciceronem Rhetorem ἐν τοῖς περὶ μαντικῆς. Locus, quem respicit, exstat lib. 1. c. 46. Pro divinatione divinitatem dixere non modo Lactantius, Serviusque, sed etiam ipse Cicero II. 38.

z) Maettarius annal. typograph. p. 71.

Hanc secutae editiones Rom. 1471. fol. Veneta Beroaldi a. 1487. et 1494. fol. Mediolanensis a. 1498. fol. Veneta Petri Marsi ibid. 1507. fol. Florentina 1516. 8. apud Phil. Iuntam etc. Novissime *Ioannes Davisius* hos libros illumque de Fato edidit nitide cum notis suis integrisque Pauli Manutii, Petri Victorii, Ioach. Camerarii, Dionysii Lambini et Fulvii Vrsini Cantabrig. 1721. 8. Videantur hi libri Ciceronis etiam extitisse Graece, cum Ciceronem περὶ μαντικῆς laudet Nicephorus ad Synesium de insomniis p. 359. Sed sic et Plutarchus. Ad illustrationem horum librorum conferri possunt, quae de divinationibus commentati sunt Caspar Peucerus, Georg. Raguseius, Io. Antonius Venerius, Iulius Caesar Bulengerus, Io. Iacobus Boissardus, et ne alios in praesenti memorem, Iosephus Maria Maraviglia in Pseudomantia veterum ac recentiorum explosa Venet. 1662. fol. Gallice transtulit hos libros additis notis Regnerus Desmarais sive Maresius Paris. 1709. et Amst. 1711. 8. qua in editione addita Isocratis Oratio ad Demonicum ab eodem Regnero Gallice versa et separatim antea vulgata a. 1700.

6. *De Fato* a) libros (ad minimum duos) videtur scripsisse Cicero, cum Hirtius Consul designatus esset. Prima enim oratione assensiones, quatenus illae fato obnoxiae essent, tractasse se testatur cap. 17. Ex illa prima Oratione praeter exordium nihil superesse videtur, liber secundus vero ad nos pervenisse mancus. *De fato* iam dixi illustratum novissime a celeberrimo Davisio Cantabrig. 1721. 8. primum vero editus est libellus cum libris de divin. Venet. 1470. fol. Deinde lucem vidit cum commentario Georgii Vallae, sine anno et loco, fol. et cum commentariis Victoris Pisani Venet. 1492. fol. ut editionem Venetam 1494. fol. aliasque praeteream. *Petri Rami* praelectionibus explicatus liber Tullii de fato prodiit Parisiis apud Vascosan. 1550. 4. et inter alias Rami lucubrationes, Basil. 1575. 4. Praeterea cum commentario *D. Salomonis Gesneri* Theologi Witeb. 1594. 8. *Achillis Statii* notae.

a) promittit lib. 1. de Divinat. c. 86. et lib. 2. c. 1.

notae. Loven. 1551. 8. et *Hadr. Turnebi.* Paris. 1452. 4. Atque apud Commelin. 1594. 8.

7. *De Legibus libri III.* Hos paulo ante mortem Io. Chapman Differt. chronologica de aetate libror. de legibus, ex silentio de his libris in epp. ad Atticum aliisque rationibus, colligit scriptos a. V. 709. sub autumnum, absolutis iam libris de divinatione et Fato. Post absolutos libros de Rep. scripsit, nec etiam videtur recognovisse Cicero. Sex libros fuisse suspicatur Morabinus: certe liber quintus citatur a Macrobio; unde duos saltem periisse existimabat Bernardus Moneta notis ad Menagiana Tom. IV. p. 85. Continet autem pulcherrimum hocce opus dialogum, velut a Cicerone habitum cum Quinto fratre atque Attico, Arpini in Tullii patria. In *primo* libro differit de fonte legum omnium, Iureque Naturae: *secundo* leges exponit de Religione, *tertio* de Magistratibus. In *quarto* videtur de potestate Magistratuum tradidisse et *quinto* de Iure populi Romani. In exordio libri primi horum trium primorum, qui soli ad nos pervenerunt, exstat acris censura et iudicium admodum sinistrum de Historicis Latinis, qui ante Ciceronem scripserunt, et e quibus ne unus quidem aetatem tulit. *Nam post* annales Pontificum Max. *quibus nihil potest esse b) ieiunius, si aut ad* Fabium, *aut ad eum qui tibi semper in ore est* Catonem, *aut* Pisonem, *aut ad* Fannium, *aut ad* Venonium *venias, quanquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile quam isti omnes? Fannio autem aetate coniunctus* Antipater, *paullo inflavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem atque horridas, sine nitore ac palaestra, c) sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent. Ecce autem successere huic belli,* Clodius, Asellio: *nihil ad* Caelium, *sed potius ad antiquorum languorem et inscitiam. Nam quid* Accium *d) numerem? cuius*

b) Ita Salmasius legit in Codice, quem eius manu notatum habeo, pro *iucundius*, vel *iniucundius*.

c) Sic apud Philostratum icon. 1. 28. p. 804. καὶ ὁ μὲν παλαίστρας τι ἐπιδηλοῖ τῷ προσώπῳ, ὁ δὲ χάριτος, ὁ δὲ ἀστείσμοῦ.

d) MS. If. Vossii *Accum.*

eius loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia, sed ex librariolis Latinis: in orationibus autem multus et ineptus, elatio summa, impudentia: Sisenna *eius amicus omnes adhuc nostros scriptores, nisi forte qui nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superavit. Is tamen neque orator in numero nostro unquam est habitus, et in historia puerile quiddam consectatur, ut unum Clitarchum, neque quenquam praeterea de Graecis legisse videatur, eum tamen velle duntaxat imitari: quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. Quare tuum* (Ciceronis) *est munus, hoc a te exspectatur.* Libri III. de legibus iam editi cum aliis Ciceronis scriptis Philosophicis Rom. 1471. fol. et Venet. 1494. fol. nec non Lipsiae 1509. fol. atque iterum separatim in eadem urbe 1514. fol. Cum Commentariis *Hadr. Turnebi* et *Antonii Goveani*. Paris. 1552. 4. Eiusdem Turnebi commentarii auctiores Paris. 1557. at Apologia adversus quorundam calumnias ad librum primum Cic. de legibus prodiit tum alibi tum apud Commelin. 1594. 8. *Petri Rami* praelectiones excusae sunt Basil. 1580. 4. *Io. Schaeferi*, in lectionibus eius Academicis pag. 195. seq. Hamb. 1675. 8. Novissime hos libros recensuit, *Petrique Victorii, Pauli Manutii, Ioach. Camerarii, Dionys. Lambini* et *Fulvii Vrsini* notis suas adiecit *Ioannes Davisius*. Cantabrig. 1727. 8. subiuncto etiam *Hadriani Turnebi* commentario.

Gallice pridem vertit notasque adiunxit Ioannes Colinus Paris. 1541. Sed nova atque eleganti veste Gallica indutos proxime vidimus a Morabino, Parisiis 1719. 12. Adi Diarium Parisiense, (Journal des Savans) 1719. pag. 683. et Hagense, Europe savante, Tom. XI. pag. 191.

8. *De officiis* ad Marcum filium, qui tum Athenis in disciplina Cratippi versabatur, *libri III.* opus ex Pa-

naetio

naetio *e*) praecipue et Hecatone Graecis Stoicis Philosophis expressum, sed ita temperatum, suppletum, ornatumque Ciceronis ingenio, ut pulcherrimum corpus praeceptorum Iuris naturalis et moralis disciplinae exstet. In Codice membranaceo Gudiano *librorum de Officiis* adscriptos legas in calce Voluminis hos versiculos:

Excellunt libros cunctorum Philosophorum
Isti quos fecit tres Tullius Officiorum.

Iidem versus exstant in Codice MS. Bibl. Gothanae, quem Venetiis anno 1450. Ioannes Constantiensis exaravit. In aliis duobus eos reperit V. C. Michael Maettarius, in annalibus typograph. pag. 61. ubi memorat primam editionem Officiorum et Paradoxorum Moguntinam 1465. fol. per Ioannem Fust et Petrum Scheffer, a multis celebratam, *f*) qua usus etiam clarissimus Graevius est, docetque, eandem plane esse cum illa, quae in nonnullis exemplis subsignationem habet anni 1466. Moguntina editio expressa in charta est Lubecae in Biblioth. publica, quale est et in Bibl. scholae Portensis. Excusa in membranis fuit Berolini in Seideliana. Vide Catalogum eius Bibl. pag. 184. n. 489. De illa editione etiam Bern. Henricus Reinoldus in notis ad Io. Merceri Conciliatorem, recusum Duisburgi 1712. 8. p. 21. Petrus Ramus exemplum habuit huius editionis in membrana excusum (ut in vita

Io.

e) Panaetii librum *περὶ καθήκοντος* praeter Ciceronem et S. Ambrosium 1. de officiis memorat Apostolius prooemio proverbior. Hecatonis quoque Rhodii (qui Panaetium audivit) libri de officiis a Cicerone lib. 3. laudantur. Aristotelem praeterea de officio disputasse refert Ambrosius lib. 1. cap. 10. Sed libros eius Ethicos respicit, qui exstant, nullum vero alium singularem *περὶ τοῦ καθήκοντος* librum, quo titulo primus librum proscripsisse videtur Zeno Citticus Laert. VII. 4. 108. Zenonem secutus Crysippus, et Cleanthes, ut notatum Menagio ad Luciani Hermotimum T. 1. p. 568. ubi mentio disputationis *περὶ καθηκόντων*. M. Bruti librum *περὶ καθήκοντος* citant Seneca Epist. 95. Charisius ac Priscianus. Ciceroni autem magis placuit inscriptio plenior *de officiis*, quam *de officio*, ut Atticum suum monet XVI. Epist. 11. vid. et Alciatum Parerg. Iuris X, 16. Nec tamen *Pufendorfius* dubitavit Graecorum rationem sequi, et libros suos de Iure Nat. inscribere *de officio hominis et civis*. *Officiales libros* vocat Lactantius Ciceronem laudans VI, 11, 18.

f) Vide Chevillierium de origine typographiae Parisiensis p. 17.

Io. Fausti et Io. Guttenbergii Melchior Adamus refert) quae in calce hanc continebat adscriptionem: *Praesens M. Tullii clarissimum opus Ioannes Faust Moguntinus civis, non atramento plumali, canna neque aerea, sed arte quadam perpulcra, manu Petri de Gernsheim, pueri mei, feliciter effeci. Finitum anno 1466. quarta die mensis Februarii.* Tale est et in Bibl. Zviccaviensis scholae. Paradoxa, Laelius et Cato Romae 1469. fol. per Schweynheim et Pannartz, eodemque anno Vlr. Han de Vienna. Prodiere porro ante a. 1471. Parisiis ap. Fichetum. v. Maett. T. III. p. 297. Venet. 1740. bis, per Vindel. de Spira, quae est in Bibl. Paulina, et Valdarferum, (v. *Gerberti* Iter p. 241.) iterum per Vindelinum Spiram 1472. fol. et 1474. f. per Io. de Colonia et Io. Manthen de Gheretsem, et Mediolani 1474. per Zarotum. Neapoli 1474. 1483. fol. et cum aliis scriptis Tullii Philosophicis Rom. 1471. f. iterum per Schweynheim et Pannartz. Argentinae 1472. 4. Venet. 1477. fol. ductu et expensis Iac. Lunensis. ibidem 1480. f. per Phil. Condam, et Parisiis 1477. fol. per Eucharium Archirion dioecesis Herbipolensis, Rom. 1481. nec non 1494. per Martinum Herbipolens. et Lipsiae sine anni notatione in fol. et 1507. 1510. fol.

Cum *Petri Marsi* commentariis prodiere Venet. 1481. fol. per Baptistam de Tortis, et 1484. fol. per Bernardinum de Novaria, et cum commentariis *Marsi, Omniboni* et *Martini Philetici*, Venet. apud de Tortis 1481. 1486. 1488. fol. et 1506. fol. ex editione *Ben. Brugnoli* cum commentariis *P. Marsi*, et *Francisci Maturantii. Iodoci Badii Ascensii* a. 1509. Paris. 4. et 1514. Argentinae 1512. ap. Schurerum Lugd. fol. *Bartholomaei* item *Latomi* Colon. 1534. 4. Cum *Marsi, Francisci Maturantii, Badii Ascensii* commentariis. Lugd. 1514. 4. et 1516. fol. et Venet. apud Aldum 1519. 8. subiunctis Catone et Somnio Scipionis Graece, interprete Theodoro Gaza. Ex *Erasmi* recensione Basil. 1519. confer Erasmi Epistolas XXVIII. 17. Paris. 1523. 4. per *Conradum Goclenium* Basil. 1527. 4. et

et cum scholiis *Philippi Melanthonis*, Colon. 1533. 8. Ibid. prodiere 1537. 8. cum Dialogo *Anemoecii*, in quo ratio redditur locorum e MS. antiquissimo correctorum: quae est notabilis editio, quam non vidi ab aliis memoratam. Nec minus rara est ed. *Doleti* 1540. 8. Cum Marsi, Maturantii, Ascensii et Philetici notis ex recensione Iulii Feretti Ravennatis Venet. 1540. fol. *Xysti Betuleii* Commentarius, Basil. 1544. 4. Cum annotationibus *Erasmi*, *Melanthonis*, *Vitique Amerbachii* et *Caelii Calcagnini* disquisitionibus, Paris. 1550. 1556. 4. Lugd. 1556. fol. Calcagnini disquisitionibus respondit *Iac. Grifolus* Lugd. 1552. 8. Venet. 1542. 8. Iulii Caesaris Scaligeri commentarios edere voluit Maussacus, ut legas in Epistolis Claudii Sarravii p. 56. ed. pr. sed nunquam illi typis exscripti prodierunt in lucem. E recensione *Io. Boulierii* Cicero de officiis editus est Lugd. 1560. 8. Cum eruditis *Caroli Langii* notis et castigationibus ex antiquis MSS. Antw. 1563. 1567. 8. quae recusae sunt ad calcem observationum Humanarum A. Schotti, Hannov. 1615. 4. Cum annotationibus *Suffridi Petri*, a. 1568. 8. *Hieron. Wolffii*, Basil. 1569. 1579. 1584. fol. *Ioach. Camerarii*, Lips. 1577. 1589. 1597. 8. *Fulvii Vrsini*, Antverp. 1579. 8. *Martini Henrici* Saganensis, Viteb. 1582. 8. cuius commentarios laudat C. S. Schurzfleischius V. C. Epistola LV. *Francisci Fabricii*, Colon. 1581. 8. *Guil. Canteri*, *Corn. Valerii* etc. 1576. 8. *Steph Riccii*, Viteb. 1585. 8. *Victorini Strigelii*, Viteberg. 1588. 8. *Matthaei Dresseri*, Francof. 1587. 8. Cum *Sam. Rachelii* commentario Philosophico Iuridico et prolegomenis, quibus natura Honesti, aliaque ad Ius Naturae spectantia explicantur, Francof. 1668. 8. et Amstelod. 1686. 8. apud Henr. Wetstenium.

Optima nunc editio est ex recensione et cum notis *Io. Georgii Graevii* g) integrisque animadversionibus Lambini,

g) Testatur vir doctissimus editionem Moguntinam a. 1465. licet primam, non esse ex meliore descriptam exemplari. Idem usus est

Lambini, Fulvii Vrsini, Car. Langii, quem prae ceteris in contextu editor est secutus, Francisciqúe Fabricii, et qui Wolffio ac Betuleio plurima debet, Aldi Manutii Nepotis: tum selectis aliorum Mureti, Rachelii etc. Amstelodami 1688. 8. Huic praeclarae editioni subiiciuntur integrae *Coelii Calcagnini* disquisitiones in libros de officiis; *Ant. Maioragii* decisiones contra Calcagninum, et *Iacobi Griffoli* Lucinianensis defensiones Ciceronis contra eundem. *Marius* quoque *Nizolius* defensiones aliquot Ciceronis locorum scripserat, quae et separatim vulgatae, et editioni Venetae officiorum anno 1554. subiectae sunt. In his Calcagninum reprehendit, quod Ciceronem impugnarit; nec minus perstringit Maioragium, quod Ciceronem Platone et Aristotele putet in disputando fuisse inferiorem. *Maioragii* libris duobus reprehensionum Mediolan. 1549. 4. excusis, et multo felle illitis, respondit *Nizolius*, in libris quatuor Antibarbari Philosophici, quos post editionem primam Parmensem 1553. 4. cum luculenta praefatione sua recudi curavit illustris G. G. Leibnitius, Francof. 1674. 4. *Coelii Calcagnini* disputationes sex et viginti in libros de officiis prodierunt inter Calcagnini Opera p. 253. Basil. 1544. fol. In iisdem operibus p. 206. exstat Epistola eius ad *Olympiadem Moratam* (libri XV. sexta) qua ei eleganter agit gratias pro defensione Ciceronis, quam ad eum miserat. *Iacobi* vero *Griffoli* defensiones contra Calcagninum, Venet. 1546. apud Aldum. *Marius Nizolius* praeter Antapologiam (Apologiae Maioragii quam pro Antiparadoxis suis scripserat oppositam) defensiones aliquot locorum Ciceronis edidit, quae subiiciuntur etiam editioni Officiorum Venetae a. 1568. fol. cum commentariis Marsi, Maturantii, Omniboni Leoniceni, Philetici, Badii et aliorum. Editio *Io. Georgii Graevii*, repetita

et praeter MSS. Codices binos, editione Gryphiana minore a. 1550. et Argentoratensi Lambini, quas P. Pithoeus cum duobus manu exaratis Codicibus contulerat.

petita est, sed cum solis ipsius notis Amstelod. 1691. 1699. 8. Post has prodiere ex recensione *Thomae Cockman*, qui ad decem MSS. Codices de integro recensuit, Oxon 1695. 8. et *h*) 1716. 8. Cum notis *Thomae Tooly i*) Oxon. 1717. 1729. 8. Prodiere etiam Patavii 1720. 8. cum brevibus scholiis, quae dicuntur esse *Facciolati*. An. 1745. 8. edidit *Zach. Pearcius* recensitos ad fidem MSS. plurium et edd. vett. cum notis eruditis suis et *Io. Chapmanni*, et pauculis *Io. Walkeri* et *Fr. Sayi*. Denique in Helvetiis prodiisse editionem 1748. factam ad fidem MSS. et edd. vett. memorat Cl. *Engel*, quam non vidimus. Omittimus editiones minores pueris factas, ut *Hildebrandi*, *Weinrichii*.

Veteres Commentarios in libros hos commemorat Barzizius Opp. p. 190. *Magnus Dan. Omeis* scripsit diss. 26. in eosdem Altorf. 1691. et 1702. editos. *Io. Schulzius*, Rector olim Schol. Hamb. an. 1700. et 1702. Anatomen philosophicam eorum edidit.

Italice Venet. 1544. 8. *Belgice* a. 1589. 8. prodiere auctore Dieterico Coornhart: *Anglice* Rogero Lestrangio interprete. Deinde ex *Thomae Cockmanni* versione iam tertium prodierunt, Lond. 1715. et quintum 1732. ut *Arthuri Maynwaringii* interpretationem praeteream. *Hispanice* post Ioannem de Iarava Antverp. 1549. transtulit Franc. Tamara, Salmant. 1582. 8. *Lusitanice* reddidit Petrus, Dux Conimbricensis, idem qui Vegetium eadem lingua expressit. *Gallice* post versiones antiquiores, ut quae Lugduni a. 1496. fol. prodiit et a. 1502. Paris. 4. per Davidem Missant, et ex versione *Bernardi Girardi* Blaesis 1560. perquam eleganter hi libri redditi et notis atque argumentis illustrati sunt a Duboisio, Paris. 1691. et Hagae Com. a. 1692. 8. et novissime Paris. 1729. 12. Latinis e regione positis. *Germanice* post interpretationem, quae lucem vidit auspiciis liberi Baronis Ioannis de Schwartzenberg

h) Bibl. ancienne et moderne de Mr. le Clerc Tom. XI. p. 162.

i) Acta Erud. anno 1717. pag. 473.

berg Augustae Vindel. 1531. f. cum iconibus a laudatissimo artifice Alberto Durero adiunctis, *Von den tugendsam en Aemtern und Zugehörungen eines wohl und recht lebenden Menschen*: prodiit etiam Augustae Vindel. 1545. fol. et Francof. 1550. fol. hoc titulo: *Ciceronis drey Bücher von gebührlichen Wercken.* Sed exstat quoque recentior interpretatio vernacula, sed Latinis pressius adhaerens, *Casp. Gottschlingii*, Hal. 1719. 12. *Io. Georgii* vero *Wilkii*, Rectoris meritissimi Misenensis (a. 1691. defuncti) paraphrasis Germanica Officiorum Ciceronis Lipsiae 1696. 8. prodiit sub titulo: *Einleitung zum nützlichen Schulbrauch der drey Bücher Ciceronis de officiis. Ioannes Hackmannus* ad calcem Ethices suae, curante filio Frid. Augusto Hackmanno, recusae Helmst. 1710. 8. compendium librorum de officiis *k*) repraesentat sub titulo Evangelii Gentilium. Recentissimae versiones Germanicae sunt, prima *Hofmanni* Hamburgensis a. 1727. sed ea tamen saepe non accurate aut recte exprimens latina; altera haud paullo melior *Heinsii* Rectoris Gymnasii Vinariensis ed. a. 1770. 8. cum notis.

Ad Ciceronis imitationem *libros tres de officiis* Ministrorum sc. Eccl. (haec enim est vera inscriptio, ut e MSS. demonstratum est in ed. Bened. T. II. in princ.) scripsit *S. Ambrosius*, quos separatim ediderunt *Ioan. Henr. Boeclerus* Argent. 1644. 12. et *Michael Foertschius* Stutgard. 1688. 8. Moguntina editio a. 1602. 8. eos ita cum totidem Ciceronis libris excusos exhibet, ut verba Ambrosiana Ciceronianis per singulas paginas e regione posita sint, parum utili instituto, cum in iisdem paginis raro legatur aliquid utrinque argumento simile vel respondens. Idem dixeris de *Iohanne Marcianaeo*, qui hunc in modum

k) *De officiis* maluit inscribere Cicero quam *de officio*. Conf. Andream Alciatum lib. 10. parergon Iuris cap. 16. Nec male tamen nostra etiam memoria Vir illustris Sam. Pufendorfius, qui brevi et concinno complexus compendio munera omnia ac partes, quae vel in naturali statu vel in civili impleri a singulis debent, libros duos *de officio hominis et civis* inscripsit, Graecos secutus, quorum *περὶ καθήκοντος* lucubrationes laudantur, de quibus mentionem feci superius.

dum Hieronymi et Rufini scripta contraria in iisdem paginis describi curavit in nova sua Hieronymi editione. Praefatio *Io. Henr. Boecleri* περὶ τῦ καθήκοντος ad S. Ambrosium de officiis legitur etiam in eius diss. Academicis Tom. 3. p. 486.

Basnagius Bellovallius in Historia operum eruditorum Gallice edita Amst. 1695. mense Augusto p. 555. scribit: *Il paroit à Paris un in 12. que les Savans seront peut-être curieux de parcourir: il est inutile* le discernement de la vraye et de la fausse morale, *ou l'on fait voir le faux des offices de Ciceron, des livres de l'Amitié, de la Vieillesse et des Paradoxes.* Auctor huius scripti *Lelevellus*, quod deinde recusum evolvi in eius Tomo quarto operis Paris. 1698. 12. vulgati sub titulo: *la Philosophie moderne par demandes et réponses.* Non dubito, eundem scriptorem, si voluisset ingenue ingenium intendere, meliora etiam scribere potuisse pro Cicerone defendendo, quam haec, quae in literas misit, ut eius doctrinae detraheret. Atque idem non dubito affirmare etiam de *Buffierio* Cours des sciences p. 1231. seq. Paris. 1732. fol. et de clarissimo Viro, qui in Actis Philosophorum Germanice editis parte IX. p. 441. seq. singillatim Ciceronis officia nuper reprehendenda sibi sumsit. Quid ni vero reprehendit ille potius musteos scriptores, qui inter Germanos nostros et medios Christianos longe deterius quam Cicero aliquis vel Plato philosophantur, et nulla facta mentione humanitatis, communisque iuris, ad quod divinitus conditos nos esse pulchre profitetur Cicero, nullam aliam legem naturalem actionum humanarum agnoscunt, quam iubentem facere, quae conditionem tuam perficiant, et omittere quae deteriorem reddant, finguntque ad eam nos obligari etiam seposita Maiestate Numinis: quibus positis principiis quale scelus sit, quod strenue committi non possit, haud video; nam etiam, qui sibi, vel qui alteri consciscit necem, iudicat se amplificare conditionem suam, et qui ambitioni litat aut avaritiae, vel qui indulget voluptatibus, qui vindicta

dicta animum suum pascit, egregie sic obsequi praecepto naturae videbitur. Lex autem naturae non quaerenda est in eo, ut felicitatem nobis sectandam praecipiat, nam in hoc nullus potest esse error, nulla transgressio, neque lege ad hoc opus: sed quo pacto illa ab omnibus desiderata felicitas recte quaeri, certissimeque obtineri debeat. Hoc si amore in Deum, et in homines charitate unice assequi nos posse, Christo crederemus docenti, nec a lege Naturae aberraremus, nec infra Ethnicos saperemus, aliosque sapere doceremus.. Gauderemus etiam potius, in Cicerone et aliis a Christo licet alienis scriptoribus tam verae et late patentis legis deprehendere nos alte et pulcherrime impressa vestigia, inque his monstrandis, illustrandis, et commendandis potius, quam in contemtum adducendis, laudem ingenii quaereremus. Non dubito etiam attentos Ciceronis lectores mecum agnituros, iniuriam fieri eius memoriae ab iis, qui Pantheistis illum adscribere malunt potius, quam insignibus eius testimoniis uti, ad res Religionis naturalis testatissimas commendandas.

9. *Cato Maior*, sive *de Senectute*, ad T. Pomponium Atticum. Huius libri *Graeca* versio, sed paulo indiligentius facta a *Theodoro Gaza*, (de quo tamen aliter *Elingius* in Hist. L. Graec. p. 335.) occurrit in quibusdam Ciceronis editionibus, ut Argentoratensi Io. Sturmii, et Io. Baptistae Egnatii Aldina, qui primus vulgavit a. 1523. 8. separatim quoque vidit lucem graece et latine, Ingolstad. 1596. 8. Prodiit *Cato* cum *Laelio* iam a. 1469. fol. Romae una cum officiis, et cum aliis insuper libris eius Philosophicis 1471. fol. deinde frequentissime una cum iisdem recusus. Cato maior etiam per Io. Lutitensem emendatus Lipsiae 1507. fol. et cum commentario Martini Philetici, sine anno et loco. fol. Prodiit etiam ibid. 1514. cum libris de legibus. *Laelius*, *Cato*, *Paradoxa* Argentorat. 1513. 4. ex officina Schureriana. Veterem Gallicam versionem, et ex ea factam Anglicam excusam a. 1481. f. a Guil. Coxoduno (Caxton) primo in Anglia typographo, memorat Mich.

 Maet-

Maettarius pag. 163. annal. typograph. De Anglica etiam Io. Lelandus libro de ſcriptoribus Britannicis p. 481. Novam Anglicam verſionem Catonis Ciceroniani Laeliique, *Samuele Parkero* interprete, iam tertium excuderunt Oxonienſes a. 1731. Cato, Laelius, et Paradoxa, Gallice per Duboiſium, Pariſ. 1692. 8.

10. *Laelius* ſive *de Amicitia*, ad eundem Atticum. Hunc librum *graece* reddidit *Dionyſius Petavius*, Pariſ. 1652. 8. Praeter antiquiores cum Catone editiones etiam Lipſiae lucem vidit a. 1504. 1507. fol. 1511. et 1518. 4. una cum paradoxis, et Venet. 1498. cum expoſitione Omniboni Leoniceni; et cum eadem expoſitione ſine anno et loco. *Anglice* vertit diu ante Sam. Parkerum ſaeculo decimo quinto *Iohannes Tipetotus* teſte Lelando pag. 480. Germanica libri de ſenectute et huius de amicitia verſio auctore Iohanne de Schwarzenberg cum iconibus ligno inciſis prodiit Auguſtae Vindel. 1540. fol. Platonis Lyſidem, Ciceronis Laelium et Toxarin Luciani Gallice vertit et iunctim edidit Blaſius Vigenerius Pariſ. 1579. 4.

11. Sex *Paradoxa* l) Stoicorum ad M. Brutum opuſculum *contractioribus iam noctibus*, h. e. aeſtate elucubratum, ut Lucretius teſtatur, ſe, Memmio ut gratificetur, inductum *noctes vigilare ſerenas*, h. e. aeſtivas ut interpretatur Muretus XVIII. 13. Var. Lect. Haec quoque poſt *Gazam*, cuius verſio neſcio an edita eſt, *Graece* verterunt *Ioh. Moriſotus*, Baſil. 1547. *Hadr. Turnebus* Tom. 2. Opp. et *Dionyſ. Petavius* Pariſ. 1649. 8. His Anti-Paradoxa oppoſuere *Vitus Amerbachius*, Argentor. 1541. et *Antonius Maioragius* Lugd. 1546. 8. quo nomine vehementer Maioragium quidem reprehendit Marius Nizolius in Epiſtola ad eum data, quae legitur poſt Gudianas p. 132. Caſpar

l) Paradoxon, Auguſtino in principiis Rhetorices pag. 301. eſt *malae opinionis thema* et pag. 299. *quod eſt παρὰ τὴν δόξαν, id eſt, contra opinionem bonam.* Sed ex Ciceronis ſententia rectius exponas, *contra opinionem vulgi.* Ioanni Sarisberienſi II, 22: Policratici *inopinabile.* Cicero ipſe de Fin. III, 15. interpretatur *Mirabilia.* Curio Fortunatiano lib. 2. p. 60. *admirabile*, ex Ciceronis IV, 27. de finibus.

Caspar vero Scioppius in elementis Philosophiae moralis pag. 77. contendit, quarti Ciceronis paradoxi solum hodie superesse initium, quia post primam periodum Cicero aliud atque adeo quintum in ordine probare nititur, hoc nempe: solum sapientem esse civem, omnes autem stultos esse exsules. Tertium paradoxon de peccatorum aequalitate oppugnat Horatius lib. 1. Satira 3. vers. 115. seq. et caetera perstringit vers. 124. seq. Vniversa ridet et explodit ipse Cicero Oratione pro Muraena c. 29. Eorundem meminit Plutarchus in Catone minore p. 769. et 792.

Paradoxa Ciceronis primum edita cum officiis Romae sunt a. 1465. 1471. fol. De aliis, quae insecutae sunt editionibus, et quas passim iam commemoravi, dicere, nihil est necesse. Loca quaedam illorum e MS. emendat illustratque Iacobus Tollius in fortuitis c. XVII. p. 134. seq. Postremo Paradoxa a *Thoma Bentleio* recensita et illustrata habemus ad calcem librorum de finibus, Cantabrig. 1718. 8. Ciceronis exemplo Matthaeus Iorna commentarium suum Belgice editum in octo μακαρισμὺς Matthaei VI. inscripsit paradoxa Christiana Amstel. 1696. 8. Omitto Paradoxa Christiana Lippi Aurelii Brandolini, Iani Nicii Erythraei etc.

VII. *Fragmenta* ex operibus Ciceronis deperditis nobiliora supersunt haec tria:

1. *Somnium Scipionis*, ex ultimo sive sexto libro de Rep. m) sive de optimo Reip. statu, excerptum. Illud servavit

m) Ciceronis opus de Rep. quod vestigiis Platonis insistens composuerat, laudatum Gellio, Lactantio, Augustino aliisque exstitit adhuc tempore Gerberti, ut ex eius Epist. LXXXVII. colligitur, et Petri Pictaviensis, ut notatum Barthio XXXII. 5. et 18. Adversar. Iohannes Mabillonius T. I. Musei Italici p. 79. refert, se in Catalogo quodam MSS. cum observasset Ciceronem de Rep. laetatum ad Codicem ipsum properasse, sed inspecto volumine designato primam Ciceronis Philippicam deprehendisse, cuius prima sunt verba: *Antequam de Republica.* Vana quoque spes fuit hoc opus in Polonia recuperandi, quam in rem Cardinalis Bessario dicitur insumsisse aureos amplius mille. Atque adeo sapit fabulam, quod in vita Ioannis Zamoscii refert Isaacus Bullartius, T. I. Academiae scientiarum et artium p. 87. post annum 1576. durante obsidione Plescoviae nobiles

vavit ac duobus libris copiose illustravit *Macrobius*, de quo infra: *Favonii* vero *Eulogii* n) Rhetoris Carthaginensis disputatio in somnium Scipionis ad V. C. Superium Cos. Provinciae Byzacenae scripta, lucem debet viro, et hoc et multis aliis nominibus egregie de litteris ac de Cicerone etiam promerito, A. Schotto, qui e vetusto Codice Gemblacensi primus illam eruit subiunxitque libro quinto quaestionum Tullianarum, Antw. 1613. 8. Deinde Graevius suae officiorum editioni a. 1688. 8. subiunxit. *Graeca* Somnii versio composita a *Theodoro Gaza*, exstat in editione Ciceronis Aldina, et in Sturmiana Argentoratensi in 8. Etiam a *Planude* versum Graece somnium Scipionis suspicatur Lambecius V. pag. 153. ubi in Graeco quodam Codice MS. Iuliani Cardinalis S. Angeli citatur *ὁ ὄνειρος τῦ Σκιπίωνος.* E recentioribus praeter Pet. Io. Olivarium, Pet. Ramum, Bartholomaeum Barrientum, aliosque, hoc somnium illustrarunt Ludov. Vives, T. 2. Opp. Matth. Dresserus Francof. 1597. 8. Ioan. Sambucus, Antw. 1573. 8. Gerard. Vossius, Tungrensis, Rom. 1575. 8. Elias Vinetus, qui reliquis a Schotto praefertur, et Vlricus Obrechtus Argentorat. 1666. 12. atque in eius Academicis

les quosdam Polonos otii pertaesos ulterius in interiora Mosciae excurrisse, comite Voinuskio, viro Hebraice, Graece et Latine erudito, neque longo itinere incidisse in locum, ubi praeclara antiquitatis monumenta reperissent, inter alia *Ciceronis libros de Republica ad Atticum, aureis descriptos litteris.* Similiter quod Io. Lelandus de scriptoribus Britannicis c. 590. p. 483. narrat, desideratissimum Ciceronis de Rep. volumen ex Italia MS. perlatum in Angliam (circa a. 1490) a *Guilelmo Tillaeo*, patria Cellingo, sed incendio consumtum perisse. Svetonius olim adversus Didymi Ciceromastigem scripserat librum *περὶ τῆς Κικέρωνος πολιτείας* Svida teste. Sed nec ille ad nos pervenit. Locum in Ciceronis *πολιτικοῖς* quo Musica disciplina vituperabatur, ab aliena manu intrusum fuisse demonstravit Aristides Quintilianus libro II. de Musica pag. 70.

n) Perquam exactum scriptorem vocat Barthius II, 19. Adversarior. Haud diversus hic mihi videtur ab Eulogio S. Augustini discipulo, de quo adscribam locum ex huius lib. de cura pro mortuis cap. XI. *Carthaginis Rhetor Eulogius qui meus in eadem arte discipulus fuit, sicut mihi ipse, posteaquam in Africam remeavimus retulit, cum Rhetoricos Ciceronis libros discipulis suis traderet, recensens lectionem quam postridie fuerat traditurus, quendam locum offendit obscurum: Quo non intellecto, vix potuit dormire, sollicitus, qua nocte somnianti ego illi quod non intelligebat, exposui, imo non ego, sed imago mea nesciente me,* etc.

cis ibid. 1704. 4. pag. 561. seq. *Antonii Mancinelli* sermo in Scipionis somnium, cum Xenocratis libello de morte per Ficinum verso, prodiit Daventriae in 4. circa a. 1510. ut videtur, licet nota diserta temporis absit. *Ludovici Viuis* somnium et vigilia, h. e. somnium Scipionis cum enarratione, lucem vidit Basil. 1521. 4. Consideratio *Latini Latinii* in hoc Somnium prodiit Antw. 1631. 8.

Fides esto apud autorem, Casparum Barthium, qui Daumio narravit, *sex libros* Ciceronis *de Rep.* extitisse ante bellum tricennale in Bibliotheca Fuldensi in aliquot voluminibus membranaceis, sed a militum petulantia discerptos et equis substratos fuisse; ut ex Christiani Daumii ore refert Rev. Christianus Feustelius in Miscellaneis p. 47. Verum et Ioanni Sturmio spes facta fuit thesauri huius, cui consequendo Cardinalis Polus duo millia aureorum incassum impendisse traditur. Sed bene Bernardus Moneta in Epist. ad Buherium praesidem Curiae Divionensis eruditissimum, inserta T. IV. Menagianorum p. 395. *Il y a des gens, qui pour se mettre en reputation, supposent avoir vû, ou même avoir par devers eû certains livres rares, singuliers, et qu'on croit perdus. Témoin ce Francesco Veneto, qui fit accroire à un Grammairien de Fano,* o) *commentateur des six premiers livres, qui nous restent des* Fastes d'Ovide, *que* les six derniers *étoient dans la Bibliotheque du Roi de France, ou il les avoit vus et lus. Témoin sans aller plus loin, celui* p) *qui en 1690. se vanta d'avoir retrouvé le* Petrone *entier, et qui eût le front de faire imprimer un pretendus supplement, non seulement indigne de cet auteur, mais même du plus mediocre. On avoit promis à Jean Sturme* q) *les* six livres de la

 Repu-

o) Anton. Constantinus Fanensis in fine commentar. ad fastos Ovidii. Obiit a. 1490.

p) Franciscus Nodotus.

q) Io. Sturmius Epistola ad Rogerum Aschamum 30. Ian. 1552. *Ecce Aschame, quidam in hac vicinia mihi promisit libros Ciceronis de repub. sexies misi ad eum: si asseerantur, me quid poterit esse beatius? Senatoriam prae me gravitatem feram ex antiqua disciplina, si obtinebo. Sed ut nunc homines sunt, valde metuo, ne sit nihil: sed si verum*

République de Ciceron, *à la recherche des quels le Cardinal Polus s) depensa deux mille écus d'or, envoyant exprès un homme en Pologne, ou on lui avoit fait esperer que se trouveroit le manuscrit. On avoit promis de même à Vives t)* les Anticatons de Caesar. *Quelles fables n'a-t-on pas crues touchant* le Tite Live? *Il y a plus de vint-cinq ans, qu'on l'attendoit entier u) de Chio. Quelques x) uns ont dit, qu'il étoit complet en Arabe dans la Goulette. D'autres, y) qu'il s'en voyant un exemplaire en cette même langue dans la Bibliotheque de l'Escurial. Libros* Ciceronis *de Rep.* simul ac editi ab illo fuissent, avide lectos innuit Coelius Epistola ad ipsum scripta VIII. 1. *Tui politici libri omnibus vigent.* Eorundem meminit Tullius, et ad eos respicit libris de legibus non uno in loco.

2. Pars interpretationis *Timaei*, Dialogi Platonici, *de universitate*, una cum Chalcidio separatim vulgata est, Paris. 1563. 4. et cum Graecis Platonis ex adverso positis collata a Ioachimo Perionio, Paris. 1540. 4. Basil. 1542. 8. atque ab H. Stephano in Lexico Ciceroniano, an. 1557. 8. *Neque vero novum est*, inquit Yvo Villiomarus sive Iosephus Scaliger animadvers. in locos controversos Rob. Titii pag. 22, *Ciceronis diligentiam et fidem in reddendis Grae-*

rum sit, mittam etiam tibi ut, mecum sapias Romanam curiam, et forum et nostra: verum particulatim, ut si sapientia te superare non possum: tempore antecedam. Quam vereor non sit nihil? verum tamen in Epistola quam ad me scripsit, attingit loca quaedam et eorum argumenta, quae non puto esse de nihilo.

r) Aschamus ad Sturm. 14. Sept. 1555. lib. 1. Epist. pag. 99. *Aiebat Cardinalis Polaus se semel 2000 aureorum consumsisse mittendo certo quodam homine in Poloniam, qui libros Ciceronis de Rep. perquireret, quorum illic inveniendorum spem quidam ei fecerat. Ego statim narravi quae tu ad me olim de illis libris. Et rogavit, ut ad te scriberem, ut sciremus ecquidne certi de illis libris.*

s) Io. Lud. Vives ad 1. Augustini de Civ. Dei cap. 23. *Caesaris anticatones duos vir clarissimus Cardinalis Leodinensis confirmavit se in antiqua quadam Bibliotheca Leodii vidisse, et curaturum ut ad me mitterentur. Quod si fecerit, non invidebo studiosis hominibus lectionem eorum.*

t) Baudelot utilité de voyages pag. 401.

u) Antonius Faius praef. ad versionem Gallicam Livii.

x) Abraham Ecchellensis in dedicatione libri ex Arabico versi, cui titulus *semita sapientiae.*

Graecis desiderari, si quidem Ciceroniana cum Graecis contendantur. In Ephemeridibus litterariis Germanicis Lipsiensibus z) p. 879. legas, multa e Ciceronis monumentis manu exarata occurrere Vratislaviae in Bibl. Rhedigerana, prae caeteris, quae in editionibus Tullii non occurrant, ut *librum de essentia mundi*, et aliud scriptum *ad Hortensium*. Sed librum de essentia mundi suspicor nihil aliud esse, quam partem interpretationis Timaei Platonici, quae inter Ciceronis scripta legitur sub titulo *de universitate*, atque primum lucem vidit cum aliis Philosophicis Ciceronis scriptis Romae 1471. fol. per Conr. Sweynheim et Arnoldum Pannartz: deinde sine loci nota et anni in fol. et cum *Georgii Vallae* commentario, Venetiis 1485. fol. et *Victoris Pisani* ibid. 1492. fol. Hinc post Perionii et H. Stephani curas, locis quibusdam castigata et illustrata est a Paulo Leopardo, Isenbergensi lib. VIII. emendationum, cap. 20. sq. et nuper cum Graecis Platonis, et altera Chalcidii Latina interpretatione, commentario Chalcidii praemissa a me est ad calcem tomi secundi operum S. Hippolyti, Hamb. 1718. fol.

3. *Pars Metaphraseos* Phaenomenon ac Diosemion, sive, ut Cicero lib. 1. de Divinat. c. 8. vocat, 11, 20. Prognosticorum *Arati*, Heroico Carmine. Nam poëtam quoque non omnino malum fuisse a) Ciceronem, et quaedam illius λείψανα poëtica fidem faciunt, et defendit Plutarchus in Vita p. 861. Hanc Arati Metaphrasin admodum adolescentulum se composuisse testatur Cicero II. de natura Deor. cap. 41. et videtur integram adhuc habuisse Lupus Ferrariensis b) Ep. LXIX. Fragmenta, quae sola hodie supersunt, cum Graecis comparavit, praeter Perionium et H. Ste-

y) Ausführlicher Bericht von Büchern a. 1719. 8.

z) Ciceronem non malum fuisse Poetam, iudicavit etiam nuper Regnerius Desmarais ad Gallicam suam librorum de Divinatione versionem.

a) Lupus Ferrariensis Epistola LXIX. ad Ausbaldum: *Tu autem huic nostro cursori Tullium in Arato trade, ut ex eo, quem me impetraturum credo, quae deesse ille Egil. noster aperuit, suppleantur.*

Stephanum in libris modo laudatis, Carolus Sigonius in sua fragmentorum Ciceronis collectione, quibus addendae observationes eruditissimorum virorum Pauli Leopardi XVI, 14. et XVIII. 16. sq. emendationum et Hadr. Turnebi VIII, 17. Adversar. Petri item Lescaloperii notae ad Ciceronem de natura Deor. p. 408. sq. et *Hugonis Grotii*, viri summi, Aratea, in quibus non modo fragmenta Ciceronis eo ordine, quo Arato respondent, exhibet, sed et alio litterarum charactere versus, qui deerant, ex suo ingenio suppletos interseruit atque adiunxit, Lugdun. Bat. 1600. 4. *Iohannis* denique *Cochanovii* editio neutiquam praetereunda, qui Aratum Ciceronis recensuit et illustravit Cracov. 1579. 4. et quae ad Aratea Tullii annotavit Ianus Gruterus. Recensuit etiam inter fragmenta Ciceronis Andreas Patricius, quae e Gudiana Bibl. accepi emendata ex MSS. Fragmenta caeterorum scriptorum Ciceronis subiiciuntur etiam editioni Officiorum Lipsiensi 1611. 8.

4. Cetera scripta Ciceronis deperdita haec fere sunt, quorum fragmenta ex veterum monumentis post *Rob. Stephanum*, collegit *Carolus Sigonius*, Venet. 1559. 8. et horum vincens industriam *Andreas Patricius*, Polonus, ibid. 1650. 8. 1565. 4. et 1578. 4. suis vero Ciceronis editionibus (sed sine Patricii commentariis et Sigonii notis) subiecere Dionys. Gothofredus et Ianus Gruterus, inde in alias etiam nonnullas editiones recepta, ut Londinensem ac Gronovianam.

1. *Orationes c*) 1. pro M. Tullio, 2. pro L. Vareno, 3. Cum Quaestor Lilybaeo decederet: 4. Pro P. Oppio, 5. Pro C. Manilio. 6. Pro M. Fundanio. 7. et 8. Pro *d*) C. Cornelio. 9. In toga candida adversus competitores consu-

b) Fragmenta ex orationibus Cic. deperditis, una cum notis Sigoni et Patricii Graevius praeclarae suae orationum editioni tomo postremo subiunxit.

c) Has pro Cornelio et tertiam in toga candida, illamque, quae est pro M. Scauro iam supra §. IV. num. 15. 16. et 40. retuli inter Orationes Ciceronis, quae exstant, quoniam earum paulo copiosiora fragmenta ad nos pervenere, in quae Asconii Pediani commentarios habemus.

consulatus C. Antonium et L. Catilinam. 10. Pro Q. d) Gallio. 11. De L. Othone. 12. De proscriptorum liberis. 13. Contra concionem Q. Metelli. 14. De consulatu suo. 15. In Clodium et Curionem. 16. De Rege Ptolemaeo (Auleta.) 17. Pro P. Vatinio. 18. Pro M. Aemilio Scauro. 19. Pro A. Gabinio. Praeterea de quarum titulis solum constat. 20. Pro L. Corvino. 21. In deponenda provincia. 22. De L. Bestia. 23. In Gabinium. 24. Pro Crispo. 25. Pro Q. Mucio, et 26. De lege agraria, brevis. Subiecit etiam Patricius fragmenta orationum, quae exstant, sed non integrae: pro P. Quinctio, pro M. Fonteio, de lege agraria Kal. Ian. et in L. Pisonem.

2. *Commentarii causarum*, quarum liber XIII. commemoratur a Diomede. Asconius quoque et Quintilianus memorant commentarios defensionum Ciceronis, in quibus indicem et initia orationum suarum exposuerat.

3. *Epistolae* ad M. Titinnium. Ad Cornelium Nepotem libri II. Ad C. Caesarem libri III. Ad Caesarem iuniorem libri III. Ad C. Pansam libri totidem. Ad A. Hirtium libri IX. Ad M. Brutum libri VIII. Ad M. filium libri II. Ad Licinium Calvum. Ad Q. Axium. Ad Catonem. Ad Ceretiam. Ad L. Plancum. His adde Graecas Epistolas, quarum meminit Plutarchus in Cic. p. 873. ad Herodem, ad Gorgiam Rhetorem, ad Pelopem Byzantium.

4. *Libri II. de gloria*, quorum meminit ipse Cicero cum alibi, tum lib. 2. de Officiis. Hos ex illo tot egregiorum scriptorum naufragio evasisse atque tulisse aetatem, varia, sed parum certa hactenus fama fuit. *Libros duos* Ciceronis *de gloria* a Raimundo Superantio, ICto Siculo, donatos Franciscus Petrarcha acceperat, e) sed quos ipse libro XVI. senilium Epist. 1. ad Lucam de Penna, Papae secretarium p. 1046. edit. Basil. amissos queritur, cum praeceptor

d) Orationis *pro Q. Gallio* meminit S. Hieronymus Epistola ad Nepotianum. Duarum pro *P. Vatinio* Valerius Max. IV. 2. 4. ubi etiam laudatur Oratio *pro A. Gabinio*.

e) Confer Papyrii Massoni elogia Tom. 2. p. 77. sq. Menagiana Tom. IV. p. 86.

ceptor eius mutuo illos acceptos a Petrarcha propter rem angustam domi oppignorasset, nec luendi iterum daretur potestas. At Beatus Rhenanus an. 1531. ita scripsit ad Bilibaldum Pirckhaimerum: *Exspectamus aliquid veterum librorum a te, Ciceronem de gloria, eundem de vita beata, quasdam eiusdem Orationes hactenus non visas, Medeam Ovidii, Fontianum Poëtam,* (num Fontanum, quem Naiadas a Satyris adamatas cecinisse refert Ovidius IV. 16. de Ponto?) *qui Provincias Romanas eleganti carmine descripsit, nisi tanto thesauro solus frui vis.* Rhenani Epistola eius libro rerum Germanicarum subiicitur, et prodiit praeterea in Centuria Epistolarum Philologicarum e Bibl. Goldasti, Lips. 1674. 8. p. 212. Pirckhaimerii Bibliotheca in varias deinde manus pervenit (vide Georg. Richteri Epistolas p. 232.) sed nemo fuit repertus, qui libros illos proferret in lucem. Ab aliis arguitur Franciscus Philelphus libros Ciceronis de gloria habuisse, et pleraque ex illis suo cuidam inseruisse operi, atque deinde, ne plagium pateret, igne eosdem abolevisse. Ita praeter Varillasium in historia Ludovici XI. Menagius in Menagianis T. 2. p. 95. *Le traité de la gloire de Ciceron fut trouvé tout entier par Philelphe. Il regarda cette heureuse decouverte comme un moyen de se faire valoir dans le monde et acquerir une grande réputation. C'est pourquoi il songea d'abord á le faire paroitre comme son propre ouvrage; mais craignant, que ce mensonge ne fut decouvert, par la suite de temps, il fit un traité* de contemtu mundi, *qu'il ne composa que des lambeaux du livre de Ciceron, qu'il attacha ensemble du mieux qu'il put, aprés quoy il jetta au feu le traité de la Gloire, et fit perdre à la Rep. des lettres par cette action odieuse un ouvrage, ou il est à presumer, que Ciceron n'étoit pas moins admirable ni moins éloquent, que dans ses autres ouvrages.* Liber de contemtu mundi sub *Philothei Rogerii* nomine ab A. Schotto vulgatus est Colon. 1619. 12. et aureolus vocatur a Caspare Barthio p. 2729. et 2820. Adverf.

ubi

ubi negat se assentire doctissimo Cambdeno, qui scriptorem illius suspicabatur esse Britannum. Plurimi idem crimen abolitorum Ciceronis de gloria librorum impingunt *Petro Alcyonio*, qui ex illis pleraque in suos *de exsilio* libros duos transtulerit. Ita scribunt Paulus Iovius in elogiis c. 123. Christophorus Longolius p. 367. et 387. Epist. Lil. Gyraldus de Poëtis sui temporis p. 45. Petrus Victorius praef. in Commentar. ad Aristotelis Poëticam, Antonius Verderius praef. ad Bibliothecam, ut recentiores, Paul. Colomesium cap. 15. Opusc. Nic. Antonium in limine operis de iure exsulum, Ant. Varillasium in anecdotis Florentinis, Dav. Abercrombium in fure Academico etc. praeteream. Sed unius adscribam verba Paulli Manutii e commentario in XV. 27. Epist. ad Atticum. *Libros duos significat, quos de gloria scripsit, qui usque ad patrum nostrorum aetatem pervenerunt. Nam Bernardus Iustinianus in indice librorum suorum nominat Ciceronem de gloria. Is liber postea, cum universam bibliothecam Bernardus monachorum monasterio legasset, magna conquisitus, cura neutiquam est inventus. Nemini dubium fuit, quin Petrus Alcyonius, cui monachi Medico suo eius tractandae Bibliothecae potestatem fecerant, homo improbus furto averterit. Et sane in eius opusculo de exsilio adspersa nonnulla deprehenduntur, quae non olere Alcyonium auctorem, sed aliquanto praestantiorem artificem videantur.* Equidem lubens assentior Io. Burchardo Menckenio, qui in praefatione ad Alcyonium de exsilio, quem Lipsiae anno praesenti 1707. 12. recudi curavit, ab hoc eum crimine absolvendum, et ab aemulis ista oneratum esse calumnia existimat. Neque audet criminationis praestare veritatem Petrus Baelius in Lexico suo, ubi de Alcyonio disserit. v. et Sacy in praef. ad Libros de Gloria francice scriptos et Epist. Magliabechi ad Menken. in Act. Erud. 1707. p. 279. Miror vero quales sint Critici, in quos Morlierius in libro Gallico: quem inscripsit, *Essais de litterature pour la connoissance des livres* a. 1702.

12.

12. T. 1. p. 22. invehitur his verbis: *Certains Critiques ont osé avancer, que le traité de gloria qu'on sçait que Ciceron a fait, et qui s'est perdu malheureusement, n'est autre que celui d'Osorio, qu'ils pretendent qu'un plagiaire du XVI. siecle publia sous le nom de cet Eveque, ayant découvert le Manuscrit de Ciceron, qui avoit été égaré durant pres de XVIII. siecles. Quelle illusion?* Atque operae pretium est videre, quae de Alcyonio notarunt Diarii Veneti auctores, Giornale de' letterati d'Italia Tom. III. p. 26. sq. et Antonius Magliabechius in Epistola ad nobilissimum Menckenium Act. Erud. 1707. p. 279.

5. *Oeconomica* ex Xenophonte, lib. III. *Oeconomicorum* liber primus praecepta habebat, quomodo debeat mater familias domi agere: secundus, quemadmodum foris pater familias, et tertius denique agriculturam, teste Servio in 1. Georgic. Fragmentis ex illo opere Benedictini monent addendum locum S. Ambrosii III. 6. de officiis. Tom. 2. p. 117. Fragmenta Oeconomicorum Tullii subiecta sunt editioni nitidae Oeconomici Xenophontis Graeco latinae Oxon. 1703. 8.

6. *Protagoras*, ex Platonis dialogo versus.

7. *Demosthenis et Aeschinis Orationes contrariae de Corona*, cuius interpretationis prooemium habemus sub titulo libri de optimo genere Oratorum.

8. *Laus M. Catonis*, quam impugnavit C. Caesar.

9. *De Philosophia* liber, sive *Hortensius*, quo Philosophiam defendit et collaudavit Cicero, cum esset accusata ab Hortensio et vituperata, ut constat ex lib. 1. de finibus cap. 1. *Hortensii* Ciceroniani lectione ad sapientiae studium se accensum scribit S. Augustinus prooemio de Vita beata et lib. 1. cap. 10. de Ordine et lib. 3. Confess. c. 4. Ille Ciceronis Hortensius, sive ad Philosophiam exhortatio, citatur etiam ab auctore dialogi de caussis corruptae eloquentiae c. 16. Franciscus Petrarcha lib. XVI. senilium Epist. 1. ad Lucam Pennam narrat se incidisse in librum Cice-

Ciceronis, qui de laude Philosophiae inscribebatur, sed deceptum falso titulo, postea deprehendisse libros Academicos illo volumine contineri. Avorum nostrorum memoria iacturam Hortensii Ciceroniani levare instituit Iacobus Sadoletus Phaedro suo, sive de laudibus Philosophiae libris duobus, quorum priore studium Philosophiae reiicit, altero commendat ac tuetur. Prodiit Lugduni apud Gryphium 1538. 4. atque inter disertissimi illius Cardinalis opera iunctim excusa Moguntiae 1607. 8. p. 558. et in ed. Italica, Veron. 1737. T. III.

10. *Catulus*, Academicus liber I. editionis primae v. supra.

11. *De iure Civili.* Gell. et Charis.

12. *Liber de suis consiliis*, sive expositio consiliorum suorum, *ἀπολογισμὸς τῶν ἑαυτοῦ βουλευμάτων.* Boëthi lib. I. c. 1. de Musica. Asconius ad Orat. in toga candida. Dio XXXIX. p. 96. Vide infra, Ἀνέκδοτα.

13. *De Auguriis.* Charis.

14. *Consolatio* sive *de luctu minuendo*, cum Tulliola eius obiisset, liber ex Crantore maximam partem expressus. Cicero ipse XII. 14. ad Atticum suum: *feci quod profecto ante me nemo, ut ipse me per litteras consolarer: quem librum ad te mittam si descripserint librarii. Affirmo tibi, nullam consolationem esse talem: totos dies scribo*, et 20. *pertinet ad eum librum quem de luctu minuendo scripsimus.* Et 21. *neque tamen progredior longius quam mihi doctissimi homines concedunt: quoniam scripta omnia, quaecunque sunt in eam sententiam, non legi solum, quod ipsum erat fortis aegroti, accipere medicinam; sed in mea etiam scripta transtuli, quod certe afflicti et fracti animi non fuit.* Et 28. *Quod me ipse per litteras consolatus sum, non poenitet me quantum profecerim: moerorem minui; dolorem nec potui, nec si possem vellem.*

15. *Chorographia*, Priscian.

16. Poëmata Heroica, *Alcyones*, *Limon*, *Marius*, et *de Consulatu suo*, sive *de suis temporibus libri III.* cuius meminit Cicero ipse II. 3. ad Attic. Ex libro secundo profert versus LXXVIII. lib. 1. de Divinatione c. XI. sq. atque respicit illud Servius ad VIII. Eclog. vers. 106. Similiter de consulatu suo scripserat *Cato*, nec non *Q. Catulus* de consulatu suo ac rebus gestis, et *Scaurus* de vita sua, et *Gracchus* de legibus a se promulgatis. Nam ut Tacitus cap. 1. Agricolae, *plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt.* Caeterum Cicero magnis etiam precibus postulaverat a *L. Lucceio*, ut res a se Consule gestas eventusque scriberet, lib. V. Epist. 12. sed non videtur illi persuasisse. Vna etiam Lucceii Epistola aetatem tulit, quae legitur inter Ciceronianas V. 14. Magnis hic Tullii amicus laudibus effertur ab auctore dissertationis, quae inserta est Ephemeridibus litterariis Hagensibus (Iournal literaire) Tom. V. p. 137. sq. ubi disputatur de studio, quo conatus fuit Cicero Lucceium Attico suo reconciliare. Ciceroni autem nimis gravis dica dicitur propter haec verba lib. 1. Epist. 10. ad Atticum: *Sed haec sanabuntur cum veneris, aut ei molesta erunt, in utro culpa erit.* Postremorum enim verborum non est sententia, Lucceio creandam molestiam, uter etiam ex illis auctor extiterit culpae et offensae, sive iniuriam alteri fecerit: sed vero hic, ni fallunt me omnia, est sensus, molestiam fore imponendam illi, in quo futura sit culpa, quo minus iterum possint redire invicem in gratiam.

17. Elegia *Tamelastis*. Serv. in 1. Aeneid.

18. Iocularis quidam libellus, e quo Quintilianus VIII. ult. hosce duos versus producit:

Fundum Varro vocat, quem possim mittere funda,
Ni tamen exciderit qua cava funda patet.

19. His adde poëma Iambicum ab adolescentulo compositum, quod inscripserat *Pontius Glaucus*. Plutarch. Cic. p. 861.

20. Vi-

20. Videtur etiam nonnulla loca insignia et forte libros integros *Homeri* latinis reddidisse versibus. Vide A. Patricii notas ad sectionem quartam fragmentorum p. 38. sq. De *Epigrammate* Ciceronis ***in Tironem suum*** videndus Plinius iunior VII. 4. Epist.

Ἀνέκδοτα sua memorat Cicero II. 6. et XIV. 17. ad Atticum, qui forte idem liber ἀπόῤῥητος, de quo Dio Cassius, Ciceroni iniquior, XXXIX. p. 96. Consule Vavassorem de ludicra dictione p. 370. sq. et Loënsem lib. I. Epiphyllidum c. 6. Non igitur primus Anecdota scripsit Procopius, sed ante eum Cicero, qui in illo suo volumine multa in Caesarem et Crassum acerba posuerat: ante Ciceronem Theopompus. Videndus et Malaspina et alii ad II. 6. et XIV. 17. ad Atticum.

Statilii Maximi de singularibus apud Ciceronem, Charisio *f*) laudatus liber, pariter intercidit; quod eo magis dolendum, quod Plinius maior et Quintilianus non pauca eum invenisse vocabula, et iis linguam auxisse Latinam testantur. Insigniora quae hodie in scriptis Ciceronis exstant de vocibus rarioribus, habes collecta in indice quinto penoris Tulliani, quod Georgio Ludovico Frobenio auctore prodiit Hamb. 1619. fol. Consulendus etiam Rev. praesulis Hildesiensis Iac. Frid. Reimanni liber editus Halae 1718. 8. ***introductio in historiam vocabulorum linguae Latinae***, p. 24. sq.

VIII. Superest ut dubia vel supposita *g*) Ciceroni scripta paucis persequar. Sunt vero:

f) Citat Charisius lib. 2. p. 175. et 193. Libros plures an unum ex Charisio non constat. Libros vocat Daumius de causis amissarum Latinae linguae radicum cap. 18. p. 59. Librum Morhofius cap. 6. de Patavinitate Liv. p. 82.

g) Adhuc superstite Cicerone iam tum erant, qui aliena ipsi supponerent, qua de re conqueritur Orat. pro Plancio: *Ego si quid est, quod mihi scitum esse videatur, non adspernor. stomachor vero cum aliorum non me digna in me conferuntur.* Praecipue ioci, sales, et dicta aliorum Ciceroni tribuebantur, quod sibi minus iucundum accidisse scribit VII. Epist. 33. ad Volumnium. Deinde ut ex M. Seneca apparet, fuere illis temporibus declamatores, qui ut de aliis argumentis, ita etiam pro Cicerone et contra Ciceronem orationes scriberent.

1. *Libri IV. Rhetoricorum ad Herennium*, de quibus iam dictum est supra §. III.

2. *Responsio ad invectivam C. Sallustii Crispi*, quae in Sallustii editionibus primis legitur. Ciceronem illius auctorem esse, negat Seb. Corradus in quaestura p. 151. sq. qui *M. Porcio Latroni h*) tribuendam coniicit. Vide praeterea, si placet, P. Victorium XV. 3. Var. lect. Muretum VIII, c. 11. Var. Lect. Vossii Institut. Orator. lib. 1. p. 60. et Io. Rainoldi praelect. XV. de libris Apocryphis T. 1. p. 167. Incipit: *Ea demum magna voluptas est, Crispe Sallusti, aequalem ac parem vitam agere.* Altera Porcii Oratio in Catilinam legitur in Sallustii editionibus plerisque: etiam novissima Cantabrigiensis Iosephi Wasse V. C. secuti Parisiensem, adiunxit. Hic Porcius Latro, ut ex Eusebii Chronico colligas, anno Augusti Imp. quadragesimo sibi ipse mortem attulit taedio duplicis quartanae. Plura de illo collegit Nic. Antonius lib. 1. Bibliothecae Hispanae veteris cap. 3.

3. *Oratio ad populum et equites, antequam iret in exsilium.* Conficta est vel a vetere quodam Sophista, vel certe ab aliquo, qui commentis suis nonnulla vere Ciceroniana inseruit, ut notat H. Dodwellus diss. 1. ad S. Irenaeum p. 53. Lambino iudice *inelegans, inconcinnaque est, insulsa atque inepta, denique vix latina.* Commentario illustravit *Albertus Leonicerus.* Witeb. 1572. 8.

4. *Epistola* sive *declamatio* potius *ad Octavium, s. Octavianum*, ut habet Lambecius II. p. 936. qua Remp. oppressam ipsi exprobrat. Paulus Manutius subiunxit Epistolis

h) Plurimas hic declamationes composuit, interdum etiam extempore dicere solitus. Neque enim discipulos suos audivit declamantes, sed uti apud Graecos Nicetas declamavit ipse tantum, professus se non esse magistrum, sed exemplum. Vnde contumeliae primum causa a deridentibus eius discipuli dicti sunt *auditores*, quod verbum deinde promiscue in usu esse coepit. Vide Senecam controvers. 25. Apud eundem Senecam plurima huius Porcii referuntur, qui enim reliquis fere omnibus praefert declamatoribus: interdum reprehendit, sed raro. Ex illo disces praeterea, sub Augusto Imp. Latronem claruisse. Huic Porcio Latroni tribuitur et altera Oratio in Catilinam, quam exhibent pleraeque Sallustii editiones.

stolis ad Q. Fratrem, addiditque, ἐκ τοῦ χαρακτῆρος intelligere se alium, quam Ciceronem, auctorem. Vide et Petrum Victorium ad calcem castigationum in Ciceronis Epistolas ad diversos. Gallice vertit Bartholomaeus Annulus a. 1542. Incipit: *Si per tuas legiones mihi licitum fuisset.* Male apud Lambecium per tuas *legationes.*

5. *Oratio de Pace*, edita a *Carolo Merovillio* in editione Orationum Cic. in usum Delphini. Sane ex Dionis libro XLIV. constat, huiuscemodi orationem dictam esse a M. Tullio: sed genus dicendi non est Ciceronis, verum alicuius, qui ex Dione utcunque sententias et argumenta eius expressit. Hanc separatim edidit, et Ciceronis haud esse, demonstravit Henr. Leonardus Schurtzfleischius Viteb. 1712. 4.

6. *Oratio* adversus Valerium, edita primum a *Philippo Beroaldo* cum orationibus Ciceronis recognitis Bonon. 1499. fol. scatens soloecismis: tantum abest, ut Ciceronis haberi possit: in editionibus itaque operum Tullii recte praetermissa.

7. *Consolationem* super Tulliae Filiae obitu scripsisse Ciceronem, quae praegnans a Dolabella dimissa, non diu a partu obierat, ex multis Ciceronis *i*) ipsius locis constat: sed, quae sub eius nomine edita est sub initium anni 1583. primum Venetiis a Francisco Vianello Veneto, Ciceronem neutiquam auctorem agnoscit, licet *Carolus Sigonius* tribus Orationibus eam conatus sit Ciceroni vindicare. Scripta igitur creditur vel a *Carolo Vianello*, ut contendit Io. Rhodius de scriptoribus pseudonymis p. 17. sq. vel a *Carolo Sigonio* potius, ut ipsum denique confessum esse, sunt qui tradant. Vide Latini Latinii lucubrationes T. 2. p. 188. Sigonio etiam tribuit Benedictus Menzinus de literatorum

i) Confer si placet Sigonii et Andreae Patricii notas ad fragmenta e consolatione Ciceronis, quae cum illa Pseudo-Tullii consolatione et A. Riccoboni iudicio ad Hieron. Mercurialem quo illam Ciceronis haud esse ostendit, et Sigonii binis pro illa Orationibus prodierunt Bononiae 1583. 8. Oratio tertia Sigonii prodiit ibid. 1600. 8.

teratorum hominum invidia cap. IX. Ciceronis non esse, acriter pugnat praeter A. Riccobonum, Ianus Gullelmius in assertione adversus Sigonium Paris. 1584. 8. et Iustus Lipsius Epist. 35. 66. 75. et 91. Centuriae I. Misc. et Epist. 14. Centuriae ad Italos et Hispanos. Eleganter scriptam lectuque dignam, nemo, qui evolverit, diffitebitur. Eodem, quo primum edita est anno, repetita est Bononiae 8. cum Fragm. Cic. a Sigonio et Patricio collectis et Ricconboni, Sigoniique orationibus contrariis: item Noribergae 1584. Erfurti 1585. Occurrit in editionibus quibusdam Ciceronis, ut Gruteri, Gothofredi: versa est in linguam Gallicam a *Benedicto du Troncy* Lugd. 1584. 8. et alio, nescio quo, auctore Paris. 1644. 12. Anglicam quoque versionem Catalogus memorat Bodleianus.

8. *Liber de Synonymis* ad *L. Victurium* sive Veturium, ut vocat Morhofius libro de dilatatione Oratoria p. 10. Sub nomine *Ciceronis Victurii* editum Venetiis 1587. 8. memorat Lambecius lib. 2. de Bibl. Vindob. p. 935. Mihi quidem ad manus est editio Augustana anni 1488. cum inscriptione: *Ciceronis de proprietatibus terminorum.* Incipit: *Inter polliceri et promittere hoc interest, quod promittimus rogati, pollicemur ultro.* Catalogus Heinsianus refert Ciceronis Synonyma Victurii et Steph. Flisci Venet. 1515. 4. Sub Ciceronis nomine primum excusa est Patavii 1482. 4. per Matthaeum Cerdonis; deinde sine loci notatione 1483. 4. sub titulo, *de dictionum proprietatibus:* et Augustae, ut dixi, 1488. 4. *de proprietatibus terminorum.* Est etiam editio Parisiensis apud Ascensium sine anni nota in 8. praemittitur Epistola: *Cicero Lucio Venturio salutem: Collegi ea quae pluribus modis synonyma dicerentur* etc. Erasmo iudice est tumultuaria non adeo multarum vocum collectio, ab aliquo Ciceronis studioso utcunque facta ex eius scriptis.

9. *De re militari* fragmentum sub Ciceronis nomine editum est in recentioribus editionibus Vegetii, et minori editioni Officiorum Ciceronis subiectum Amstelod. 1625. apud

apud Guil. I. Caesium. Angelo quidem Decembrio indice, parte X. politiae literar. lib. 2. p. 56. *plenum ineptiis, et praesentis aevi vulgaritati congruens potius quam Ciceronis dignitati.* Etiam libris de Nat. Deorum ex castigatione *Nicolai Angelii* Bucinensis Florentiae apud Philippum Iuntam 1516. 8. subiectum est, hac inscriptione: *Inter alia Ciceronis opera et hoc ipsum de re militari repertum est, quod cum non plane probaverimus, tum dicendi figura, cum pluribus mendis, ideo a ceteris secrevimus.* Iudice Casellio lib. I. Var. Lect. cap. 16. *Modesti* sive alterius libellus est, inter M. Tullii monumenta ineptissime relatus.

10. *Orpheus*, sive *de adolescente studioso*, ad Marcum filium Athenis versantem, post Venetam editionem 1593. 8. vulgante Friderico Monavio, Regiomonte 1643. 8. Scribit *Squarcia* in praefat. ed. 1593. ad Io Petrum Aryoldum Marcellanum, Medicum ac Philosophum, in gaza D. Marci Venetiis extare non modo Codices editorum scriptorum vulgatis meliores, sed et non editos: *in his Ausonii Poetae de aurifica Philosophia, quam Alchymiam vocant, parva Isagoge satis erudita et minime obscura: item fragmenta quaedam ex libris, ut mihi quidem videtur, de Rep. Marci Tullii, et libellus de Orphei moribus et vita, Ciceroni inscriptus. Mitto igitur ad te Orpheum, quem vel ipsius esse Ciceronis, vel ex officina alicuius prodiisse, qui proximus aetati Ciceronis vixit tute, qui mihi instar es omnium Manutiorum, testis esse poteris. Ausonium commendavi perillustri Viro Caspari Soromano, Patricio Mediolanensi.*

11. *De memoria*, quod nonnulli crediderunt *Tironis* esse, liberti Cic. vel potius interpolatam particulam e libro IV. Rhetoricorum. *Iacobus Lectius ICtus cultissimus in oratione VIII. quae est de memoria, meminit aliorum fide, exstare apud Florentinos Ciceronis opus de memoria artificiali inscriptum, quod ipsi tamen fabulosum videtur.* Morhof. I. Polyhist. p. 364.

12. *Notae* tachygraphicae, quas in Steganographia sua Trithemius tribuit Ciceroni, Tironem eius libertum potius auctorem habent, ut dicam infra in Seneca Philosopho.

Denique *libellus de petitione Consulatus*, qui in editionibus Ciceronis exstat, non M. Tullii est, sed ad eum scriptus a Q. Cicerone fratre, et lectione haud indignus, nec iniucundus, quamvis H. Stephanus in Pseudo-Cicerone p. 180. scripsit, *dictionem eius cum fratris sermone collatam, non minus radere delicatas aures, quam filii Ciceronis et Coelii et Asinii Pollionis, aliorumque Tullii aequalium, quorum ad illum Epistolae exstant.* Reperitur in aliquot editionibus primis operum Variorum Ciceronis, ut 1485. Venet. opp. rhetor. etc. et in edd. operum universorum quibusdam. In editione Ciceronis Veneta commentariis Manutiorum illustrata, occurrit tomo nono, cum commentario *Valerii Palermi*, Veronensis, quocum repetitus est in editione recentiori Epp. ad Q. Fr. Separatim edidit *Christianus Gottlieb Schwartzius* Altdorfii 1719. 8. una cum versibus viginti hexametris, qui sub Quinti huius Ciceronis nomine exstant pridem editi, *de signis coelestibus*, quo tempore quodque illustre sit, in Eclogario Ausonii p. 558. edit. Tollianae, et inter poëmata vetera a Viris doctis collecta.

IX. Ita enumeratis editionibus singulorum librorum, restat, ut de editionibus librorum universorum, in unum corpus redactorum dicamus diligentius. Prima editio talis corporis possit tribui *Sweinhemio* et *Pannartio*: quod ii omnes libros Ciceronis deinceps edidere, ut e superioribus cognoscitur. Sed quoniam iis non fuit consilium efficiendi corpus universorum, propterea in eorum numero non ponuntur, quibus editiones universorum librorum Ciceronis tribuuntur, uti nec editio Iuntina memoratur, etsi prope omnes libri Cic. apud Iuntas editi sunt. *Princeps* igitur est *Mediolani* facta an. 1498. fol.

Tomis quatuor, grandi modulo, chartis et literis pulcris et splendidis, per *Alexandrum Minucianum*, qui hoc, pro modo iudicii sui, curavit, ut singuli libri ex optimis, quae tum erant, exemplis exprimerentur. Itaque huius editionis textus fuit sequentibus editoribus pro basi. *Ascensius* quidem qui Parisiis simile corpus Ciceronianum a. 1511. quatuor pariter partibus, eam rarissime, etiam in vitiis typographicis deseruit: sed tamen in margine varias quasdam vel librorum aliorum, vel coniectantium, ut Bechicheni Scodrensis, posuit.

Novum exemplum universorum librorum dedit *Aldus Manutius*, a. 1519-23. 8. sed in quo textus permultis locis mutatus est, in melius quidem interdum, saepius in deterius. Ceterum claritas officinae et nomen Aldi, quod et ad nostra tempora vulgo maius quam pro re fuit, fecit, ut textus superior relinqueretur, et Aldinus optimus videretur. Itaque sequentibus pro basi fuit. Nam statim *Ascensiana* officina, cum iterare Corporis Ciceroniani editionem vellet, reliquit exemplum prius, et Aldinum secuta est a. 1522. et ordine orationum et librorum philos. et vero etiam textu ipso, servatis tamen marginis lectionibus. Idemque fecit *Cratandrina* Basil. 1528. fol. Voll. tribus. Sed ea tamen habet propria quaedam bona. Nam praefuit operi *Mich. Bentinus*, vir egregie doctus, qui in ipso opere mortuus est, et suppetebant praesidia nova librorum a Peutingero, Hartmanno Palatino et Io. Sichardo, per quos libros orationes quaedam pleniores factae sint, ut supra indicavimus, et textus pluribus locis melior. Variae lectiones in margine sunt. Eademque ratione usus est is, qui Hervagianam an. 1534. Voll. 4. f. curavit; sed auxit tamen et Cratandri bona, collatis edd. librorum Italicorum Hani, Sweinshemii etc. sed etiam scriptorum: vnde et in Or. pro Sextio lacunae quaedam primum expletae sunt, ut ea prope tertia parte auctior facta sit, per Codicem *Gabr. Florentii Talenti*, Mediolanensis.

Sed eodem anno 1734. novi exempli et emendati pluribus locis editio facta est Venetiis ap. Iuntam quatuor Voll. per *Petrum Victorium*, qui Sospitator Ciceronis est appellatus, supra modum elatis viri meritis, egregiis illis quidem, sed non ad huius nominis altitudinem. Vsus est libris scriptis et editis, multisque locis meliorem, quam in vulgatis, h. e. Aldina et eam secutis edd. erat, induxit, etiam, quae in nullo ante edito erant; sed tamen maxime Epistolas bene correxit, et illustravit: et quod de his recte dici poterat, ad omnes partes translatum est. Nam in ceteros libros pauculas notas scripsit, eaeque sunt fere ex genere coniecturali: in orationes nullas omnino. Ceterum haec editio repetita est Florentiae 1571. Eius deinde textum in suas induxere, ut *Robertus Stephanus* Paris. 1539. f. quae in titulo se Victorianae filiam profitetur; additasque habet *Victorii* explicationes suarum castigationum: *Gryphii* Lugd. 1540. 8. cui editioni praefuit *Io. Mich. Brutus*, qui et notas suas addidit, e genere critico non contemnendas: repetita est 1548. 1559. 1571. *Sturmius* Argentorat. eodem anno, et post iterum, inconstans tamen, et Aldinas lectiones saepe praeferens: *Camerarius*, qui tamen eum multis locis deseruit, praelatis lectionibus superiorum editionum et MSS. et vitata Victorii κακοζηλίᾳ in lectionibus scriptorum librorum, etiam qua orthographiam: estque eius editio inter praecipuas numeranda, cui etiam tum suas tum Victorii notas addidit. Basil. 1540. fol. Tomis quatuor.

Eodem anno Ciceronis opera edidit *Paulus Manutius*, Venetiis, decem Voll. 8. qui eodem, quo Victorius tempore animum ad textum Ciceronis melius constituendum, adiunxerat, usus que erat multis exemplis scriptis, quae ipse enumerat, additis brevibus scholiis. Basis igitur huius editionis est textus Aldinus, sed multis locis mutatus. Repetita est haec editio 1550. et 1563. Cavendum, ne haec editio confundatur cum editione Aldi Nepotis. Graevius cum in re Critica P. Manutii lectionem commemorat,

morat, hanc Aldi editionem intelligit, non illam, qua non usus est. Ceterum ex ea plures lectiones venere in sequentes, et vulgatae post appellatae sunt. Huius Manutianae textus basis est editionis *Rob. Stephani*, quae prodiit Paris. 1543. f. 8. Voll. 8. sed mutatus interdum vel e scriptis vel editis libris. Addita sunt etiam Manutii scholia. Hanc Stephanianam repetiit *Simo Colinaeus* Paris. 1545. f. 12. Voll. 10. nitidissime: adiectis ad calcem var. lect. Ante iam partes quasdam ediderat eadem forma. Nec aliud, quam vel P. Manutii vel R. Stephani exemplum expressit *Carolus Stephanus*, qui Paris. 1554. fol. Voll. 4. Ciceronis opera splendidissime edidit, tamen textum illum saepe mutavit, sed fere in deterius. In fine additae sunt var. lectt. Non diu post Lugduni an. 1562. edidit opera Ciceronis *Io. Bulierius* minutissimis literis 12. Voll. 10. Nullum certum textum secutus est, maxime tamen Aldinum. Var. lectt. notantur in margine, sed paucae. Scholia sunt fere ad analysin rhetoricam pertinentia, quaedam etiam ad verba pertinentia, fere ex Erasmi et Melanthonis notis.

Novi exempli textus factus est a *Dionys. Lambino* 1566. f. Voll. 4. Videtur basin fecisse textum P. Manutii vel Rob. Stephani, sed eum innumeris locis mutavit e MSS. edd. superioribus et vero etiam iudicio suo; quo nomine accusatur a multis inprimis Grutero, audaciae. Sed tamen nemo videtur maiori ingenio rem tractasse, et acriori sensu Ciceronianae inprimis elegantiae, deditque saepe certe, quod intelligeretur. Itaque *Facciolatus* eius textum ceteris praeferebat, et *Bentleius* eum acutius saepe ceteris vidisse indicabat. Ceterum accusationes audaciae fecere, ut, cum post mortem eius ea editio repeteretur 1573. in fol. et post 8. textus superior aliquis restitutus, et Lambinianae lectiones in marginem sint eiectae. Addidit vero *Lambinus* notas, quibus vel rationem lectionis suae reddit, vel coniecturas proponit, vel res et verba explicat. Ceterum Lambinianae textum repetiere *Gothofredus*,

fredus, Gryphii et Aldi officina, repetitis etiam notulis Lambini.

Sequitur editio *Aldi Nepotis* Venetiis facta an. 1578. seqq. in fol. Voll. 10. Textus fere est P. Manutii, sed vitiis operarum innumeris foedatus. Multos MSS. codices se contulisse ait, sed non quibus in libris. Bonum praecipuum huius editionis est in Comm. *P. Manutii* in Orationes, Epistolas et de Officiis libros, quos inde sumsit Graevius. Aldi ipsius notae sunt fere ex aliis compilatae, sed nec sunt in omnes libros, nec plerisque in libris multae. Passim tamen lectiones MSS. exhibet, quae consuli possunt.

Moliri deinde novam editionem coepit *Ioan. Guilielmius*, contuleratque cum editis multos libros scriptos in Francia, Belgio, Germania, praesertim Palatina bibliotheca. Sed mortuo ante, quam absolvere opus posset, Excerpta eius venere in manus *Iani Gruteri*, qui novum textum inde et multis *aliis* scriptis editisque fecit, qui editus est Hamburgi a. 1618. f. Voll. 4. additis notis in omnes libros, quae sunt criticae omnes. Repetiere Londinenses a. 1681. Basis est textus Victorii, cuius rationem in re critica plane amplexus erat, ita addictus libris scriptis, et edd. ut etiam manifesta menda servaret. In edd. primis conferendis tamen parum diligens et accuratus fuit. itaque saepe non vidit, quod in iis erat. Vsus est etiam in conferendo aliorum opera v. praef. Ceterum, propter famam viri, textus eius pro optimo habitus et inde saepe repetitus est, ut ab *Elzeviriis* a. 1642. *Blavio* 1658. *Schrevelio* 1661. et aliis, inpr. *Iac. Gronovio* Lugd. Bat. 1692. in 4. et 8. Vol. 11. etiam cum vitiis typographicis, qui et notas eius repetiit, quibusdam additis suis. Adiecit etiam *Asconii* reliquias, multis locis emendatiores. Haec igitur editio Gronovii pro optima habita et repetita est primum ab *Is. Verburgio*, qui Ciceronis opera edidit Amst. 1724. triplici genere formae, additis etiam variorum vel integris ut *Victorii*, *Camerarii*, *Vrsini*, vel excerptis notis et suis,

suis, non multum ille laudis consecutus. Repetitus Gruteri s. Gronovii textus est etiam Lipsiae 1738. et Halis 1758. quinque Voll. (a me *I. A. Ernesti*) cum varietate lectionis Graevianae, et *Clave Ciceroniana*, h. e. Indicibus Legum, Geographico, historico et verborum philologico. Criticis.

Alia et nova ratione usus est *Iosephus Olivetus* qui Ciceronis opera edidit Paris. 1739. sqq. 4. Voll. novem, quae editio repetita est Genevae a. 1750. totidem volum. sed ita, ut notae, quae in illa ad calcem erant, sub textum subiicerentur. Contentus ille exemplis editis, tamen ad nullam se totum adstrinxit, sed mixturam e Victoriano, Manutiano, Lambiniano et Gruteriano fecit, hac lege, ut primum nihil daret, quod in nulla earum esset: ubi congruerent, nunquam discederet: ubi dissentirent, sequeretur, quod sibi maxime placeret, reliquarum varietate notata; praeterquam in Epistolis. Nam libelli variorum lectionum casu perierant, nec laborem repetere poterat exclusus tempore. Additae sunt notae delectae e Commentariis maxime in Ciceronem, sub nomine auctoris cuiusque, qui rem primus dixerat, item Indices Legum, personarum et latinitatis, e Clave Ernestina maxime ductos. v. de hac ed. Act. Erud. 1745.

Nuper nova editio facta est Paris. 1768. 12. Voll. 14. per *Nic. Alemannum* (*Lalemand.*) nitidissimis literis et pulcerrimis chartis, nec contemnendis notulis ex utroque genere.

Sed adiiciemus etiam ceteras, ad usum Criticum non memorabilis editiones, quae pariter ex aliqua superiorum ductae sunt, secundum quod quisque earum pretium ipse statuere potest, qui forte possidet. Tales sunt Lugd. 1588. f. Genev. 1594. 8. ibid. 1584. f. cum Lamb. et Vrsini notis. *Dionysii Gothofredi* cum eius notis. Genev. 1596. 4. et 1608. 8. 1624. 8. Francof. ad Manutianam et Brutinam facta 1609. 8. Voll. 10. Wecheliana Hanov. 1609. 8. Voll. 10. Genev. 1616. prodiere opera Cic. in fol. Vol. IV. et 1633. 4. cum notis Lamb. et Gothofr. In margine sunt paginae

paginae Aldinae et sectiones Scoti, quae ratio utiliter inventa est iis, qui loca Nizolii quaerunt, aut alia apud alios scriptores seculi XVI. qui fere secundum Aldinae primae paginas loca Ciceronis commemorant. Itaque in ed. Lipsiensi sunt servatae. Sectiones Scoti etiam in Gruteriana et Gronoviana ed. servatae sunt.

Praeter *Guilielmium* et alii habuisse in animo dicuntur novas editiones Operum Cic. et notas in ea. *Suffridus Petri* paratas se habere castigationes in totum Ciceronem scribit in Epist. a Gabbema editis p. 247. 49. ad eumque *Carolus Langius* misit Tomum secundum Operum Cic. cuius multae partes erant cum MSS. collatae, promisitque et alterum similem. ibid. p. 246. 254. Similiter Guilielmii excerptis incitatus *Io. Wowerius*, animum suscepit edendorum Ciceronis operum, ut constat ex Epist. P. Scriverii in Sylloge Ant. Matthaei pag. 405. Sed bene est, quod fortuna magnum compilatorem ab eo consilio avertit. Idem egisse dicuntur *Io. Hudsonus* et *Thomas Hearnius*, nihil melius daturi, quam in Livio dedere.

Voluit *I. G. Graevius* totum corpus librorum Ciceronianorum edere, initio facto ab Oratonibus; sed mortuus est ante, quam absolvisset. De partibus operis absolutis supra suis locis dictum.

Fulvii Vrsini in omnia opera Ciceronis notae lucem viderunt Antw. 1581. 8. cuius viri doctissimi et antiquis Codicibus MSS. usi ingenio et industria multis locis lux egregia affertur, loca multa male prius habita, quae aliorum oculos facile fugissent, integritati suae restituuntur. *Henr. Stephani* in Ciceronis quam plurimos locos castigationes partim ex ingenio, partim ex vetustissimo et emendatiss. exemplari MS. an. 1557. 8. *Andreae Schotti* nodorum Ciceronis enodatorum libri IV. una cum eius observatt. humanarum libris V. editi Hanov. 1615. 4. Huc pertinet etiam *Seb. Corradi Quaestura*, de qua supra dictum est.

X. Sunt

X. Sunt et adhuc ſcripta quaedam commemoranda virorum eruditorum, quibus vel Tullio lux affertur, vel eius ſcripta in uſum vertenda proponuntur ac commendantur. Vitae ſcriptores iam ſupra §. 1. et eos, qui de iocis Ciceronis commentati ſunt §. 3. retuli. Ciceronem cum Demoſthene olim contulerat Caecilius Siculus, de quo Svidas. Idem poſtea fecit Plutarchus et noſtra aetate libello Gallice ſcripto Nic. Rapinus e Soc. Ieſu, ut Peraultum et alios praeteream. Sed Plutarchus vitam, non eloquentiam utriuſque inter ſe contulit, ingenue profeſſus ſe ad hoc non ſatis callere latine, exprobrata etiam Caecilio temeritate, quod rem ſupra vires in ſeſe ſuſcepiſſet. Ex idonei autem iudicis Quintiliani ſententia X. 1. Inſt. *M. Tullius cum ſe totum ad imitationem Graecorum contuliſſet, effinxit vim Demoſthenis, copiam Platonis, iucunditatem Iſocratis -- Hunc igitur ſpectemus, hoc propoſitum nobis ſit exemplum. Ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit.* Imago Ciceronis in plurimis editionibus obvia, occurrit etiam apud Fulvium Vrſinum in imaginibus, et e Rubenio apud Clariſſ. Graevium ad Flori IV. 1. et in Iacobi Gronovii theſauro Antiquitatt. Graecar. T. III. n. 42.

Lexicon Ciceronianum, ne de Caroli Stephani indice et Antonii Schori phraſibus dicam, magno ſtudio elaboravit *Marius Nizolius*, cuius theſaurum a. 1535. editum Aldus nepos repetiit a. 1570, locupletarunt Baſilius Zanchius, Caelius Secundus Curio, Marcellus Squarcialupus et Iacobus Cellarius Auguſtanus, Francofurt. 1613. fol. in qua editione notatae etiam ſunt ſi quae inemendata lectione deceptus Nizolius Cicerone indigna receperat, qualia reprehendit H. Stephanus in ſuo Pſeudo-Cicerone a. 1567. 8. et in Nizoliodidaſcalo a. 1578. 8. Splendidius ſed non emendatus opus recuſum eſt Patavii ſeculo noſtro. Lexicon Ciceronianum Graeco latinum debemus eidem *H. Stephano*, cui ſubiunxit locos Graecorum ſcriptorum cum Ciceronis verſione, e quibus illud ipſum di-

ctiona-

ctionarium suum laudabili industria et ad interpretandos Graecos scriptores haud inutili concinnavit a. 1557. 8. De hoc Lexico eiusque usu egregio ad interpretandos latine scriptores Graecos videndus Rich. Simon in Bibl. Sel. T. I. c. 7. Vtile quoque institutum est viri docti, qui sub *Plexiaci* nomine Hagae Com. 1716. 4. vulgavit Lexicon Philosophicum, in duas tributum partes, quarum prior materiam Philosophicam ex Cicerone, servato rerum ordine, exhibet; posterior vocabula scholastica et barbara ordine literarum exposita puris Latinis ac Ciceronianis permutat. *Christofori Vladeracci* Ducissylvii polyonyma Ciceroniana sub Gallicis vocabulis literarum ordine positis digesta sunt Antverp. et Rothomagi 1620. 12. *Synonyma* e Cicerone congessit *Stephanus Vbelius*, qui integras ῥήσεις e Cicerone congessit, subiecto ad calcem indice; *Io. Serranus* Pastor Rosfeldensis a. 1551. et Witeb. 1587. 8. et *Stephanus Fliscus*, qui sub certis titulis illa digessit. Confer Morhofii librum de Dilatatione p. 10. De Synonymis ad Veturium sub Ciceronis nomine dixi supra 149. Non ex solo Cicerone, sed et ex aliis probatis Latinis Scriptoribus collecta *M. Sebastiani Figuli* Grandaviensis Rhenani Epithetorum Oratoriorum farrago, Francof. 1588. 8. et alii ad phraseologiam in usum tironum destinati libelli hic praetermittuntur, nec eos quisquam hodie scire vult.

De imitatione Ciceronis, praeter Christoph. Mylaeum, Henricum Farnesium, et Io. Sturmium, Ioach. Camerarius ad primum Tusculanarum librum, Io. Sambucus tribus dialogis de imitatione a Cicerone petenda, A. Schottus in libris quaestionum Tullianarum, Caspar item Sagittarius et multi alii. Nimis superstitiosos Tullii imitatores *l*) falso perstrinxit praeter Muretum XV. 1. Var. lect.

magnus

k) Erasmus (ob illud scriptum male acceptus a multis et maledicis versiculis Hipponacteisque lapidatus Epigrammatis) in Epistola ad Germanum Buxium anno 1528. *quid aliud agit ille libellus, quam ut superstitiosam, anxiam, ineptam et imperfectam Ciceronis aemulationem traducat*

magnus Erasmus in Ciceroniano, adversus quem scripsere Iulius Caesar Scaliger, sed quem consilii sui deinde puduit, et Stephanus Doletus p. 265. T. I. commentar. Latinae linguae, et dialogo adversus Erasmum. Vide, si placet, clarissimi Baelii Dictionarium in Erasmo et Doleto. Io. Brantii Antwerpiani ICti *elogia Ciceroniana* Romanorum domi militiaeque illustrium lucem viderunt Antwerp. 1612. 4. Post Brantium *Elogia* e Cicerone a se collecta exhibet Iohannes Papyrius Massonus parte priore elogiorum p. 3-92. Paris. 1638. 8. Haec, utili instituto, separatim in usum scholae Ilfeldensis recudi curavit Georg. Nicolaus Kriegk Northusae 1711. 8.

Antonii Buscheri non contemnenda *Ethica Ciceroniana* prodiit Hamburg. 1610. 8. Io. Thomae Freigii *Ciceronianus*, in decem libros distributus, docet *locos communes* e scriptis Tullii digerere, subiuncto *Desiderii Iacotii* libello *de Philosophorum doctrina* ex eodem Cicerone, qui a Iacobo Gronovio V. C. insertus est tomo decimo thesauri Antiquitatum Graecarum. Vtinam ibidem recudi fecisset etiam praeclarum opus *Adami Bursii*, Poloni, raro certe obvium, quod inscribitur *Ciceronis Dialectica*, quam ex Stoicorum maxime sententia in scriptis disperse reliquit, Samoscii 1604. 4. Iasonis Denores Nobilis Cyprii in universam Ciceronis *Philosophiam de vita et moribus* brevis et distincta institutio, post Patavinam editionem praelo data est Ambergae a. 1597. 12. et novissime Lips. 1721. 8. cum notis Davidis Richteri, curante Ioachimo Meiero. *Io. Matthiae Gesneri* Chrestomathia Ciceroniana, sive loca ex Tullii scriptis selecta cum notis et vita Ciceronis, liber utilissimus ad imbuendos tirones sensu Ciceronianae eloquentiae, et praeparandos ad lectionem Ciceronis, primum editus est Vinariae 1717. 8. post saepe repetitus.

Anto-

traducat, atque ad veram eius autoris imitationem provocet? Vide ibi plura lib. XXII. Epist. 28. Iacobi Henrici Marcardi Epistolam ad Io. Martinum Ludovicum Evers, de eo quod nimium est circa Ciceronis lectionem et imitationem. Cellis 1731. 4.

Antonii Possevini S. I. Cicero collatus cum Ethnicis et sacris scriptoribus Patav. apud Paulum Meretum 1593. 4. tractat de ratione scribendi Epistolas et de arte dicendi etiam pro concione Ecclesiastica. *Benedicti Averanii* dissertationes XCII. lectu dignissimae, in varia Ciceronis loca, Florentiae inter alias eius viri docti lucubrationes 1716. fol. de quibus supra iam dictum.

Ciceroni, veluti Homero, non defuere etiam sui Zoili. nam et dictionem improbatam a Calvo et Bruto refert auctor dialogi de caussis corruptae eloquentiae. Infestissimus famae Ciceronis, quoad vixit, permansit Asinius Pollio, teste Seneca Suasoria sexta. Huius filii, Galli Asinii *libros de comparatione Patris et Ciceronis*, quibus patri de Cicerone palmam dare non dubitavit, memorat Plinius lib. VII. Epist. 4. *Ciceromastiga* Gellius XVII. 1. Ciceronis defensionem adversus Asinii Galli libros satis eruditam, compositam ab Imperatore Claudio, Suetonius cap. 41. Cestium Rhetorem Ciceroni infestum, ut quem negaret literas scisse, tradit Seneca suasoria ultima. De Didymo Grammatico Graeco Ciceromastige merentur adscribi verba Ammiani Marcellini XII. ult. inter plurimos enim Alexandrinos scriptores multorum in litteris nobilium studiorum, cum dixisset Chalcenterum emicuisse Didymum, multiplicis scientiae scriptis memorabilem, *qui in illis sex libris*, inquit, *ubi nonnunquam imperfecte Tullium reprehendit, sillographos imitatus scriptores maledicos, iudicio doctarum aurium incusatur, ut immania frementem leonem putidulis vocibus canis catulus circumlatrans.* Ciceroni etiam, perinde ut Senecae, iniquior in Historia sua Romana Graecus scriptor Dio Cassius. Ad *Apri* censuram et sinistrum de Cicerone iudicium *l*) quod refert auctor dialogi de caussis corruptae eloquentiae cap. 18. responsionem, si placet, vide in Memoriis litera-

l) Gallice in Memoriis Trevoltinis a. 1717. p. 1899. ex Anonymi dialogo, in quo inter se conferuntur Cicero et Seneca, Ciceronem tuente Mureto, Senecam Quevedo.

literariis Trevoltinis a. 1718. p. 552. et in Ephemeridibus Parif. 1718. menfe Novembr. p. 559. Andreae Iulii Dornmeieri differtatio de vitiofo Ciceronis imitatore, una cum alterius fcriptoris, Hortenfii, ut volunt, Landi *m*), dialogo Lipfiae pridem vulgato a. 1534. de Cicerone relegato et revocato, quo accufatio eius et Apologia fubfrigida continetur, fubiecta eft Io. Vorftii libro poftumo de Latinitate felecta et vulgo neglecta. Berolin. 1718. 8. Sed a Lando videtur auctorem dialogi diftinguere Io. Angelus Odonus *n*) in Epiftola ad Gilbertum Cognatum data a. 1535. (in Cognati operibus Bafil. 1562. fol. editis Tom. 1. p. 313.) cum Orationes nefcio cuius Galli Erafmo detrahentes memoraffet, *audies hic*, inquit, *alterum aeque Ciceronianum, hoc eft pietatis, Graecae linguae ac difciplinarum contemptorem: qui edidit dialogos revocati ac relegati Ciceronis: ipfe vere relegatus, at non revocatus in Italiam, in qua tota, nedum in patria fua, metuit agnofci: ideoque fibi confcius, nomen in frontifpicio fuppreffit. Sed nobis Bononiae intus et in cute cognitus eft. Lugduni vero hoc nobis repetebat apophthegma: alii alios legunt, mihi folus Chriftus et Tullius placet, Chriftus et Tullius folus fatis eft, fed interim Chriftum nec in manibus habebat, nec in libris: an in corde haberet, DEus fcit. Hoc nos ex eius ore fcimus, illum cum in Galliam confugeret, neque vetus neque novum Teftamentum fecum tuliffe pro itineris ac miferiae folatio, fed familiares Epiftolas M. Tullii. Huius et fortunam tali vita dignam (quam tamen Dei revocantis plagam Phryx nondum fentit, utinam tandem fentiat) et levitatem et molliciem et mores minime religiofos paucis defcripturi fueramus, nifi eadem improbitate ac petulantia effe fciremus omnes,* quot-

m) Vide Vinc. Placcii Theatrum Anonymorum num. 1440. De aliis huius Landi fcriptis Italice editis Doninus in Bibl. et Gaddius de fcriptoribus non Ecclef. T. 1. p. 273.

n) Dubitat hinc de Lando auctore dialogi non fine caufa fcriptor novellarum literariarum Lipfienfium (gelehrte Zeitungen) a. 1718. p. 812.

quotquot huiusmodi propius nosse contigit ex istis simiis Ciceronis. Hic igitur, nos deduxit ad inauspicatam avem. (Auctorem Gallum Orationum, quibus Erasmus perstringitur.) *Ante cubiculum strepitus ac pedor puerorum, alphabetaria opinor discentium. Hinc, ut scis, eiecti victum tyranni quaeritare solent. Intus non memini, quid librorum esset exuli. Inter loquendum protulit locum ex orationibus suis: ubi de Erasmo nescio quid agebat, non admodum acerbe, ut visum est. Atque hunc recitari voluit ab Hortensio Lando, ne videlicet pronunciatione Gallica offenderemur. Nec ulla mentio de rabioso dialogo, quem esset editurus. Tantum obnixe rogabat Landum, ut in suas orationes praefaretur, easque cuicunque libitum esset, dicaret: id quod facere Landus renuit. Nam neque Gryphius videbatur editionem recepturus: quippe qui nobiscum etiam conquerebatur, importunissime se, a nescio quibus, ut imprimeret, urgeri. Mox nobis exeuntibus, obtulit Caruaiali et Scaligeri virulentias, quas nunquam in Italia videramus. His nimirum libellis exilium Tolosanum consolatur miser, ac lassum conviciis animum redaccendit.* Iul. Caesaris Scaligeri Orationem pro Cicerone contra Erasmum etiam cum notis suis edidit Melchior Adamus. Iac. Gorscii Poloni dialecticam a. 1653. vulgatam eo nomine laudat Ianus Vincentius Gravina in Orationibus p. 26. quod et rerum delectum haberet, et vocabulorum, quae de Tullianis fontibus hausisset, una cum exemplis ad singulas Dialecticae regulas accommodatis. S. Hieronymus Epistola ad Nepotianum hoc probat dictum de Cicerone. *Demosthenes tibi praeripuit, ne esses primus orator: tu illi, ne solus.* Tullium cum Demosthene contulit praeter laudatos a me supra p. 156. Franciscus Maucroisius praef. ad Demosthenis et Ciceronis quaedam Gallice a se versa Paris. 1685. nec non illustris Fenelonius qui a. 1712. Dialogos mortuorum Gallica lingua edidit, in quibus ita Demosthenem inducit loquentem ad Ciceronem: *vous*

faisiez

faisiez dire, qu'il parle bien? et moi, je faisois dire, allez, marchons contre Philippe. On vous louoit: on étoit trop hors de soi pour me louer. Vide sis etiam Andream Schottum in vitis comparatis Aristotelis ac Demosthenis p. 413. sq. De salute Ciceronis Probus apud Lupum Ferrariensem Epistola XX. audacius quam par est adstruit *Ciceronem et Virgilium caeterosque opinione eius probatissimos viros in electorum admittere collegium, ne frustra Dominus sanguinem fuderit et in inferno otium triverit, si verum sit illud Propheticum: Ero mors tua o mors, morsus tuus ero o inferne.* Erasmus item praef. in libr. Tusculan. quaest. ad Ioannem Vlattenum: *Quid aliis accidat, nescio: me legentem sic afficere solet M. Tullius, praesertim ubi de bene vivendo disserit, ut dubitare non possim, quin illud pectus, unde ista prodierunt, aliqua divinitas occuparit. Atque hoc meum iudicium mihi magis blanditur, quoties animo reputo quam immensa sit quamque inaestimabilis aeterni Numinis benignitas, quam quidam ex ingenio opinor suo nimis in angustum contrahere conantur. Vbi nunc agat anima Ciceronis, fortasse non est humani iudicii pronunciare. Me certe non admodum adversum habituri sint in ferendis calculis, qui sperant apud superos illum quietam uitam agere. Nulli dubium esse potest quin crediderit aliquod esse Numen, quo nihil esse potest neque maius, neque melius. Porro quid senserit de animorum immortalitate, quid de diversa sorte praemiisque vitae futurae, tum quanta fuerit sincerae conscientiae fiducia, si non satis declarant tot eius libri, certe vel illa una Epistola satis arguit, quae ad Octavium o) scribit iam ut apparet destinata morte. Si Iudaeis ante proditum Evangelium sufficiebat ad salutem rudis quaedam et confusa de rebus divinis credulitas, quid vetat quo minus Ethnico, cui ne Mosis quidem lex erat cognita, rudior etiam cognitio profuerit ad salutem, prae-*

o) Haec est quae incipit: *Si per tuas legiones mihi licitum fuisset,* Ciceroni supposita, de qua dixi supra p. 148.

praesertim quum vita fuerit integra, nec integra solum, verum etiam sancta? Perpauci Iudaei ante lucem exortam Evangelii noverant exacte Filium ac Spiritum sanctum: multi non credebant resurrectionem corporum, nec tamen ideo de illorum salute desperatum est a maioribus. Quid si Ethnicus tantum hoc credat, DEum, quem persuasum habet esse omnipotentem, sapientissimum, et optimum, aliqua ratione subventurum bonis, et ulturum malos, quae ipsi videatur quam maxime accommoda? Quod si quis obiiciat vitae maculas, equidem arbitror nec Iob, nec Melchisedech omnibus omnino vitiis caruisse per omnem vitam. Sed excusandum non est, quod immolavit idolis. Id fortasse fecit, sed non ex suo iudicio, verum ex consuetudine publica: quae quoniam legibus etiam erat confirmata, non poterat convelli. Nam esse conficta quae de diis ferebantur, vel ex Ennii sacra historia poterat cognoscere. Sed oportebat vel vitae iactura populi stultitiam coarguere. Tantum roboris nec ipsis aderat Apostolis, priusquam hauserant caelestem spiritum, ut impudens sit hoc exigere a M. Tullio. Verum hac de re liberum esto suum cuique iudicium. Minus etiam audiendus Latomus, qui scripsit, non fuisse aliam fidem in Abrahamo, quam in Xenophonte et Cicerone, ut refert Vossius Hist. Pelagian. III. 3. pag. 383.

Haec de Cicerone dicta sufficiant, cuius opera quotannis integra aiunt perlegisse Ioannem Calvinum *p*) quemque ad omnium ornandi sermonis virtutum exempla, vel solum sufficere iudicavit Quintilianus VIII. 3. p. 702.

XI. IN-

p) Io. Nic. Funccius de Latinae linguae facultate ex lectione classicorum scriptorum comparanda p. 9.

XI. INDICVLVS SCRIPTORVM,

Quorum EPISTOLAE cum Epiſtolis Ciceronis ad familiares leguntur,

nec non eorum ad quos Cicero ſcripſit.

ad Op-



CAPVT IX.

DE C. SALLVSTIO CRISPO.

I. *Sallustii aetas.* II. *Scripta.* III. *Interpretes antiqui deperditi.* IV. *Editiones.*

I. C. *Sallustius Crispus a*) natus Kal. Octobr. A. V. C. 668. secundum fastos Idat. Amiterni, oppido Sabinorum, ab Appio Censore A. C. 704. senatu eiectus *b*) a Caesare Dictatore Senatoriae dignitati restitutus *c*) evectusque ad praeturam, et praefectus (sive potius

a) Alius Sallustius Crispus nostri sororis filius inventor aeris, quod ab eo Sallustianum est appellatum. Plin. XXXIV. 2. Ad hunc Horatius libro II. Od. 2. Vide et Lipsium ad 1. Taciti Annal. nu. 35. Fuit praeterea Crispus quidam Sallustius, qui Apuleii Milesiarum libros et Apologeticum recensuit, ut notatum est in antiquo Codice Florentino. De aliis Sallustiis vide si placet Suidam et Onomasticon Glandorpii. A Sallustio ludimagistro additam litteram K legas in Vincentii Bellovacensis speculo Doctrinali lib. 2. capite 8. Inter recentiores Medicos clarus est *Salustius Salvianus*, cuius libri III. Variarum Lectionum de re medica prodierunt Romae a. 1588. 8. ut alia eius scripta praeteream.

b) Dio lib. XL. p. 150.

c) Adi Hanckium V. C. de Rom. rerum scriptoribus lib. 1. c. VI. quod est de Sallustii vita, et Io. Nic.

potius *d*) expilator) Numidiae, Iuba victo *e*) et occiso. vitae ipse profligatae *f*), quantumvis in scriptis veritatis studiosus et alienorum vitiorum, Catonis ac Thucydidis *g*) exemplo, acerbissimus insectator, obiit quadriennio ante pugnam Actiacam, quae commissa est anno urbis 723. ante Ch. 31. Numum ornatum Sallustii capite imberbi edidit primum Fulvius Vrsinus cum inscriptione *Sallustius Autor*. Annotat porro Io. Faber, numum illum fuisse contorniatum, *autoris* vero vocabulum aliter accipi quam ab ipso Sallustio, qui cap. 3. Catilinar. auctorem rerum a scriptore distinguit. Inscriptiones etiam antiquiores et aetati Sallustii vicinae apud eundem Vrsinum p. 90. sicut et Quintiliani et Marciani Capellae Codices, et Horatii nomen illud non cum simplici, *h*) sed geminata litera LL. efferunt: unde concludit Faber, illum numum diu post Sallustii aetatem cusum esse, et fortasse tum, quum aliorum quoque illustrium virorum numi eadem forma sunt percussi. Constat autem eiuscemodi numos, quibus memoria veterum clarorum virorum conservaretur, coepisse cudi post Constantinum Magnum, et maxime sub Honorio. Dolebat Gisbertus Cuperus, non proditam ab Vrsino partem numi aversam, nisi nudam fortasse reperit. Etiam Carolus Patinus edidit numum, in quo circa caput viri, sed quod male barbatum pro nudo exhibet, legitur *Salustius Autor*. Illum vero neutiquam referendum putat ad scriptorem belli Iugurthini, sed pertinere ad Sallu-

Nic. Funccium de aetate virili Latinae linguae parte 2. p. 181. sq. Sallustii effigiem e numo Reginae Christinae habes in tomo tertio thesauri Antiquitatum Graecarum Gronoviani, littera *ddd*.

d) Dio Cassius lib. XLIII. p. 217.

e) Appian. 2. Civilium bellorum p. 490.

f) Scholiastes vetus Horatii ad verba lib. 1. Sat. 2. X. 41. ille flagellis. *Hoc de C. Crispo Sallustio dicitur, qui deprehensus ab Annio Milone in adulterio cum uxore Fausta Sullae filia, flagellis caesus esse dicitur, ut refert Asconius in eius* (Milonis) *vita*. adde Gellium XVII. 18. Suetonium de Grammaticis c. 15. et Lactantium II. 12.

g) Thucydidis aemulum vocat Velleius II. 36.

h) In Plutarchi, Dionis, Stephani Byz. Svidae et aliorum Graecorum libris Σαλλούστιος.

Sallustium, qui cum Leontio Consul fuit anno V. C. 1096. Ch. 344. imperantibus Constantino iuniore, Constantio et Constante, qui consul certe a Zabarella Sallustius Autor cognominatur. In aversa parte tres viri togati, e quibus medius manu tenet aedificium, sive, ut Sigeb. Haverkampius (qui eundem numum offert in libro de numis contorniatis p. 149.) hydraulicum organon, ad oram adscriptis verbis: PETRONI PLACEAS. Quam Vrsinus quoque adiunxit numi faciem tres figurae decorant sed foeminarum, et verba MONE... ...GEAS. Apud Paulum vero Pedrusium T. V. p. 36. in aversa parte conspicitur figura hominis sedentis, viri non foeminae: unde nec Numidiam, nec cum Pedrusio p. 89. Historiam ab illa denotari crediderim. Similis plane figura in numo Alexandri Severi, id. p. 286. ubi iterum Historiam Pedrusius vult intelligi parum verisimiliter. Fuit et Crispus Sallustius iunior Rhetor, de quo intelligendum, quod in priscis Taciti et Apuleii codicibus Florentinis aiunt reperiri: *Ego Crispus Sallustius legi et emendavi Romae foelix, Olybrio et Probino COSS. in foro Martis controversias declamans Oratori Endelechio.* Non plane intelligo, quid haec verba sibi velint, nec quo tempore Olybrius cum Probino consulatum gesserit; licet Olybrium Consulem fuisse constet a. C. 526. ante Mavortium, quem in emendando Horatio Felix *i*) Orator urbis Romae adiuvit. Alii Q. Sallustius Hermes et Q. Sallustius Felix in veteri epitaphio apud Montfauconum Antiquitatis explicatae T. 5. supplementi p. 65. tab. XXVIII. et XXIX. De Sallustio vetere Historico conferre licebit Dan. Guil. Molleri dissertationem editam Altdorfii 1684. et orationem Christophori Coleri, Norimb. 1598. 8. Vitam scriptam a Io. Clerico et in Clariss. Wassii editione obviam servavit in Sallustio suo Caietanus Vulpius: etiam Thyvorius translatam Gallicae suae adiunxit versioni, sed additis animadversionibus Sallustii famam defendentibus. Citatur Sallustius a Graeco scriptore Io. Antiocheno in excerptis Peiresciа-

i) Vide Petri Relandi fastos Consulares p. 696.

rescianis p. 793. Καὶ Σαλλούστιος ὁ Ῥωμαῖος συγγραφεὺς ἔφη καλοῖς αὐτὸν (τὸν Σύλλαν) ἐγχειρήμασι κάκιστον ἐπενηνοχέναι τὸ τέλος. Codicem MStum Sallustii repertum in coenobio Benedictinorum Martisburgensi Io. Rivius utendum se accepisse testatus est a Georgio Fabricio. MSti sui Codicis, qui Reinesii olim fuit, meminit Conradus Samuel Schurzfleischius praefat. ad Orthographiam latinam. Quatuor Codices MSS. Sallustii Tegnagelius in Bibl. Caesarea: duodecim Mediceos laudat Norisius in Cenotaphiis Pisanis pag. 463. ternos etiam nuper habebat Bibliotheca Rostgaardiana p. 464. Habeo et ipse binos Sallustii Codices non contemnendos, scriptos in membrana, atque in his unum antiquissimum. Ambo nactus sum e Bibliotheca V. C. Marquardi Gudii. Ex eadem ad me pervenerunt quoque k) lectiones duorum Codicum membranaceorum Cathedralis Ecclesiae Remensis, quas enotavit idem vir doctissimus, testatus priorem forma oblongiore, ut quartam paullo excederet scriptum Anno M. C. sexagesimo octavo, indictione prima. Librarius nomen suum prodidit his verbis: *Omnes qui lecturi estis, orate pro Matthaeum scriptorem, ut DEum semper habeat propitiatorem.* Alter membranaceus in quarto, annorum amplius septingentorum. Omnino nullius alius scriptoris veteris tot Codices scripti extant, quam Sallustii et auctoris librorum ad Herennium: unde patet, eos libros a multis lectos esse, ut opinor, propter brevitatem et acumen orationis et πάθος: sed ea frequentia exemplarium peperit multitudinem mendarum, glossarum, interpolationum, quae et in edd. primis reperiuntur. Laudat Quintilianus X. 1. p. 886. *Sallustianam brevitatem*, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas possit esse perfectius: et p. 914. *immortalem Sallustii velocitatem*, quam diversis virtutibus Livius sit assecutus: tamen Con-

k) Tres hosce codices a. 1722. libenter misi ad V. C. Gottlieb Cortium, qui illis usus est ad praeclaram suam editionem Sallustii adornandam.

Conciones a Crispo frequentiores longioresque, atque, ut ipsi quidem videtur, insipidiores Historiae inspersas moleste fert V. C. Nicolaus Hieronymus Gundlingius praefat. ad Nic. Burgundi Hist. Belgicam. Fuit hoc ab aliis etiam reprehensum, sicut notum illud Senecae Patris praef. libri 3. controvers. *Ciceronem eloquentia sua in carminibus suis destituit: Orationes Salustii, in honorem historiarum leguntur.* Sed notum itidem est, quid excusando illi mori eloquentiam in historia ostentandi, lectoremque delectandi vel morandi ab aliis responsum fuerit. Sane licebit properanti tetrico et fastidioso lectori illas orationes veluti scopulos praeternavigare, dum interim alii, quibus lectu dignae et insignium documentorum plenae videntur, ex iisdem voluptatem capere et fructum permiserint.

II. Exstant Thucydidea gravitate et acuta brevitate stili, Catonianaeque *l*) colore orationis ab *nobilissimo* hoc *historico m*) descripta

1. *Bellum Iugurthinum*, contra Iugurtham Numidiae Regem anno urbis 643. sq. gestum, de quo consulendi sunt viri docti ad Florum III. 1. ubi in editione Graeviana Iugurthae quoque imaginem in numo Sullae contemplari poteris. Ex libris Punicis *Hiempsalis* nonnulla de situ Africae tradit Sallustius belli Iugurthini c. XVII. sq. Orationem ex capite X. qua Micipsa filios ad pacem et concordiam hortatur, Severus Imp. morti vicinus commendavit Bassiano filio suo natu maiori, apud Spartianum c. XXI.

2. *Bellum Catilinarium* sive *de coniuratione Catilinae* liber, quae incidit in annnum Vrbis 691. quo Cicero Consul fuit. Hunc librum, quem separatim cum commentario suo edidit *Theodorus* I. F. *Graswinkelius* Lugd. Bat. 1642. 12. prius scripsisse Sallustius videtur, sed Iugur-

l) Vetus epigramma apud Quintilian. VIII. 3. *Et verba antiqui multum furate Catonis Crispe Iugurthinae conditor historiae.*

m) Augustinus Epistola V. ad Marcellin. c. 16. edit. novae T. 2. Epist. 138.

Iugurthinum, quia prius gestum est, praemittere placuit.

3. E *sex libris Historiarum n*) Populi Romani, a morte Sullae, quae contigit M. Lepido et Q. Catulo Coss. Anno Vrbis 676. usque ad Catilinae coniurationem, *fragmenta* collecta a *Lud. Carrione* in sua Sallustii editione, et ab *Antonio Riccobono* ad calcem libri de Historia, Venet. 1568. 8. et Basil. 1579. 8. p. 163–216. et ab Aldo Manutio Pauli f. Sed Carrionis praestat industria, quam fere editores Operum Sallustii sequuntur. Isaacus Vossius Epistola ad Nic. Heinsium data a. 1651. Holmiae d. 12. Iul. *Hoc ipso die, quo haec scribo, incidi in duo folia stupendae antiquitatis, quae postquam diligentius adspexi, statim conieci esse fragmenta deperditarum Sallustii historiarum. Continent illa bellum servile Crixi et Spartaci.* Ob hoc potissimum opus, Lucullo inscriptum, Sallustius Martiali XIV, 191. audit *Romana primus in historia.* Reperiuntur fragmenta et in ed. Cortii.

4. *Duae Orationes* (sive *Epistolae* potius) *de Rep. ordinanda* ad Caesarem missae, cum in Hispanias proficisceretur contra Petreium et Afranium, victo Cn. Pompeio. Has Sallustii esse Lipsius lib. I. Var. lect. c. 8. dubitavit, citra magnam causam negavit Carrio; ceterum tam de Sallustio meritus haud male, quam non bene Iulius Pomponius Laetus. Quicquid enim ferme adversus Codicum fidem in Sallustio immutatum est, id Pomponio huic tribui debere notat Vossius de Hist. Latinis lib. III. p. 615. Duas hasce Orationes separatim notis illustravit *Christophorus Colerus*, Ambergae 1599. 8. *Io. Loccenius* Lips. 1673. 8. et cum Oratione *in Ciceronem* Ciceronisque responsoria Gallice vertit Petrus Saliat, Paris. 1537. 8. apud Simonem Colineum. Hanc in Ciceronem, quam cum declamatione in Catilinam Porcio Latroni vel Vibio Crispo alii tribuunt (confer Petrum Victorium XV. 3. Var. Lect. et Io. Sichardum in Quintiliani V. 13. p. 474.) ad Sallustium

n) Male alii libros XI. vel IX. computant.

Iustium auctorem ex Quintiliani IV. 1. Institut. Orator. refert Paulus Colomesius. Eidem sine controversia tribuunt Sanctius et ad eius Minervam p. 387. Perizonius.

5. *Declamatio in Catilinam*, et alia *in Ciceronem*, Porcii Latronis potius, aut Vibii Crispi, vel alterius non insulsi Rhetoris antiqui, quam Sallustii, esse creditur a viris doctis. Vide Lipsium Oratione VII. Vossium lib. III. de vitiis sermonis cap. VI. In Codice MS. Vlmensi illustris Raymundi de Kraft exstat hoc titulo: *Sallustii in Ciceronem controversia et huius in illum.* Minime tam despicabilis, quam Carrioni videtur, qui ineptissimum Sophistam vocat, etsi tam antiquus non est, quam videri cupit iudice Barthio XXXIV. 16. Adversar. Veterem interpretem in Sallustii Catilinariam ex membranis Pauli Stephani, laudat Goldastus notis ad Eginhardum p. 175.

III. Sallustii Historias e veteribus Grammaticis illustraverant *Asper* et *Statilius Maximus*, laudati a Charisio. Historiarum pariter libros et bellorum, Iugurthini et Catilinarii (ita enim intelligo vocabulum βελλῶν) *Graece* interpretatus erat *Zenobius*, Svida teste. Sed haec omnia hodie desiderantur, perinde ut Asinii Pollionis liber, quo Sallustii scripta, ut nimis priscorum verborum affectatione oblita, reprehendit, teste Svetonio in Grammaticis cap. 20. *Iunium Maximum* Sallustii Historias in *compendium* misisse, innuit Statius IV. 4. silvarum. Graeca Sallustii versione usus Stephanus Byz. in ἄξιλις.

Princeps Sallustii editio est Veneta a. 1470. fol. per Vindelinum Spiram, cum hoc ad calcem tetrasticho, ex quo numerus impressorum voluminum cognoscitur:

Quadringenta dedit formata volumina Crispi
Nunc, lector, Venetis Spirea Vindelinus.
Et calamo libros audes spectare notatos
Aere magis quando littera ducta nitet.

Sallustius sine loco et anno, atque Parisiis in 4. sine anni nota, nec non Mediolani 1472. et Venetiis apud Io. de Colonia et Io. Menthen. 1474. fol. et Parisiis a. 1474. 4.

Valen-

Valentiae anno 1475. 4. excuſus, occurrit Romae in Bibl. Barberina. Vicentinam eiusdem anni 1475. evolvit Gruterus. Prodiit inde Mediolani 1476. ductu et impenſa Philippi Lavagnii. Porro opera et impenſa Philippi Petri, ſine loci notatione 1478. fol. et Venet. 1481. fol. per Baptiſtam de Tortis, et Mediolani 1482. fol. per Leonardum Pachel et Vdalricum Scinzenzeller. Editionibus Venetis a. 1470. 1478. et 1490. uſum ſe teſtatur V. C. Ioſephus Waſſe. Editio Salluſtii Romana 1490. 4. per Magiſtrum Eucharium Silber, alias Franck, cum commentario *Laur. Vallae* fuit Neapoli in Bibl, Ioſephi Valletae. Exſtat et Lipſienſis in fol. ſine anni nota. Habeo et Catilinarium Salluſtii ex perantiqua editione in 4. ſine loci ſignificatione et temporis. Hinc memoranda Veneta a. 1491. per Philippum de Pinciis, cum Vallae comment. nec non anni 1492. fol. per Theodorum de Ragazonibus cum eiuſdem Vallae et *Io. Chryſoſtomi Soldi* commentariis. Ex *Laeti* recognitione cum Laur. Vallae commentario in Catilinarium et Io. Chryſoſtomi Soldi in Iugurthinum Venet. 1493. et 1496. fol. per Philippum de Pinciis. Tho. Reineſius Epiſt. 50. ad Rupertum pag. 457. *Quicquid in Salluſtio contra veterum Codicum fidem immutatum eſt, id Laeti importunae diligentiae tribuunt docti.* At Io. Cuſpinianus in Epiſtola praemiſſa Floro a ſe emendato Viennae 1511. 4. diſerte teſtatur, typographos Criſpi Salluſtii opuſcula a Pomponio Laeto correcta ementitos. Confer Giornale de' letterati d'Italia, Tom. XXII. p. 391. ſq. Lugd. 1496. 4. per Ioh. de Wingle litteris Gothicis: Pariſ. 1496. fol. opera Andreae Bocard, impenſa Io. Alexandri et Ioannis Parvi Venetiis 1500. fol. per Ioannem de Cereto, cum commentario Laur. Vallae in Catilinarium, et Omniboni Leoniceni, et Io. Chryſoſtomi Soldi in Iugurthinum. Cum familiari interpretatione ſive notis *Badii*, Pariſ. 1504. fol. Lugd. 1506. fol. parvo 1508. 4. 1514. 4. Florentiae apud Philippum Iuntam 1513. 8. Editiones

tiones *Aldinae* a. 1509. et 1521. 8. Antwerpienses a. 1522. 4. 1543. 8. Argentoratensis a. 1524. 4. Venetiis 1521. per Bernardum Viani Vercellensem. Cum Melanthonis et Iac. Bononiensis notis, Colon. 1536. 8. Parisiis apud Simonem Colineum eod. a. Lugd. apud Sebast. Gryphium 1538. 8. 1540. 8. 1549. 8. 1551. 1556. 12. Henrici Loriti Glareani Basil. 1538. 8. Lugd. 1545. 12. Cum Io. Rivii castigationibus, Lipsiae 1539. 8. 1542. 8. cum variis lect. edente *Rob. Stephano*, Parisiis 1544. 8. Venetiis 1547. 1565. fol. cum commentar. Vallae, Marliani, Rivii, Glareani, Sylvii, Crucii et Badii. Editio Romana a. 1550. fol. In Catilinam Sallustianum *Barthol. Zanchii* commentarius Venet. 1554. 8. Sallustius Venetiis 1559. fol. cum explanatione Ascensii et variorum notis. Sallustius *Aldi Manutii* P. Filii, qui fragmenta a se collecta addidit Venet. 1557. 1567. 1588. 8. Rom. 1563. Antwerp. 1564. 8. apud Plantin. Editioni Basileensi anno 1564. fol. Cum variorum commentariis adiunctus est *Constantii Felicii Durantini* ICti liber de coniuratione Catilinae ad Leonem X. Cum notis Vallae, Badii, Soldi, Marliani, Rivii et Glareani, Venet. 1565. fol. 1590. fol. Cum notis Vallae, Omniboni Leoniceni, Badii Ascensii, Barthol. Zanchii, Soldi, Vincentii Castilionei, Iacobi Bononiensis, Rivii et Glareani, Basil. 1564. fol. cum notis Cypriani a Popma, Lovan. 1572. 12. E MS. Bibl. Mediceae recensitus a *Petro Victorio*, Florent. 1576. 8. ap. Iuntas.

Praeter ceteros de Sallustio praeclare promeritus *Ludovicus Carrio* est. nam is fragmenta e libris sex historiarum diligenter collegit, ac deinde Sallustii scripta, quae supersunt, multis millibus, ut ipse profitetur, locis meliora edidit illustravitque notis, Antw. 1573. et 1579. 8. apud C. Plantinum, qui praeter Rivii, Manutii, Popmae ac Carrionis scholia addidit etiam notas *Iani Dousae*, cum luculenta fragmentorum accessione hactenus non editorum a. 1580. 8. Post cum notis Glareani, Carrionis et Iac. Bononiensis,

nienfis, et Vlr. Hutteni flofculis, Bafil. 1590. 8. 1606. 8. cum fcholiis Aldi Manutii, Cypriani a Popma et Lud. Carrionis, Parif. 1574. 8. et Lugd. 1576. 12. apud Ant. Gryphium, et 1601. 12. apud Iacobum Stoer. *Fulvii Vrfini* notae ad Salluftium, Caefarem etc. Antw. 1595. 8. ap. Plantin. Cum notis Chriftoph. Coleri, Norimb. 1599. 8. cum notis Eliae Putfchii et Petri Ciacconii prodiit Lugd. Bat. 1602. apud Plant. Prodierat etiam cum notis Ciacconii, apud Rapheleng Lugd. Bat. 1594. 8. *M. Antonii Mureti* notae una cum animadv. ad Tacitum Ingolftad. 1604. 8. Cum notis var. editus eft a Grutero Francof. 1607. 8. eaque tum editio princeps omnium fuit. Leidenfis editio a. 1612. 4. quae cum Metaphrafi (Belgica credo) MS. fuit in Bibl. P. Francii. Salluftius et L. Cornelii Sifennae fragmenta cum notis Aufonii Popmae, Franequ. 1619. 8. Ex recenfione Io. Philippi Parei, Francof. 1617. 1622. 8. cum notis. Cum commentariis Pauli Benii Eugubini Venet. 1624. 4. Cum vita Salluftii a Chryfoft. Soldo et Pomponio Laeto fcripta, Monitis politicis, ethicis, militaribus, aliifque, Ciceronis Catilinariis orationibus, et Hiftoricorum veterum fragmentis a) ab Aufonio Popma collectis, Lugd. Bat. 1634. et 1645. Amft. 1658. 1665. 1669. et 1675. 12. Salluftius cum notis *Dan. Parei*, Francof. 1649. 12. Cum veterum Hiftoricorum fragmentis excufus Salluftius Venet. 1649. apud Iuntas et Babam. 12. Ex Io. Ifaaci Pontani recenfione, Amft. 1649. forma minore. Io. Georgii Beffereri electa, five florilegium Salluftianum, Francof. 1656. 12. Salluftius e recenfione Rutgeri Hermannidae, Amft. 1661. 12. 1666. 12. cum varior. notis ex edit. *Antonii Thyfii* Lugd. B. 1649. 1654. 8., Salmur. 1673. 12. curante, ut fufpicor, *Tan. Fabro*. In ufum Delphini facta a Dan. Crifpino prodiit Parif. 1674. 4. recufa aliquoties. Alias tironibus factas mittimus. Conatus etiam aliorum et promiffa, ut *Iac. Tollii*, commemorare omittimus, quippe nihil

Q 2

a) De his fragmentis dicetur infra libro IV.

nihil utilitatis istae commemorationes habent. E recensione *Io. Frid. Gronovii* cum eiusdem et variorum notis Lugd. Bat. 1665. 1677. 8. prodiit et Amst. 1686. a. 1690. 8. cum integris notis Rivii, Manutii, P. Ciacconii, Fulv Vrsini, Eliae Putschii, ac selectis Gruteri, Glareani, Cypriani a Popma, Carrionis, Dousae et aliorum, Melleriique Palmerii spicilegiis.

Sed hoc seculo extitere novae et luculentiores editiones tres. Prima est *Iosephi Wasse* Britanni, Cantabrigiae 1710. 4. In ea textum secundum MSS. libros et editiones veteres, quas nactus erat, constituit, notas optimorum interpretum superiorum et suas ipsius adiunxit. Praemissa est Vita Sallustii a Io. Clerico scripta: praeter indicem latinitatis, fragmenta vett. hist. cum notis Ausonii Popmae, *Iulii Exsuperantii* libellus, et declamatio in Catil. de qua supra. Eius deinde textus pro basi fuit *Gottlieb Cortio*, qui novam luculentam editionem curavit Lipf. 1724. 4. Is igitur porro in textu constituendo usus est Codd. MSS. triginta amplius, et edd. vett. plurimis: estque eius textus sine dubio optimus. Notas tantum suas addidit, sed eas sane prope plus iusto copiosas, dum tot Codd. et edd. lectiones omnes commemorat, atque etiam res, inprimisque phrases, pro illius temporis more, latius persequitur, locis paralellis undique congerendis etc. Ceterum modum recte tractandi textus et ἀκρίβειαν in eo genere tirones artis Criticae, his notis legendis, bene poterunt cognoscere, atque multas multorum bonas de latinitate exquisitiori observationes colligere. Et fuit ille primus hoc seculo in Germania, qui in scriptore antiquo tractando et edendo rectam viam ingrederetur, quae ei exemplis Batavorum demonstrata esset, et ferret laudem exterorum, qui ad id tempus nihil tale e Germania viderant. In praefatione de editionibus veteribus, pro copia, quae erat exemplarium, accurate dicitur. Observavit igitur, edd. primas ut Vendelini Spirensis esse valde

valde vitiosas: nec veros esse, qui omnia textus vitia Pomponio Laeto tribuant, cuius patrocinium tamen non omnino suscipit, ausi utique plus, quam debebat, exemplo multorum istis temporibus, sed etiam alia parte bene meriti de literis. Et tamen fatetur, sibi editiones principes Ven. 1470. 1493. 1499. Lips. 1508. 1510. multum ad emendandum textum profuisse. Nam et in vitiosissimis exemplaribus sparsae sunt verae lectiones. Ceterum ad hanc editionem etiam addita, quae sunt in ed. Wassii, et *Constantii Felicis Durantini* liber de coniuratione Cat. Tertia huius seculi editio splendida est *Sigeberti Havercampii*, quae Amstel. a. 1742. prodiit duobus Tomis in 4. In textu secutus est praecipue Wassium, sed et Gruterum, ab eorumque lectionibus nunquam discessit. Notas ed. Gruterianae integras dedit, quod non semper factum in ed. Wass. praeterea notas *Coleri*, *Graswinkelii* Comm. in B. C. *Ruperti* obss. *Palmerii* spicilegium in Sall. et *Ausonii Popmae* opusculum, in quo plurima loca historicorum vett. et Sallustii illustrantur. Varias lectiones MSS. et edd. medio inter textum et notas loco posuit. Ipse de suo nihil addidit: et tamen textus, velut cymba in Oceano, ita in notis natat: oneratque potius lectorem copia quam adiuvat.

Ad Sallustium illustrandum pertinent *Chr. Ad. Ruperti* observationes in Sallustium eruditae Norib. 1671. 8. *Angeli Mariae Peverati* notae in Sallustium separatim editae sunt Ferrariae 1731. 4. quas memorabiles faciunt insertae notae *Turcii Rufi* Aproniani ex antiquo libro scripto. v. Act. Erud. Nov. T. I. Suppl. nov. p. 581. et Bibl. Italique T. XII. p. 215.

In utrumque bellum Observationes quaedam Criticae T. AE. W. S. sunt in Obs. Misc. Dorvill. Vol. VI. p. 304. sq. Sallustium illustrare etiam constituerat *Theophilus Horgesius*, primo Professor Historiarum deinde Consul Daventriensis: quo morte praevento hanc provinciam in se suscepit

 Io.

Io. Bouwersius, in eiusdem Vrbis celeberrimae Gymnasio Histor. Professor, adhibito Codice MS. bonae notae, qui in illa urbe asservatur, ut ad me scripsit illustris Vir Gisbertus Cuperus, testatus simul scholia et observationes Hogersii ad se pervenisse, et se quoque notas in Sallustium atque in his nonnullas uberiores concinnasse.

Anglice Sallustium vertit Elisabetha, Angliae Regina, teste Guil. Cambdeno, et in praef. ad Opera Regis Iacobi I. Richardo Montacutio. *Gallice* Io. Balduinus, Paris. 1617. 4. post Ambrosium Giraldum Paris. 1539. 8. et Petrum Maegretum, ibid. fol. et Lugd. 1556. 12. Ne dicam de Orationibus ad Caesarem et adversus Cic. quas interpretatus est Petrus Saliat Paris. 1537. 8. et Steph. le Blanc. ib. 1545. 12. Crucimannii Bibliotheca Gallica *Gallicos* Sallustii interpretes memorat Andream Bovivum, Antonium Divinum et p. 295. Ludovicum Maegretum. Io. Bauduin sive Balduini Gallica interpretatio prodiit etiam Paris. 1629. 4. 1663. 12. Exstant et recentiores Sallustii versiones Gallicae plures, una Teilii, altera Iacobi Cassagnesii Academiae Regiae Gallicae Socii, Paris. 1675. 12. et tertia saepius iam excusa Abbatis Massoni Paris. 1716. 12. 1720. et 1724. recognita. Vide Ephemerides Parisienses a. 1716. mense Iunio p. 670. et Memorias Trevoltinas a. 1717. p. 665. a. 1724. p. 952. Quarta Abbatis Vergerii cum notis recusa a. 1727. Iournal des Savans a. 1724. p. 360. Denique novissima, eaque melior Thyvonis Abbatis Paris. 1730. 12. duobus Voll. et Amst. cum notis et vita sive apologia Sallustii dissertationibusque de agricultura, venatione etc. nec non Sallustii fragmentis et duabus politicis sive de Rep. ordinanda ad Caesarem Epistolis. Eruditus auctor huius versionis etiam Latinum Sallustium notis illustratum iubet a se exspectare. Versiones *Germanicae* o) Wil-

o) Sallustius Germanicus Colon. 1654. 12. editus non versionem Germanicam Sallustii, sed descriptionem belli Sveco Gallico Germanici ab anno 1618. ad 1654. gesti continet.

Wilhelmi de Chalcum Lohausenii, Bremae 1629. 4. cum notis altera Balthasaris Kindermanni, Witeb. 1662. 8. tertia Danielis Albini, Hamb. 1663. 8. quarta Casparis Gottschlingii, additis notis, Halae Sax. 1719. 12. *Belgice* Roterd. 1657. 12. *Hispanice* Emmanuel Sveiro, Antwerp. 1554. 8. et 1615. 4. *Italice* Augustinus Ortica, Venet. 1518. 1523. et 1545. 8. Io. Bernardinus Bonifacius Marchio de Oria, Florent. 1550. 8. Laetius Cavanus eodem anno Florent. 8. *Graece* etiam Sallustium vertisse et Celsum traditur eruditus vir Benedictus Averanius Florentinus in vita praemissa eius Operibus Florent. 1717. fol.



CAPVT X.

DE C. IVLIO CAESARE.

I. *Iulii Caesaris aetas.* II. *De bello Gallico libro VII.* III. *Liber VIII. ab A. Hirtio additus.* IV. *Libri III. Caesaris de bello civili.* V. *Liber de bello Alexandrino, alius de Africano, et tertius de Hispalensi, auctore Hirtio vel C. Oppio.* VI. *De Iulio Celso et commentariis de vita Caesaris quae ad Celsum vulgo referuntur, e quibus petitum longius fragmentum quod libro de bello Hisp. subiecit Iungermannus.* VII. *Caesaris editiones.* VIII. *Scripta deperdita.* IX. *Emendatio Calendarii.* X. *Cosmographia.* XI. *Diplomata quae Austriae concessa a Caesare nonnulli iactarunt, et alia quaedam Caesari ridicule supposita.*

I. C. *Iulius Caesar a)* Dictator, eloquentia doctrinaque non minus quam incredibili ingenii animique vi, *b)* rerumque gestarum magnitudine clarissimus, post

a) Alius C. Iulius Caesar Strabo Lucii F. Orator suavissimus, cuius genus eloquentiae secutus est Caesar dictator cum adhuc adolescens esset. Vide Pitiscum V. C. ad Suetonii Calig. c. ult. Caesaris Dictatoris vitam e veteribus tradunt Plutarchus, Dio, Suetonius, et de quo infra §. VI. dicam, Iulius Celsus. Longe plures interciderunt. Sidonius Apollinaris ad Burgundionem (qui laudem Caesaris Iulii scripserat) lib. IX. Epist. 14. *Nam si omittantur quae de titulis Dictatoris invicti scripta Patavinis sunt voluminibus* (in T. Livii libris Historiarum deperditis) *quis opera Suetonii, quis Iuvenci Martialis Historiam, quisque ad extremum Balbi Ephemeridem fando adaequaverit?* Hunc Balbum haud diversum esse a Balbo Cornelio Theophane, cuius meminit Capitolinus, adversus Vossii in Hist. lat. sententiam recte observatum est Baelio in Lex. ubi de Caesare. Primus Caesarum a caeso matris utero dictus, autore Plinio VII 9. vel a caeso elephanto, qui lingua Maurorum Caesar, Spartian. in Vero c. 2. Caesar etiam denotat τὸν κομῶντα, *caesariatum,* qui caesariem habet, ut notat Salmasius de Coma p. 329. Deinde in Iulii Caesaris honorem Caesares dicti qui summum Imperium gererent: post, qui Collegae imperii essent assumti, ut Caesaris nomen secundum imperii gradum significaret, ut nomen Augusti primum. Vide Ezech. Spanhemium de usu numismatum diss. XII. Tom. 2. edit. novae p. 354.

b) Confer Plinium VII. 25. Hist.

post victum Cn. Pompeium et oppressam libertatem, cum summa potestate paullo ultra quadriennium moderate satis usus fuisset, in curia a coniuratis confossus periit Idibus Martiis anno Vrbis 710. ante Ch. 44. aetatis 56. Vitam Caesaris a *Stephano Ambrosio Schiappalaria* scriptam Italice, editamque Antwerp. 1578. laudat Gisb. Cuperus c) exerc. 2. de elephantis in numis pag. 164. et p. 167. *Io. Glandorpii* liber de familia Iulia Basil. 1576. 8. et Paris. 1634. 4. separatim typis exscriptus, etiam eius Onomastico historiae Romanae insertus legitur 1589. fol. p. 414. in quo de rebus Caesaris etiam diligenter, cui conferri potest *Georgii Schubarti* Caesar Dictator etc. Ex numis genus vitamque Caesaris praeterea illustrant Hub. Goltzius Brugis 1563. fol. et Lud. Nonii commentariis illustratus Antwerp. 1620. fol. Laur. Begerus in thesauro Palatino p. 73. et 290. sq. et in thesauro Brandenb. Tom. 2. p. 600. sq. et Tom. 3. p. 86. Io. Seobaldus Fabricius in Caesare numismatico, Lond. 1678. 8. Steph. Souciet S. I. in diss. ad numum singularem Caesaris cum victoria alata, in memoriis Trevoltinis a. 1713. Dec. p. 2145. Carolus Patinus ad Caesarem Svetonii, et qui numos Imperatorum enarrarunt, Occo, Tristanus, Mediobarbus, Angeloni, Pedrusius, Valens, aliique, laudati ad V. C. Anselmi Bandurii Bibliothecam numismaticam p. 237. sq. Alexandrum cum Caesare contulit Plutarchus, Poggius Scipionem, alios alii, ut Fr. Floridus Sabinus L. III. de praestantia Caesaris. Poggius ei etiam non dubitavit Scipionem praeferre, indignante Io. Guarino et Caesari primas tribuente. Vide Poggiana p. 259. sq. Sed in eminentibus viris et ingeniis, si inter se componantur, semper utrinque, quibus invicem praestent, quibus inferiores sint, offendes.

c) Tom. 3. thesauri novi Antiquitatum Rom. Sallengriani. recusae etiam Veronensibus typis a. 1600. 4. Schiappalariae huius observationes politicae in Caesaris vitam.

II. Exstant eius *de bello, quod cum Gallis gessit, commentariorum d) libri VII.* quorum singuli singulorum annorum res complectuntur. Vnde Hirtius VIII. 48. *Scio Caesarem singulorum annorum singulos commentarios fecisse, quod ego non existimavi mihi esse faciendum.* Graece transtulit Maximus Planudes, sive quis alius; quae versio primum edita est a. 1606. ex Codice Pauli Petavii a Godofredo Iungermanno. De ea illustris Huetius libro de claris interpretibus p. 219. *Dubito equidem, Gazaene an Planudae, an alteri eiusdem aevi cuipiam commentariorum de bello Gallico conversionem Graecam, quae in Petaviana Bibl. habetur, adscribam. Caesarem illa nonnunquam ducem deserit, et breves tentat excursus, raro tamen et verecunde, ceterum non impura ea, nec invenusta.* David Hoeschelius Epistola ad Iungermannum 4. Cal. April. a. 1606. *Interpretationem Planudis potius, qui et Ovidiana vertit quaedam non infeliciter, quam Gazae crediderim, quod e phrasium similitudine facile coniecerim.* Petrus Scriverius litteris ad eundem Iungermannum: *Belli Gallici interpres ille Graecus non est quidem contemnendus, sed tamen haud ita magno litterarum emolumento legitur, ut absque ulla studiosorum fraude poterat obliterari, quisquis est. Sed legatur, si quis tamen haec quoque captus amore leget.* Occurrit in editione utraque scriptorum Caesaris Iungermanniana,

d) Hirtius, *Commentarios rerum gestarum Galliae, Commentarios rerum suarum* Cicero de claris Oratoribus c. 75. ὑπομνήματα vocant Strabo et Appianus. Sunt enim veluti quaedam ὕλη συγγραφῆς, ut Olympiodori apud Photium Cod. 80. sive non perfecta Historia, sed *unde sumerent, qui vellent scribere Historiam*, ut loquitur Cicero in Bruto c. 75. Sic etiam Augustus commentarios rerum suarum scripserat, quae ὑπομνήματα appellat Plutarchus Antonio p. 925. Item Plutarchus in Caesare et Svetonius. Symmachus item atque Sidonius, tum Servius in XI. Aeneid. hos Iulii Caesaris commentarios vocant *Ephemerides*, quia tempus utcunque observant. Neque enim aliud opus Caesaris Ephemerides putaverim, licet, quae a Servio ex illis proferuntur, hodie desideramus. Sunt certe quaedam, ut norunt eruditi, in his libris de bello Gallico lacunae. Neque aliud existimo esse Iulii Caesaris *Chronica*, quae manuscripta memorantur in Catalogo Bibl. If. Vossii. Graecus interpres inscripsit ἀπομνημονεύματα τοῦ ἐν τῇ Γαλατίᾳ πολέμου.

niana, latinis ex adverso per singulas paginas posita, uti versiones latinae scriptorum Graecorum solent: sed in editione Davisii ad calcem voluminis reiecta legitur. Gallice vertere (partem saltem) hos libros Reges Franciae, *Henricus IV*: teste If. Casaubono praef. ad Polybium, et *Ludovicus XIV*, cuius etiam typis exscripta est interpretatio: *la guerre des Suisses, pour la conqvête des Gaules*, traduite du I. livre des Commentaires de *Iules Cesar par Louis XIV*. a Paris 1651. fol. De Asinii Pollionis censura, qua Caesaris commentarios, ut parum diligentes, neque integra veritate scriptos, reprehendit, teste Svetonio in Caesare c. 56. adeundus Morhofius libro de Patavinitate Liviana capite 4. et Ioach. Christophorus Nemeitz de modestia historica in censuris principum observanda §. 14. Prodiit Londini Scanorum 1709. 8. *Portum Iccium* Caesaris, *Mardicum* esse persuasit sibi Io. Iac. Chifletius libello edito Antuerp. 1626. 1627. 4. Sam. Clarkius cum multis aliis *Caletum*, illive vicinum *Sangatum*: Carolus du Fresne ad Ioinvillam et Schoepflinus e) *Wissantum*, quod etiam Bertio primum placuit, probatum Cambdeno, Ortelio, Mussano. Pro *Bononia*, sive *Bononiensi* Morinorum portu *Gessoriaco* pugnant Phil. Cluverius II. 28. Germaniae antiquae, Guilelmus Somnerus, atque Edmundus Gibson, Petrus Bertius, Iosephus Scaliger, Petavius, Labbeus, Nic. Sanson in diss. inedita, Christoph. Cellarius, Nic. Bergierius: quorum sententiae, Strabo, Mela, Plinius IV. 16. Ptolemaeus, Itinerarium Antonini et Tabula Peutingeriana videntur suffragari. Adde et Graevium ad Sveton. Ioannem Battely in Antiquitatibus Rutupinis (Richborough in comitatu Cantii) Oxoniae a. 1711. 4. editis, Bernardus de Montfaucon T. 4. supplement. Antiquitatis explanatae p. 132. 133. et in diss. de Pharo Alexandrina T. IX. memor. Acad. Inscript. p. 293. Mich. le Quien in ephemeridibus eruditor. Paris. a. 1727. Iunio p. 232. 239. idem

e) in illustribus ex Britannica historia controversiis c. 1. Argentorati 1731. 4. I p. 26.

idem auctor diss. insertae tomo octavo continuat. memoriarum lit. et historiae Gallice Paris. 1729. 12. p. 325. sq. Iournal des Sav. 1731. p. 236. Hadrianus Valesius malit *Quentavicum* sive *Stapulas*, quam opinionem erudite tuendam suscepit vir celeberrimus. Io. Georgius Eccardus in diss. inserta Tomo octavo Miscellaneorum Lipsiensium p. 268. sq. 278. sq. Mihi iam verisimillimum videtur accipere de *Gessoriaco:* quanquam Caroli du Fresne sententiae videtur suffragari *f*) Guilelmus Pictaviensis.

De situ muri, quem millia passuum XIX. in altitudinem pedum XVI. a lacu Lemano ad montem Iuram perduxisse se adversus Helvetiorum irruptionem refert Caesar 1. de bello Gallico c. 8. videnda dissertatio *g*) prima quae subiuncta est editioni novae locupletiori Historiae Genevensis Gallica lingua compositae a praeclaro Viro Iacobo Sponio.

III. *Liber VIII. de bello Gallico* ad Cornelium Balbum Gaditanum, non ab ipso Caesare scriptus, sed ab A. HIRTIO *h*) additus, historiam a Caesare coeptam ad eius e Gallia in Italiam reditum perducit. Hic est Hirtius Caesaris familiaris, qui anno proximo post Caesarem interfectum Consul in acie *i*) periit. Ab eo novissimum Gallici belli imperfectumque librum suppletum fuisse scribit etiam Svetonius in Iulio cap. LVI. Lupus Ferrariensis Epistola XXXVII. ad Heriboldum Episcopum: *Commentarii belli Gallici tantum exstant, nec quantum ad*

f) Vide Guil. Somneri responsionem ad Chiffletium de portu Iccio (quae cum Caroli du Fresne atque Edm. Gibsoni diss. prodiit Oxon. 1694. 8.) p. XXXVII. Christoph. Cellarium Geograph. antiquae T. I. p. 378. sq. Petri Lagerlöf de Traiectu Caesaris in Britanniam, Vpsal. 1697. 8. Continuationem memoriar. literaturae et histor. Gallice editam T. 8. p. 342. sq. *Wissantum* videtur potius esse memoratus Caesari *portus superior* sive *ulterior*. id. p. 361. sq.

g) Iournal des Sav. 1731. Dec. p. 504.

h) In quibusdam editionibus inepte appellatur *A. Hirtius Pansa;* notum enim est Pansam Hirtii fuisse in Consulatu, quo ambo anno V. C. 711. perierunt, Collegam, quod factum est ex *A. Hirtius s. Pansa;* ut inscripsere, qui de Auctore dubitarent, ut in ceteris libris minoribus, de quibus mox.

i) Sveton. Augusto c. XI. Xiphilin. pag. 33. sq. Hanckius de Rom. rer. scriptoribus lib. I. c. IV.

ad historiam, quod compertum habeam, Caesaris quicquam aliud. Nam ceterarum eius rerum gestarum, postquam idem Iulius totius paene urbis causarum molibus est oppressus, Hirtius eius notarius in commentarios scribendam referendam suscepit. Capite 15. huius libri verba Hirtii haec sunt: *nam in acie sedere Gallos consuesse, superioribus libris declaratum est.* At nihil tale legitur in Caesaris, quales hodie exstant, commentariis. *Quare si quid iudico,* inquit Dionys. Vossius ad hunc Hirtii locum, *vel periit hic locus, vel alicubi corruptus legitur.* Adde quae habet Seldenus in mari clauso lib. 2. cap. 1. et haec verba Ethelwerdi: *Hiberniam petunt, Britannidem olim a Iulio magno Caesare vocatam.* Superiorem commentarium citat Hirtius c. 4. et 30. 38.

IV. *De bello Civili Pompeiano libri III.* quos Caesaris esse testatur quoque diserte Svetonius in Iulio cap. LVI. Vtrosque de bello civili ac Gallico commentarios simplici, eleganti et emendata dictione venustos Caesari perperam abiudicarunt Ludovicus Carrio, Floridusque Sabinus *k*) et Ludovicus Caduceus, libros de bello Gallico ad Svetonium auctorem referre haud veritus: quorum sententia mihi fere aeque absurda videtur atque illius, quem Isaacus Vossius in responsionibus primis ad obiecta Rich. Simonis narrat dissertationem conscripsisse, qua falsa convinceret, quaecunque in libris de bello Gallico continerentur, et multis insuper ostenderet, Caesarem nunquam transisse Alpes, et ne vidisse quidem Galliam. Iustus quoque Lipsius aliquando putavit alium esse, qui de bello Gallico, et qui de civili scripsisset, vel saltem libros de bello Gallico a Iulio Celso interpolatos ad nos pervenisse, II. 7. Elector. et II. Epistolicar. quaest. et in extremo Analectorum ad lib. 2. de militia Romana. Certe unum eundemque Caesarem esse, qui de bello Gallico libros VII. et III. de civili scripsit, facile credimus et veterum testimoniis et stili emen-

k) Vide Vossium lib. 1. de Hist. lat. c. XIII.

emendati ac simplicis mirificae similitudini. Libros *de bello civili* dissertationibus Philologicis a. 1641. illustrare coepit Ioannes Ravius Professor Soranae Academiae, sed vix ultra binas adspexere lucem, quarum prima illustrando Floro IV. 2. (ubi de Caesare disserit) impenditur.

V. Subiungi his solent 1. *Liber de bello Caesaris Alexandrino*, qui Hirtium, ut videtur, habet auctorem, certe eundem qui librum VIII. de bello Gallico addidit 2. *De bello Africano*, quod cum Iuba Numidarum Rege Caesar gessit, *liber*, iudice Lipsio, elegantissimus, atque illi ipsi qui superiorem scripsit tribuendus. Plura tamen interpolatoris recentioris vestigia in illo visus est sibi deprehendere eruditissimus Dodwellus in diss. de Iulio Celso, sect. VIII. cuius argumenta confutanda sibi sumpsit Io. Clericus tom. 26. Bibl. Select. p. 132. sq. 3. *Liber de bello Hispaniensi*, quem ad Cornelium Balbum, cui librum VIII. de bello Gallico Hirtius dicavit, vel ad C. Oppium refert vir insignis iudicii G. I. Vossius. At Svetonius quidem de Balbo silens *Alexandrini*, inquit *Africique et Hispaniensis incertus auctor est. Alii enim Oppium l) putant, alii Hirtium, qui etiam Gallici belli novissimum imperfectumque librum supplevit.* Hunc librum de bello Hispaniensi (alterius, quam duo superiores, auctoris) totum militari quodam et horrido compositum esse stilo, etsi bene latino, praeter Lipsium II. 22. electorum, monuit Iosephus Scaliger prolegom. ad Manilium. A. Iulio Celso interpolatum ad nos pervenisse multis argumentis, non aequalis omnibus ponderis disputat Dodwellus in laudatae diss. sectione XI. Ceterum hic liber *de bello Hispaniensi* extrema parte mutilus extat, atque ex Martini quoque Bladenii, Anglici interpretis, sententia passim corruptus est, et iunioris auctoris, quam ut Caesaris tempora attigerit, quod tamen Svetonio minime visum, qui alii qui-

l) C. Oppium intellige Caesaris familiarem, de quo idem Vossius p. 67. Huic librum de bello Hispaniensi tribuit etiam Volaterranus. Hirtii sit an Oppii liber de bello Africano, dubitat Rupertus ad Florum p. 262.

quidem quam Caesari, sed uni ex eius familiaribus, Oppio vel Hirtio, tributum scripsit. Bellum porro Hispaniense pro eo, quod in Hispania gestum est, ita dicitur, ut liber Hispaniensis, quia scriptus est in Hispania, Martiali praefat. libri XII. *non Hispaniensem librum mittamus, sed Hispanum.*

VI. *Fragmentum*, extrema belli civilis a Caesare in Hispania gesti, referens, Iungermannus libro de bello Hispaniensi subiecit ex MS. Pauli Petavii a Iacobo Bongarsio accepto, e quo etiam Graecam versionem librorum VII. de bello Gallico edidit. Vossius petitum esse observat e Commentariis de vita Caesaris, quos tribuunt *Iulio Celso.* Atque sane legitur in editione horum commentariorum *m*) Graeviana p. 185 - 191. Iungermannus vero notat, in Cuiaciano codice illud occurrisse sine nomine: in Petaviano, sub nomine *Petrarchae.* Primae Commentariorum illorum editioni anni 1473. nullum nomen auctoris est adscriptum. At Iulium Celsum appellat non modo Vossius lib. I. de Hist. lat. cap. 13. et lib. V. Institut. Or. c. 3. tmemate 10. sed et ante Vossium Io. Sarisberiensis, *n*) Vincentius Bellovacensis libro VII. Speculi hist. Theodorius Engelhusius in Chronico et Gualterus Bulleus sive auctor incertus operis de vitis Philosophorum, quod litteris Langobardicis excusum est folii forma, non longe post repertam Typographiam. Hic capite CIV. Iulii Celsi Historiographi mentione facta, cum dixisset, eum diligenter de bello Caesaris *libros quinque* exarasse, *in quibus multa doctrinalia mirabilia continentur*, quasdam ex eo sententias excerpit, quae in his commentariis leguntur. Sed librorum tantummodo trium in his distinctio occurrit: libri secundi initium in editione Graeviana

m) Io. Georgius Graevius V. C. Commentarios, qui Iulii Celsi vulgo dicuntur, ex editione rarissima anni 1473. subiecit cum quibusdam suis castigationibus editioni Iulii Caesaris cum Dionysii Vossii animadversionibus in lucem datas Amsteled. 1697. 8. Eodem anno separatim praelis subiecti sunt in Anglia, addito indice et praemissis virorum doctorum de illo testimoniis, Londini, 8.

n) Vide testimonia editioni Londinensi praemissa.

na, est p. 28. libri tertii p. 37. Neque de bello tantum Caesaris tradunt, sed universum illius vitae cursum persequuntur. At pagina 118. legitur huiuscemodi scholium: *Hic incipit octavus commentariorum liber, quem fecit Iulius Celsus. Septem autem primos et usque ad hunc passum fecit ipse Caesar, quamvis hic auctor aliquot in locis contradicit et male Cicerone teste et ipso Celso in prologo suo.* Nimirum post istud scholion referuntur ea, de quibus agitur in libro octavo de bello Gallico, cuius libri octavi auctorem esse Celsum falso scholii auctor affirmat. Sed neque horum Commentariorum de vita Caesaris auctor est Celsus, nam ipse commemoratur in iisdem p. 68. *Suetonius auctor certissimus Germanorum hoc in finibus accidisse ait, Iulius autem Celsus comes, et qui rebus interfuit, Ebunorum in finibus factum refert.* Non est, quod aliud de rebus Caesaris opus sub Iulii Celsi nomine ab hoc scriptore lectum esse suspicemur, quod hodie non exstet: sed potius libros ipsos septem Caesaris o) Iulio Celso imperite tribuit auctor quisquis fuit, quoniam Iulius Celsus quidam Constantinopolitanus V. C. sexcentos circiter post Ch. natum annos, Caesaris scripta recensuerat, nomenque suum illis, ut Terentio Calliopius, subsignaverat, quod etiamnum in variis Caesaris Codicibus MSS. deprehenditur, ut praeter alios Godwinus praef. in Caesarem annotavit, testatus in codice quodam MS. Thuano in margine libri II. de bello Gallico sub principium haec verba exstare: *Iulius Celsus Constantinus V. C. legi.* In margine vero libri III. *Flavius Licerius Firminus Lupicinus legi.* At commentariorum auctor, a Celso, ut vidimus, diversus, longe est ac recentior, ut observatum viris doctissimis, Graevio in prefatione et H. Dodwello, qui Italum patria suspicatur, in diss. de Iulio Celso ad Graevium, quae Annalibus eius Quintilianeis et Statianis subiicitur Oxon. 1698. 8. sectione XI. Sed Graevii verba adscribere iuvat: *Fuit*

o) In Eburonum finibus haec accidisse innuit Caesar V. 29.

Fuit Anonymus hic Christianus, p) Laudat testimonium sancti Augustini de morte voluntaria Catonis, et non raro damnat et irridet gentilium, Romanorum praecipue in auspiciis et sacris, superstitionem. Nulla in illo antiquitatis sunt vestigia. Quin vix quadringentorum, summum quingentorum annorum aetatem fert. Nam ut omittam alia, Morinos dicit suo tempore Flandros appellari, et Reges Germaniae Caesares. (His Dodwellus adiungit, quod apud hunc scriptorem memorantur Basilea et Constantia urbes, urbs famosa Parisius, Flandria et Hannonia.) *Neque tamen indignus est Anonymus hic lectione, cum multas graves sententias adspergat, quae lectorem possunt erudire, ut non est in cognoscendis caussis cur quaeque gesta sint obtusus, nec inutilis aut legentibus aut edentibus Caesarem. Non fuit enim imperitus rerum humanarum, nec pro captu illius aetatis indoctus, quippe qui in scriptis Tullianis praecipue in Epistolis ad Atticum minime fuerit hospes, ex quibus non pauca excerpsit, quae faciunt ad Iulium Caesarem defendendum, quem admiratur unice, et ad refellenda quaecunque in illo criminabantur.* Haec ille. Iac. Sirmondus in notis ad Ennodium p. 78. testatur, ad calcem Codicis Vaticani quoque Caesaris librorum adscriptum: *Iulius Celsus Constantinus V. C. legi. Flavius Licerius Firminus Lupicinus legi.* Observatque Lupicinum hunc fuisse Eupropiae sororis Ennodii Episcopi Ticinensis filium, clarum sub initia sexti a Ch. nato saeculi. Nec Ioannes Sarisberiensis q), nec Polydorus Virgilius, nec Lipsius, Caesaris com-

p) Christianum scriptorem prodit etiam, quod p. 179. edit. Graevianae, de Caesare: *postero autem die sacrificio Diis facto, dignus Vir, qui uni et vero Deo sacrificium faceret et pro eo pugnaret.* Et clarius etiam p. 200. *Simulacrum Caesaris iuxta Deos: et quos Deos quaeso? Iovem forsitan aut Neptunum, qui certe pedem Caesaris non valebant, homines vitiosi, aut ut scriptum est* (Psal. XCVI. 5.) *omnes Dii gentium daemonia.* Nota pedem Caesaris non valebant, hoc est pretium mensuramque. *Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.* Horat.

q) Bernardus Moneta notis ad Menagiana T. IV. p. 80.

commentarios Iulio Celso attribuerunt tanquam auctori, ut traditur in Menagianis T. 2. pag. 99. Priores duo ne Celsi mentionem quidem fecerunt, Lipsius saltem II. 7. elector. testatus est, se in Commentariis Caesaris saepe quaerere Caesarem, et multos in illam purpuram pannos insutos se videre, nec in dictione ipsa spirare ubique naribus suis auram illam, et ut sic dicam stactam purae antiquitatis. *Lege, relege, multa otiosa reperies, disiuncta, intricata, interpolata, repetita: ut omnino non absit, quin ad hanc prisci operis statuam novella aliqua accesserit et imperita manus.* Tantum autem abest, ut idem Lipsius Celsum habuerit pro auctore Caesaris commentariorum, quod illi etiam tribuitur in Scaligeranis per Vassanos collectis, ut potius lib. 2. Epistolicar. quaestionum capite 2. refutet Lud. Carrionem ita sentientem: licet constet a Vincentio Bellov. in speculo Hist. nec non a Gualtero Bullaeo in vitis Philosophorum, Iacobo Mangno in Sophologio, et Alberto Eybio margaritae poëticae auctore, Caesaris subinde verba Celsi nomine citari. *Quin Iulius aliquis Celsus manus attulerit Caesari, quaedam reciderit, addiderit, quaedam interpolarit, nunquam infitebor: ut Caesarem totum immutarit sic quasi Iustinus Trogum, ignosce, ne tua quidem caussa possum credere. De stilo quod ais, si verum quaerimus, hi de bello Gallico discrepant aliquantum ab illis de Civili, stilo orationis, et fieri potest ut interpolati sint, ut dixi: non tamen ita ut similitudo oris prorsus evanuerit, et quamvis gemini sint, fratres tamen esse ex ipsa ratione scribendi agnoscas.* Haec ad Carrionem Lipsius. Error autem non exinde natus est, ut citato Menagianorum loco traditur, quod Iulius Celsus vitam Caesaris scripsit, sed quod Grammaticus, Iulius Celsus Constantinus nomine, qui Caesaris recensuit et castigavit commentarios, in rei testimonium ad calcem voluminis adscripsit haec verba: *Iulius Celsus Constantinus* r)

V. C.

r) Hinc Celsum aliqui fecere CPolitanum. Menagiana Tom. IV. p. 84.

V. C. legi, five ut in quibusdam Codicibus exstat: *Iulius Celsus Vir Clariss. et Comes recensui.* Cum itaque exempla ad hanc recensionem exacta pro emendatioribus haberentur, factum est, ut librarii, quo maiorem auctoritatem suis adderent codicibus, eis hanc praefigerent inscriptionem, quae etiamnum in nonnullis MSS. legitur: *C. Iulii Caesaris per Iulium Celsum commentarii.* Fortasse non erraverit, qui cum erudito viro, Bernardo Moneta sibi persuaserit, libros hosce tres de vita Caesaris auctorem habere *Franciscum Petrarcham:* certe fragmentum de bello Hispanico, quod Iungermannus ex codice Petaviano edidit, Petrarchae diserte in illo MS. tribuitur, idque ex libro tertio p. 185 – 191. edit. Graevianae ad verbum est repetitum. Citat autor, quisquis est, praeterea Iulium Caesarem p. 9. et ex eius libris rerum suarum pleraque hausisse se non diffitetur p. 194. Sed et commemorat Caesaris Epistolas 139. 140. et memorat iterum p. 195. allegat etiam Ciceronem p. 3. 118. 130. 133. 139. 194. 202. Epistolas ad Atticum p. 129. 202. Orationem Milonianam p. 85. pro Marcello 202. Sallustium p. 4. Virgilium p. 204. Senecam p. 157. 180. Valerium Max. p. 6. Plinium Sec. p. 157. Florum p. 78. 62. 79. 118. 115. 144. 189. Svetonium p. 8. 126. 127. 202. et Orosium pag. — et Augustinum pag. 180. e Graecis Xenophontem p. 202. et Platonis Phaedonem p. 180. Socratem p. 127.

VII. Editiones Caesaris primas Romanas a. 1469. 1472. per Conrad. Sweinheim et Arnoldum Pannartz fol. curavit Ioannes Andreas Episcopus Aleriensis: sed in ea sunt tantum Libri V. de Bello Gallico. Hinc commemorandae Veneta pulcherrima a. 1471. fol. apud Nic. Ienson, Romana 1476. fol. et Mediolanenses per Antonium Zarotum Parmensem, 1477. fol. et 1478. fol. per Philippum de Lavagnia, Tarvisina 1480. fol. per Mich. Manzolinum Parmensem, et Venetae 1482. fol. per Octavianum Scotum Modoetiensem, 1490. cum indice Geographico Raymundi Marliani 1494. fol. per Philippum de Pinciis Man-

tuanum, et 1499. fol. apud Benedictum Fontanam. Philippi Beroaldi Bonon. 1504. et 1508. fol. Aldinae a. 1513. 8. Florent. 1514. 8. Veneta Ioannis Iucundi Veronensis, Ord. Praed. ex Aldi officina, cum praefatione Lucae Olchinensis, Legum professoris, ad Rosellum de Rosellis, Patavinum per Augustinum de Zannis de Portesio 1517. fol. Prima, ni fallor, ex iis, quae iconibus Iucundi illustratae fuerunt. Veneta 1518. fol. per Raymundum Marlianum. Lugdunensis 1519. est cum Ioannis Iucundi castigationibus, qui conquisivisse se tota Gallia exemplaria, atque ad illa summa fide et diligentia emendasse Caesarem, scribit in Epistola ad Iulianum Medicem. Aldina a. 1519. 8. Florentina a. 1520. 8. apud Iuntas. Basileenses a. 1521. 8. apud Tho. Wolfium, et 1535. 8. apud Hervag. atque iterum apud Brylingerum. Parisiensis a. 1522. 4. curante Petro Danesio. Florentina a. 1523. 8. apud Iunt. cum *Io. Rhellicani* Tigurini notis sive praelectionibus Bernensibus in Caesarem Basil. 1543. 8. Has Fac. Theol. Paris. examinare iussit, postulante Procuratore regio v. d'Argentré Iud. de Novis erroribus T. II. p. 134. Caesaris commentarii collatis vetustis exemplaribus tam scriptis quam impressis accurate emendati cum picturis Ioannis Iocundi Paris. 1543. fol. apud Michaëlem Vascosanum. Cum notis *Henrici Glareani* Paris. apud. Rob. Steph. 1544. 8. una cum Marliani descriptione Galliae et Basil. 1566. 8. (Glareani notae separatim prodierunt Friburgi Brisgoiae 1538. 8. Lugd. 1546. 8.) Lugdunenses, a Seb. Gryphio 1536. 1540. 1543. 1547. 8. et forma minore 1545. 1555. 1560. ex antiquiss. exemplari excusa, cum Ioannis Iucundi Veronensis expositionibus. Exstant et editiones Gryphiane aliae a. 1538. 1549. 1560. 12. Lugdunensis 1558. 12. apud Frellonium. Cum Pauli Manutii emendatione Venet. 1559. 8. Cum scholiis *Io. Mich. Bruti*. Venet. 1564. 8. Argent. 1596. forma minore. Cum fragmentis Caesaris, libello Variarum Lectionum, emendationibusque ex Bibl. *Fulvii Vrsini*, Antwerp. apud Plantin. 1570. 8. additis Bruti scho-

liis

liis et Raym. Marliani descriptione locorum Galliae. Lausannensis editio a. 1571. fol. est ex *Io. Roseti* recognitione. Cum fragmentis Caesaris, et scholiis *Aldi Manutii*, Pauli F. et Fulvii Vrsini emendatt. Venet. 1571. 8. 1575. 4. 1590. 8. Lugdunensis a. 1574. fol. et 1574. 1581. 8. cum Manutii scholiis, Vrsini emendatt. et commentario *Francisci Hottomanni*. Cum notis Glareani, Hottomanni, Vrsini, et Manutii cum Inscriptionibus Vrbium Hispanicarum, ex museo *Iac. Stradae*, qui Codices Caesaris MSS. Italiae, Germaniae et Galliae profitetur se contulisse, Francof. 1575. fol. 1589. fol. Vrsini notae in Caesarem et alios prodierunt etiam Antwerp. 1595. 8. Exstat et editio Caesaris Plantiniana cum notis et castigatt. Iucundi, Bruti, Manutii, Fulvii Vrsini, et spicilegio *Io. Sambuci*. 1574. 1586. 8. *Io. Glandorpii* notae a Reinero Reineccio a. 1551. exceptae et a. 1574. editae. Lips. 8. Cum Pauli Manutii Epistola, Fulviique Vrsini et aliorum emendationibus et Francisci Hottomanni commentario, veterumque Galliae locorum Alphabetica commemoratione, auctore Raym. Marliano Frf. apud Io. Wechelum 1584. 8. Plantiniana Antwerp. 1586. 8. Raphelengiana anno 1593. ex recensione *Iusti Lipsii* 8. cum *Aldi Manutii* de Galliae divisione, et nomenclatore Geographico, excerpto ex thesauro Geographico *Abr. Ortelii*. Editio nova ex recognitione *Iosephi Scaligeri*, Lugd. Bat. apud Raphelengium 1606. 8. atque variis deinde locis saepissime. Cum notis Rhellicani, Glareani, Glandorpii, Ioach. Camerarii, Bruti, Manutii, Fulvii Vrsini, Petri Ciacconii et Hottomanni. Lugd. 1613. 8. quam editionem Grutero deberi suspicatur Reinesius Epist. ad Hoffmannum p. 677. *Rob. Titii* ad Caesarem de bello Gallico praelectiones IV. prodierunt Bononiae 1598. 4. Sed eiusdem commentarii perpetui et uberes ad Commentarios Caesaris, quos promisit in Epistola ad M. Velserum data Bononiae a. 1602. *s*) non viderunt lucem. *Francisci Zava* Commentarios ineditos memorat

s) Velseri Opera p. 869.

Arisius T. 2. Cremonae litteratae p. 311. Caesaris quae exstant cum notis Variorum ex recensione Iacobi Stradae additis tabulis topographicis et imaginibus machinarum bellicarum cum nova explicatione *M. Zuerii Boxhornii* Lugd. Bat. 1635. Mittimus alias minores nullius usus, et tironibus destinatas, ut *Christoph. Cellarii* et aliorum.

Prae caeteris commendandae sunt editiones 1. *Iungermannianae*, prima praesertim accuratior a. 1606. 4. ex officina Claudii Marnii et haeredum Ioannis Aubrii: (altera enim anni 1669. 4. et minus emendata et alioqui longe inferior est.) In hisce per capitum sectiones primum divisi Caesaris libri a Iungermanno, secuto exemplum *Iani Gruteri*, qui in Livio, Tacito aliisque scriptoribus similem operam, commodissimam studiosis, praestitit. *Graeca* versio, sive Planudae sive alterius, quam e Pauli Petavii Bibl. Bongarsius cum Iungermanno communicavit, adiuncta e regione libris septem de bello Gallico, et ad calcem voluminis subiunctae notae integrae Rhellicani, Glareani, Glandorpii, *Ioach. Camerarii*, Bruti, Manutii, Sambuci, F. Vrsini, Petri Ciacconii, Hottomanni, *Ioannis Brantii* Antwerpiani; *Gothofredi* quoque *Iungermanni* notae ad Graecum interpretem, et quae de ponte Caesaris commentati sunt Io. Iucundus, Hieron. Magius et Adr. Turnebus, denique Raym. Marliani et alius ex Ortelio fere petitus nomenclator Geographicus.

2. *Io. Georgii Graevii*, cum animadversionibus *Dionysii Vossii*, G. I. Filii, additis Caesaris fragmentis, Ios. Scaligeri notitia Galliae et notis super appellationibus locorum aliquot et gentium apud Caesarem, quae e Scaligeri autographo castigatiores et auctiores hic vulgantur, Amstelod. 1697. 8. Editionem hanc nitidam, quamvis ut Io. Clericus III. Bibl. selectae p. 365. notavit, non usquequaque emendatissimam, figuris quoque eleganter in aes incisis indicibusque instructam, non mediocriter commendant subiuncti de vita Caesaris commentarii, *Iulio Celso* perperam a nonnullis tributi, ut paulo ante dixi.

In

In secunda editione Amst. 1713. 8. additae sunt etiam notae *Davisii*. Perizonius notis ad Casp. Sanctii Minervam pag. 213. edit. noviss. eum notat, ut proclivem ad miranda aliena.

3. *Io. Davisii*, qui Caesarem ad antiquissimas editiones et MS. codicem illustris Episcopi Norvicensis recensuit, notisque suis et selectis variorum, quae paginis singulis substratae sunt, Ciaconii praecipue, Hotomanni, Brantii et Dionys. Vossii illustravit, adiecta ad calcem voluminis Graeca librorum VII. de bello Gallico Metaphrasi, cuius, *quicunque demum*, inquit, *sit auctor, vitiosis sane Codicibus est usus, et linguam latinam minus calluit, unde factum, ut a Caesaris mente passim aberrarit et ineptum sensum procuderit. Ideoque non meae voluntati sed aliorum votis sum obsecutus, cum eam interpretationem hic repraesentandam iusserim.* Prodiit eximia haec editio Cantabrigiae 1706. 4. et non sine auctario 1727. 4. in qua etiam usus est Davisius variis lectionibus e Codicibus Gudianis.

4. Splendidissimam editionem Caesaris, Duci fortissimo Ioanni Marlborugio dicatam, typis Iacobi Tonsoni, forma maioris folii in lucem dedit V. C. *Samuel Clarke* Lond. 1712. fol. typis luculentis, charta regia, adiunctisque amplis tabulis ultra octoginta, quibus variarum rerum Caesari memoratarum, et praeliorum atque obsidionum, *t*) et triumphi icones exhibentur. Caesar ipse cum argumentis et variis lectionibus, notatis in margine, excusus perquam emendate, ad calcem vero

 volu-

t) Langletus du Fresnoy T. 3. methodi historiar. editae Gallica lingua p. 220. sq. notat, icones petitas ex Palladii delineatione in versione Caesaris Italica: nec non ex libro primo versionis Gallicae, quam Reg. Christianiss. Ludovicus XIV. publico donavit: praeterea ex Cluverii Germania antiqua et Wolfg. Lazio de migrationibus populorum. His adde triumphos Caesaris, quos a Dominico de Rubeis expressos dixi supra, editosque Romae 1692. fol. Eodem loco Fresnoy optat illustrem *Follardum* simile studium similemque operam praestare Caesaris Commentariis, quam Polybio praestitit. Ac sane commentarios militares in Caesarem promisisse memini diss. 3. ad Polybium.

voluminis post Caesaris fragmenta, notae editoris Criticae, magno studio collatis editionibus et Codicibus MSS. licet alia in illa se editione desiderare scripsit Io. Georgius Eccardus diss. de portu Iccio Tom. VIII. Misc. Lipsiens. pag. 269. Indices bini subiuncti, Geographicus alter, alter rerum, admodum accurati et locupletes. Sine iconibus illis minori forma Clarkii Caesar recusus Lond. 1720. 8.

5. Novissima editio est *Fr. Oudendorpii* Lugd. Bat. 1737. 4. qui multos, quosdam perantiquos MSS. libros, multorumque excerptas ab aliis lectiones habuit, et edd. principes, quibus usus est ad textum recensendum et corrigendum: addiditque notas Dion. Vossii, Ioan. Davisii, Sam. Clarkii et suas, variasque lectiones librorum MSS. et edd. inter textum et notas: item Nomenclatorem Geographicum, Ios. Scaligeri Notitiam Galliarum, et fragmenta librorum Caesaris deperditorum; denique Indices rerum et notarum.

Minus nobiles sunt editiones *Arnoldi Montani* notis Var. Selectis Lugd. Bat. 1651. et saepe post. 8. *Io. Godwini* in usum Delphini 1678. 4. Londini aliquoties repetita, *Th. Bentleii*, 1742. ut *Maettarii*, *Parselli* mittam.

6. De editionibus scriptorum Caesarianorum in universum tenendum, antiquiores fere inter se consentire, ubi vitia operarum non intercedunt: quae sunt inprimis frequentia et foeda in ed. 1473. sine loci nota, quae tamen solos de B. G. libros habet. Sed a veteris textus forma longius recedere coeperunt, suis libris, etiam coniecturis freti, Phil. Beroaldus, Aldus, Seb. Gryphius et alii recentiores, per quos adeo textus saepe quidem emendatus, interdum tamen etiam vitiatus est, dum vel parum acute de variis lectionibus iudicant, vel suis coniecturis indulgent. Vere etiam iudicavit Dorvillius ad Charitonem p. 306. viros doctos, inprimis recentiores, qui Caesaris libros edidere, interdum Caesarem suo more loqui non esse passos, dum eum ad concisioris orationis formulam ubique exi-

exigerent, easque constanter uti cogerent, cum ille severam brevitatis legem non raro neglexerit: quo in genere etiam in aliis, brevitatem universe secutis, peccatum est: quamquam non negandum est, hoc genus scriptorum a librariis et Grammaticis interpolatum esse per glossas.

Interpretum cum magnus numerus sit, aliique aliud consilium secuti sint, pro ratione temporum et destinatione laborum suorum: saepe eadem in pluribus, saepe vulgaria et puerili aetati scripta occurrunt, unde saepe eadem legere oportet, si quis notas variorum adiunctas habeat in exemplo suo. Itaque bene fecit Oudendorpius, qui in editione sua tantum recentiores et optimos servavit: praesertim cum et hi superiorum bonis usi sint, atque ipsa, quae ab iis omissa essent, ubi consultum erat, non neglexerit.

Separatim de libris his aut aliqua eorum parte, bene vel meriti sunt, vel mereri voluerunt nonnulli viri docti, ut is quem supra memoravimus *Io. Raue*, Soranus; *Christoph. Praetorius* in Digressionibus ad L. I. de B. G. Stetini 1656. 4. *Petrus Ramus* in libro de militia Caesaris Paris. 1559. 8. repetitus Francof. 1584. 8.

Qui Orationis Caesarianae elegantiam cognoscere et ad eam dirigere scribendi rationem velit, ei profuerit plurimum *Io. Guil. Bergeri*, Oratoris Vitebergensis, et viri longe doctissimi opus de naturali pulcritudine Orationis, Lips. 1720. 4. quod totum in illa elegantia naturali sub exemplo Caesaris explicanda occupatur.

VIII. Versiones has fere habemus: *Gallice*, *Rob. Gaguino u*) Interprete ad Regem Carolum VIII. a. 1488. 1539. f. Ex versione Stephani de l'Aigve, (Aquaei) Paris. 1531. fol. 1539. fol. et ex recensione Antonii du Moulin, Lugd. 1545. 8. *Blasii Vigenerii*, Paris. 1576. 4. 1584. 4. et 1600. forma minore et Genev. 1602. Paris. 1603. 4. cum eruditis commentariis additaque comparatione Caesaris et Henrici quarti, auctore Antonio Bandalo. Paris. 1609. 4. 1617. fol.

 1625.

u) Obiit Gaguinus Maturinorum Generalis a. 1501. 22. Maii.

1625. 4. *Nicolai Perroti Ablancurtii* versio cum notis Paris. 1650. 1658. 4. 1665. 1672. 1677. 1699. Amst. 1678. 8. et 1708. 12. edita licet elegantior prioribus, et Lud. Burbonio Principi Condeo plurimi aestimata, tamen ut parum fidelis a Bladenio, Anglico interprete, et ab Abbate de Vayrac, x) qui novae Gallicae accuratioris versionis spem nuper fecit, perstringitur, quod pro fide et accuratione habens cultum nitoremque, alia perperam reddat, traiiciat et omittat alia, alia adiiciat. De versione *Henrici IV.* Galliae Regis inedita, et libri I. de bello Gallico, quae Rege Galliae *Ludovico XIV.* auctore y) prodiit Paris. 1661. fol. facta supra dictum. *Henrici Ducis Rohanii* liber Gallicus, *le parfait Capitaine*; autrement *l'abregé des Commentaires de Cesar*, cum Praef. Iohannis de Silhon, Paris. 1636. 4. et 1644. 4. et 1639. 1656. 12. et z) Amst. 1692. 12. et Lips. 1729. 8. excerpta e Commentariis Caesaris Gallice reddidisse una cum observationibus strategicis insignibus et tractatione de bello complectitur. Etiam Germanice, *der vollkommene Capitain, aus dem* Iulio Caesare Lipsiae 1730. 8. et *Kriegs-Regeln aus dem* Iulio Caesare. 12. Conjectures sur quelques difficultez qui se trouvent dans les premiers chapitres des Commentaires de Cesar (de bello Gallico) Vide Memorias Trevoltinas a. 1717. pag. 1230. seq. Memoirs of literature Tom. 3. pag. 234. Discours memorable du siege mis par Cesar devant Gergovie ville d'Auvergne et de Vergencetorix Roy des Auvergnats, par *Isaac Villevaux*, cum eius Antiquitatibus Claromontanis, Paris. 1589. 8.

Hispanice, 8. Toleti 1570. 4. auctore *Petro Garsia Oliva* et *Didaco Lopesio* interprete Madrit 1621. 4. ut Anonymi versionem omittam, editam Compluti 1529. f. quam haud diversam ab illa Garsiae vel Lopesii Toletani suspi-

x) Bibl. françoise T. XI. p. 328. Journal des Sav 1726. pag. 279. New memoirs of litterature T. 3. pag. 155.

y) Ductu Montauserii Ducis. Mem. de Trevoux 1720. pag. 568. 569. le Long Bibl. des Historiens de France p. 32.

z) Bocksaal van Europa a. 1693. pag. 474.

suspicatur Nic. Antonius Tom. 2. Bibl. Hispan. pag. 272. *Italice* Caesar excusus Augustino Vrtica della Porta Genuensi interprete, Venet. 1514. Mediolan. 1518. 4. Venet. 1528. 8. 1530. 8. 1539. 8. 1541. 8. 1547. 12. et ex Francisci Baldelli interpretatione Venet. 1554. 8. 1572. 12. et curante Andrea Palladio ibid. 1575. 1582. 1619. 1635. 4. cum haud contemnendis iconibus. Ineditam Petri Candidi Decembrii versionem memorant auctores Diarii Veneti, Giornale de' letterati d'Italia T. XII. pag. 347. Eadem lingua de arte militari in Caesarem commentatus est Laelius Brancatius, Venet. 1585. 4. Antwerp. 1610. 4. et Politicas observationes edidit Stephanus Ambrosius Schiappalaria Antw. 1578. Veronae 1600. 4.

Belgice, Delphis 1614. 8. per *Io. Fenacolium*, et ex recenti interpretatione *Abrahami Bogaert* Amst. 1709. 8. duobus Voluminibus. *Germanica* versio M. Ringmanni Philesii, Maximiliano I. Imp. inscripta, lucem vidit Argentorat. 1507. Augustae Vindel. 1531. apud Henr. Steiner et Moguntiae 1532. apud Ioannem Scheffer, fol. una cum praemissa vita Caesaris scripta a Plutarcho et Luciani comparatione Hannibalis, Alexandri, Scipionis et Caesaris, itidem Germanice. Post Ringmannum vertit Christoph. Feyerabend, Francof. 1565. 1588. 1620. fol. Libros tres priores Caesaris de bello Gallico et primores duos Ciceronis de officiis *Danice* vertit foemina nobilis *Margareta Quitzovia*. Vid. Alberti Thurae Gynaeceum Daniae litteratae p. 102. *Anglice* Georgio Chapmanno interprete, et cum Clementis Edmondi non indignis lectu observationibus, quibus Ars Romanorum militaris illustratur a) Lond. 1609. 1677. fol. Alia recentior et melior interpretatio Martini Bladenii, (eiusdem, qui Traiani Boccalini scripta Anglicis auribus dedit) ibid. 1705. 8. cum iconibus aere descriptis et ex quinta editione Lond. 1732. 8. *Arabicam* versionem b) cum voluptate dicitur lectictasse Turca-

a) Ant. Wood. Antiq. Oxon. pag. 181.

b) Mottanus Vayerus T. I. Opp. p. 366. edit. in fol.

Turcarum Imperator Solimannus. Vid. Dan. Guil. Molleri diss. de Iulio Caesare Altdorf. 1687. p. 47. Versiones Arabicae Caesaris, Curtii et Iustini MStae CPoli in Bibl. magni Vezirii. Bibl. Germanique T. XVII. p. 206.

IX. Scripta Caesaris deperdita, e quibus fragmenta quaedam in plerisque editionibus a Fulv. Vrsino et Petro Scriverio collecta ac recognita leguntur, haec sunt:

Orationes, 1. Divinatio. 2. qua Cn. Dolabellam annos natus unum et viginti insecutus est, quam cum admiratione lectam scribit auctor de caussis corruptae eloqu. c. 34. 3. Pro Decio Samnite. id. c. 21. 4. pro Bithynis, 5. pro lege Plautia, 6. pro Sextilio, 7. de coniuratis, 8. in funere Iuliae, 9. in funere Corneliae uxoris etc. Nonnullas ab notariis excerptas male subsequentibus verba dicentis, vel plane Caesari suppositas, notavit Svetonius in Iulio c. 55. ut mittam pro Q. Metello et duas ad milites in Hispania.

Epistolarum libri ad Ciceronem, ad C. Oppium et Balbum Cornelium, ad Q. Pedium, ad Pisonem, ad M. Antonium, Epistolae ad Senatum, quas primum ad paginas et formam memorialis libelli convertit, sive opistographas fecit. Confer I. Mabillonium de re diplomatica p. 41. Ad familiares domesticis de rebus etc. Quod vero Plinius VII. 25. Hist. narrat, Caesarem scribere et legere simul, dictare et audire solitum, epistolas vero tantarum rerum quaternas pariter, aut si nihil aliud ageret, septenas dictasse librariis; simile quid de Cardinali Granvellio referri memini. Vide sis Morerii Lexicon in *Perrenot*. Petrus Blesensis Epistola XCII. *Vidit quandoque Dominus Cantuariensis, et vos ipsi cum eo, multique alii, me de diversis materiis, tribus dictare scriptoribus, et uniuscuiusque calamo festinanti satisfacere: meque, quod de solo Iulio Caesare scribitur, quartam Epistolam dictare et scribere. Quod si alicui res ista in dubium venit, facti quaeso experientia faciat dicti fidem.* Quod

Epi-

Epistolas Caesaris laudans refert Appianus lib. 2. ἐμφυλίων pag. 477. legitur etiam in Caesaris lib. 3. de bello Civili cap. 92.

De Analogia libri duo, ad M. Tull. Ciceronem, quos Τέχνην γραμματικὴν videtur vocare Svidas in Γάϊος ἰέλιος. Eos commemorat idem Petrus Blesensis Epist. 101.

Dicta collectanea sive *Apophthegmatum volumina*, quae Augustus vetuit publicari. Sveton. Iulio cap. 56. Cic. IX. 16. Epist. ad Paetum.

Anti-Catones sive Orationes duae, quibus veluti ad iudices accusavit Caesar Catonem Vticensem, adversus Ciceronis librum, quo eundem laudibus ad coelum extulerat teste Gellio XIII. 19. Caesari videtur respondisse Brutus, Bruto Augustus Imp. Vid. viros doctos ad Svetonii Aug. cap. 85. et quae notavi ad fragmenta Augusti p. 168. Eorum mentio etiam est apud Ciceronem in Topicis c. 25. Caesar in iis quandoque Catonem ita reprehendit, ut laudaret, quemadmodum notat Plinius III. 12. Epist. Confer Petrum Crinitum VII. 7. de honesta disciplina. Atque Augustus Imp. non negavit, et ut bonum civem et ut virum bonum egisse Catonem. Vid. Macrobium lib. 2. Saturnal. cap. 4. Anticatones Caesaris in Bibliotheca quadam Leodiensi exstare Io. Lud. Vivi c) affirmavit Cardinalis Leodiensis.

Libri auspiciorum, quorum *decimus sextus* laudatur a Macrobio Sat. I. 16.

Auguralia, Priscian.

Poëmata, de quibus auctor de caussis corruptae eloquentiae cap. XXI. *Fecerunt et carmina* (Caesar ac Brutus) *et in Bibliothecas retulerunt, non melius quam Cicero, at felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt.* Ex his Poëma *Iter* memorat Svetonius in Iulio p. 56. et *tragoediam Oedipum*, quam perinde ut *laudes Herculis* ab adolescentulo scriptas publicari Augustus vetuit. Asconius in Orat.

c) Vide Vivem ad lib. 1. Augustini de Civ. Dei cap. 23.

Orat. pro M. Scauro tragoediam Caesaris *Iulios* memorat his verbis: *Idem inter primos temporis sui Oratores et tragicus Poëta admodum habitus est. Huius sunt enim tragoediae quae inscribuntur Iulii.* Alia etiam versu scripsisse constat e Plinii XIX. 8. et Donato in Terentii vita. Sed tragoediam Tecmessam male Caesari tribuit Lescaloperius ad Ciceronem de natura Deor. p. 624.

X. *Arati* Phaenomena latino carmine vertisse Caesarem, affirmant Firmicus libri 2. prooemio et lib. 8. c. 5. ac Svidas Γάϊος Ἰέλιος. Sed Caesarem Dictatorem cum Caesare confuderunt Germanico, de quo infra suo loco. Priscianus quoque Caesarem laudat in Arateo carmine, sed versus quos inde producit, Germanici sunt. At *de siderum motu* libros *d*) scripsisse Caesarem, Sosigene perito illius scientiae adhibito, certissimum est: latine, an quod Plinius in indice libri XVIII. videtur innuere, graece, non omnino videtur exploratum; suntque qui latine, ut caetera, scripsisse suspicantur. Plinius enim veluti excipiens L. Arruntium, addit: *qui graece de astris scripsit*, ut adeo non sit repetendum de Caesare dictatore, *qui item*, quod scripserit graece, sed tantum quod de astris scripserit, quia alioqui nomen eius potuisset Arruntio statim adiungere. Aliud tamen videtur praestantissimo Vossio, quem si placet vide lib. de scientiis Mathemat. c. 34. Eius sententiae videtur suffragari, quod Caesaris opere non tantum usi sunt latini scriptores, ut Plinius XVIII. 25. seq. et Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 16. sed quoque Graeci, ut Claudius Ptolemaeus in Φάσεσι ἀπλανῶν. Singularis porro Caesaris laus est, quod siderum cognitione usus est ad annum emendandum, *e*) cuius ratio ante eum

apud

d) Caesaris *libros de siderum motu*, quos Sosigene adhibito composuit, laudat Plinius XVIII. 25. qui ex Sosigene aliquid affert II. 8. de Mercurii stellae periodo. De hoc Sosigene Aegyptio, Peripatetico, Alexandri Aegaei praeceptore, dixi lib. 3. Bibliothecae Graecae c. 5. §. 21. Sosigenem Alexandri doctorem ὃν τῷ τρίτῳ περὶ τῆς ὄψεως laudat Themistius in 2. Aristotelis de anima pag. 79.

e) Caesar ipse apud Lucanum X. 185. seq. — *media inter praelia semper*

apud Romanos perturbatissima fuerit. Hinc *Calendarium Iulianum*, *f*) de cuius Historia, praeter Scaligerum, Petavium ac Cassendum, consulendus peculiari libro Gallice edito Franciscus Blondellus *Histoire du Calandrier Romain*. Paris. 1682. 4. Hagae Com. 1684. 12. Rationem vero literarum A B C D E F G H in Calendario Iuliano, non ut Scaligero et aliis visum, nundinas, sed Cycli lunaris rationes respicere, acute demonstravit eruditissimus vir Franciscus Bianchinus in dissertatione de Calendario et Cyclo Caesaris. Rom. 1703. fol. Non autem primus *modum anni solaris* invenit Caesar, sed ab Aegyptiis pridem inventum primus, Sosigenis maxime Astrologi opera usus, in civilem et publicum usum Romanorum induxit. Vide Aegidii Bucherii doctrinam temporum p. 325. seq. Sam. Petitum libro V. Eclog. Chronolog. Anni emendationem a Caesare factam commemorant etiam Dio lib. XLIII. Solinus cap. 3. Censorinus cap. 8. Plutarchus in Caesare et Macrobius I. Saturnal. c. 14. qui *Flavium* scribam adnotasse dies singulos Caesarique retulisse commemorat. Honorius Augustodunensis II, 71. de imagine mundi: *bissextum Iulius Caesar interposuit, et totius computi errorem per hunc correxit.* Vtrum Cyclum Lunarem ediderit Caesar, disputat illustriss. H. Noris, qui omnino consulendus in diss. de Cyclo paschali Ravennate c. IV. Astronomicis Caesaris observationibus usus etiam cognoscitur Claudius Ptolemaeus libro de apparentiis fixarum.

XI. Iussit etiam Caesar omnem orbem Romani nominis dimetiri per viros peritos, et hanc *descriptionem Cosmographicam* in literas referri, ut auctor est Aethicus scriptor Christianus, qui post Constantini M. tempora vixit, in praef. testatus argumentum et ordinem in Cosmographia

per stellarum coelique plagis superisque vacavi, nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus. Alanus in anti-Claudiano p. 49. — — *Speculatur ut Argus, temporis excursus ut Caesar cogit, ut Atlas sidera perquirit* — — —

f) In thesauro Antiquitatum Rom. Tom. VIII. exstat vetus Calendarium Iulianum, quod cum aliis antiquis Calendariis recenseo infra libro IV.

graphia sua esse eundem, quem mensores orbis sub *Iulio Caesare* et *M. Antonino*, atque sub Imp. *Augusto*, Zenodoxus (Xenodoxus) in Oriente, Theodotus ad Septentriones, Polyclitus ad meridiem obseruarint. Vnde non absurde colligunt viri docti, hoc ipsum opus esse *Cosmographiae* et *Itinerarii*, quod Iulio Caesari a Baldrico et aliis adscribitur, sed a variis postea interpolatum, immutatum, truncatum, auctum, qua Ethnicis, qua Christianis, ad nos peruenit, saepenumeroque editum est *g*) sub nomine *Aethici* Istri et *Antonini Augusti*. In aliis quibusdam Codd. MSS. *Antonio Augustulo* vel *Augustali*, in aliis *Iulio Honorio* Oratori *h*) tribuitur, sub cuius nomine librum huiuscemodi laudat etiam Cassiodorus de diuinis lectionibus cap. 25. Consule Vossium libro de Philologia p. 59. et de Hist. lat. p. 64. atque Cangium in CPoli Christiana parte I. p. 62. Barthius in suo codice *Antonini Aethici* nomen reperisse testatur. Nicolaus vero Bergierius in praeclaro opere de publicis et militaribus Romanorum viis lib. III. c. 6. non dubitat descriptionem orbis factam scriptoque signatam esse sub Caesaris iam et Augusti principatu, sed auctam deinde sub Antoninis, denique ab Aethico recensitam et pro sui ingenii ac temporum modo auctam stiloque suo et tempori aptatam.

Apud Galfredum Monemuthensem in historia Britonum lib. I. p. XXV. edit. Paris. et lib. IV. c. 2. edit. Commelianae p. 24. haec exstat Cassibellani Britonum Regis nomine ad Iulium Caesarem Epistola. CASSIBELLANVS Britonum Rex C. Iulio Caesari: *Miranda est, Caesar, Populi*

g) Editiones refero infra libro II. ubi de Pomponio Mela Geographo. Vide etiam quae notavi in fragmentis Augusti p. 206. nec non ad Dionis paginam 588. E. et Io. Nicolaum Funccium, de virili aetate Latinae linguae parte 2. p. 304. seqq.

h) *Iulium Oratorem* Cassiodoro memoratum Sirmondus ad lib. 1. Sidonii Epist. 1. Tom. 1. Opp. pag. 538. putat esse *Iulium Titianum*, cuius *libros prouinciarum* seu *Cosmographiae* Capitolinus etiam et Servius laudant, *fabulas Aesopias* Ausonius, *libros de agricultura* Diomedes, *Artis Rhetoricae praecepta* Isidorus, *themata Virgiliana* (de quibus infra et Servius, *Epistolas* denique illustrium foeminarum nomine fictas Sidonius.

puli Romani cupiditas, quicquid eſt auri et argenti ſitiens, nequit nos intra pericula Oceani extra Orbem poſitos pati, quia cenſus noſtros appetere praeſumat, quos hactenus quiete poſſidemus. Nec hoc quidem ſufficit, niſi poſtpoſita libertate ſubiectionem ei faciamus, perpetuam ſervitutem ſervituri. Opprobrium itaque tibi petiſti, Caeſar, cum communis Nobilitatis vena Britonibus et Romanis ab Aenea defluat, et eiusdem cognationis una et eadem catena praefulgeat, qua per firmam amicitiam coniungi deberet. Illa igitur a nobis eſſet petenda, non ſervitus. Quia enim libertatem potius quam ſervitutis iugum ferre didicimus, eamque in tantum conſuevimus habere, quod penitus ignoramus quid ſit ſervituti obedire, quam ſi ipſi Dii conarentur nobis eripere, elaboraremus utique omni niſu reſiſtere ut eam retineremus. Liqueat igitur Diſpoſitioni tuae, Caeſar, nos pro illa et pro regno noſtro pugnaturos, ſi, ut comminatus es, intra Inſulam Britanniae ſupervenire inceperis. Minus antiquitatem ſpirat Epiſtola Scotorum Pictorumque Regum nomine ad Caeſarem ſcripta, quae exſtat apud Ioannem Fordun lib. 2. Scotochronici. c. 15. p. 595. ſcriptorum XV. editorum a Thoma Galeo.

XII. Feruntur denique bina diplomata, i) quae velut a Iulio Caeſare ac Nerone Impp. *conceſſa Auſtriae*, pridem commentus eſt neſcio quis: ſed merito exploſit Franciſcus Petrarcha libro IV. Epiſtolarum ſenilium, Epiſtola ad Carolum IV. Aeneas Sylvius in Hiſtoria rerum Friderici III. et Io. Cuſpinianus in deſcriptione Auſtriae, primoque intuitu futilia, inſulſa et ridicula apparere, affirmat Petrus Lambecius lib. 2. de Bibl. Vindobonenſi pag. 962. Vide etiam Boeclerum ad Aeneae Sylvii Hiſtoriam pag. 126. ſeq. Sane his qui habeat fidem, idem ſibi perſuaſerit quoque, *Leubuſienſe* ſive *Lubenſe* in Sileſia coenobium Iulio

i) Iſta diplomata lector reperiet in Ioan. Chriſtiani Lunigii Archivo Imperii, partis ſpecialis contin. 1. Lipſ. 1711. fol.

Iulio Caesari origines debere, ut visum inepto cuidam versificatori, quem deridet Clariss. Christianus Stiefius in Epistola *k*) de urnis in Silesia Lignicensibus et Pilgramsdorfiensibus. Versus si quis forte desideret, hi sunt:

Est locus iste Lubens Iulio *de Caesare dictus*
Sclavonisando loquens consuevit dicere vulgus
Lubens *pro* Iulius, *qui primus castra metatus*
Isthic, et populus eius phanum veneratur.

Epigrammata insuper duo, elegantia sane illa, sed falso ad Caesarem auctorem relata, exstant, etiam in Iacobi Hommey supplemento Patrum pag. 549. seq. qui ea Marbodeo Redonensi Episcopo tribuit, parum verisimili coniectura illud certe quod incipit: *Thrax puer adstricto*, etc. rectius refertur ad Caesarem Germanicum. vide Io. Conradi Schwartzii Germanicum p. 153. Similiter *Decretum* sive *exemplum fidei publicae*, Viterbii, ut aiunt, inventum, quod dederit Caesar *Ciceroni*, *l*) tanquam spurium reiiciunt, qui fragmenta Iulii Caesaris collegerunt. In Ferreti musis lapidariis IV. 31. p. 263. sub Iulii Caesaris nomine leget, qui volet, hocce distichon:

Feltria perpetuo nimium damnata rigore,
Forte mihi posthac non adeunda, vale.

Nullum quoque exstat genuinum eiusmodi C. Iulii Caesaris *testamentum*, quod *L. Pisone socero recitatum in domo, idibus Septembris*, refert titulus adscriptus in instrumento plenariae securitatis, quod in cortice seu papyro Aegyptiaca scriptum a. C. 564. *m*) servatur in Bibliotheca Regia

k) De Stiefii Epistola consule Acta Erudit. a. 1704. p. 223.

l) Reines. Epist. ad Hofmannum pag. 677.

m) Hoc *Instrumentum plenariae securitatis* an. 38. Iustiniani Imp. scriptum a *Gratiano* quodam, in caussa haereditatis ad fidem dandam, compositum est a. C. 564. qua aetate lingua latina iam in Italicam desciscere incipiebat, ut notatum Salmasio observ. ad ius Atticum pag. 174. et de Hellenistica pag. 23. 38. vulgavit Gabriel Naudaeus Romae 1630. 1641. 4. et ante Naudaeum (quod ipsum fugiebat) Barnabas Brissonius an. 1582. libro VI. de formulis antiquis Romanorum p. 581. qui illud accepit a Gosselino Bibliothecae Regiae praefecto. Brissonii Apographum emendatius esse testatur Paulus Colomesius in Miscellaneis Historicis pag. 23. *Ayant conferé à Paris ces deux*

Regia Paris. Vide Io. Mabillonium de re diplomatica pag. 344. et 460. et dignum Mabillonii hyperaspisten Iustum Fontaninum in Vindiciis diplomatum antiquorum pag. 98. Chronicon Gotwicense T. I. pag. 3. Lutetiam Parisiorum conditam a Caesare, vel Iuliacum sive Iuliam Augustam, Volgastum Pomeraniae, vel castrum Luneburgicum, vel turrim Deae Vestae Magdeburgi, incerta fide a nonnullis traditum. Vide Casp. Barthii notas ad Guil. Britonem p. 28. et Io. Henrici Ackeri analecta historiae Caesareae pag. X. XI. Dictum Caesaris, *miserum esse ἐφόδιον senectuti, recordationem crudelitatis*, laudat Ammianus Marcellinus XXIX. 2. De Caesaris strategematibus Polyaenus VIII. 23. Recenti aetate haud infrequens Iulii Caesaris appellatio inter praenomina etiam privatorum, ut Iulius Caesar Scaliger, vir maximi ingenii et doctrinae: Iulius Caesar Vaninus, misera impietate notus: Iulius Caesar Dalmare, vir in pauperes liberalissimus, de quo Thom. Fullerus libro de viris illustribus Angliae Tom. 2. pag. 173. Iulius Caesar Bulengerus, aliique innumeri.

deux copies, je trouve que celle du President Brisson est un peu meilleure que l'autre, qui vient pourtant du même lieu, mais qui n'a pas été faite avec tant de soin, bien que c'ait ésté par l'Ordre du Cardinal de Bagny. Ante Brissonium etiam ediderat Petrus Hamo anno 1566. Novissime idem instrumentum ad autographum expressum accurato studio iterum vulgavit explicavitque Io. Mabillonius V. C. in supplemento ad opus de re diplomatica cap. XII. Paris. 1704. fol. capite XII. p. 73. et 90. Vide etiam p. 55. seq. et Barthol. Germonium S. I. de haereticis Codicum Ecclesiae corruptoribus p. 449. Character idem litterarum, qui occurrit in *Instrumento venditionis fundorum* scripto Ravennae temporibus Iustini iunioris an. Ch. 572. quod in papyro sive cortice Aegyptio exstat apud illustrem virum Iustum Fontaninum, et cuius specimen vulgavit Philippus a Turre eruditissimus Episcopus nuper Adriensis, in diss. Apologetica de annis Imperii M. Aurelii Antonini Elagabeli Patav. 1713. 4. pag. 142. adde Diarium Venetum eruditorum Italiae T. XVI. p. 134.



CAPVT XI.

DE

T. LIVIO.

I. *Livii aetas.* II. *Historiae Romanae libri CXLII.* III. *Ex his superfunt XXXV.* IV. *Earum editiones.* V. *Versiones.* VI. *Epitomae.* VII. *Supplementa.* VIII. *Scripta Livium illustrantia.* IX. *Libri deperditi frustra expectati.* X. *Scripta eius alia deperdita.* XI. *Livii alii scriptis clari.*

I. T. *Livius* anno Vrbis Romae 695. *a*) natus Patavii *b*) oppido vetustissimo Italiae ad Timavum fluvium, Romae postea Claudii Imperatoris studia moderatus, ut colligas e Svetonii Claud. c. 41. scriptor sublimi et lactea sermonis ubertate: unus res Romanas aequare feliciter ausus, obiit in patria septuagenario maior, quarto anno Tiberii Imp. Vrbis 770. post C. n. 17. Ab Augusto Livius

a) Si Eusebio fides in Chronico.

b) Hinc Asinius Pollio teste Quintiliano l. 1. c. 5. et l. 8. c. 1. aiebat se in Livii scriptis *Patavinitatem* quandam, hoc est, dictiones nonnullas Patavinis proprias et Romanis auribus insolentes observasse, quarum tamen nulla in scriptis eius, quae hodie supersunt vestigia superesse contendit Salmasius in funere linguae Hellenisticae p. 236. et Dan. Georgius Morhofius in libro singulari de Patavinitate Liviana Kilon. 1685. et inter alias eius diss. Hamb. 1699. 4. In huius libri capite III. Morhofius differit etiam de sepulchro ac monumento Livii, quod Patavini hodieque ostentant, ac pluribus celebravit Iac. Philippus Thomasinus in T. Livii vita (Patav. 1630. 4. Amst. 1670. 12.) capite IX. Confer, si placet, Sertorii Vrsati marmora erudita Epist. VIII. et Monum. Patav. p. 27. et 208. Trewenschroederi fastos Livianos p. 304. et Ioannem Mabillonium T. 1. Musei Italici p. 30. Marquardus vero Gudius V. C. observavit, monumentum hoc non esse T. Livii, sed cuiusdam eius Liberti, cui T. Livius Halys nomen erat, filiae. De Liviana Patavinitate Ptolemaeus Flavius Anconitanus cap. 45. coniectaneor. editorum Anconae 1522. 8. et in Tomo 1. Lampadis artium Gruterianae p. 972. et D. Balthasar Stolbergius de barbarismis et soloecismis N. T. obiectis c. 20. Nonnulla nuper in dictione Livii reprehendere ausus est Schurzfleischius praefatione ad dissertationes academicas; quemadmodum eius scribendi genus et stilum defendit Io. Tolandus in praef. ad Adeisidaemonem.

Livius dictus est *Pompeianus*, quod tantis laudibus extulisset Pompeium: neque id tamen amicitiae eorum offecisse testatur Tacitus IV. 34. Annal. Cum viveret, paucis probatum, sed post fata demum meritos honores consecutum affirmat vetus auctor apud Svidam in Κορυῦτος. Tamen nec vivi exiguam famam fuisse, fidem facit Gaditanus *c*) ille, qui Livii nomine gloriaque excitatus ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venit, statimque ut viderat, abiit. Nec mortuo impetum *d*) quorundam, aut criticorum *e*) rigorem constat pepercisse. *Candidissimum omnium magnorum ingeniorum aestimatorem* vocat M. Seneca suasoria VII. et Tacitus IV. 34. Annal. *eloquentiae ac fidei praeclarum inprimis*, magno et vero elogio: Livii lectione a morbo convaluisse narrant Ferdinandum Catholicum: perinde ut Curtii Alphonsum Arragoniae Regem. Buchananus vero ut Livium nobis alterum exhiberet, libros eius superstites a capite usque ad calcem traditur perlegisse non minus vigesies, *f*) atque ita ad opus Historiae Scoticae componendae se accinxisse. Alia in Livii laudem Augustus Buchnerus dissert. Academica 393. Citatur a Livio *Fabius Pictor*, scriptorum antiquissimus I. 44. II. 40. VIII. 30. X. 37. Tum *Valerius Antias* IV. 23. XXV. 39. XXVI. 49. XXIX. 35. XXX. 19. 29. XXXII. 6. XXXIII.

c) Refert Plinius II. 3. Epist. et S. Hieronymus Epist. 103. ad Paulinum

d) Caligulam de scriptis T. Livii abolendis cogitasse narrat Sveton. c. 34. Idem de Gregorio I. Pontifice infra referam. Caligula vero Livium reprehendit ut verbosum in historia negligentemque, Gregorius ut prodigiorum nimis frequentem praedicatorem. Mentitum in quibusdam notavit etiam Vopiscus Aureliano c. 2.

e) Io. Brodaeus ad III. 23. Antholog. p. 379. *Livium citare quid attinet, sempiternum Gallorum adversarium (sicuti recte collegit Glareanus) cuius fides merito infamatur, atque ut invidiae plena ab Antonino Pio* (respicit locum in Antonini Itinerario) *ut gloria a Plinio* (praefat. Hist. nat.) *ut mendacii ab Augusto, Liviomastige scilicet, Pompeianum eum appellante* (Tacit. IV. 34. Annal.) *ut perperam, cum Halicarnasseo, Diodoro, Polybio, a multis, ut secum pugnans, a Laurentio Valla; ut fabulosa veluti de Caco et Evandro liquet, notatur lactea illa ubertas etc.* Iac. Palmerius in Exerc. ad optimos auctores Graecos pag. 188. seq. carpit, ut aretalogum et Romanorum mancipium, plagiarium Polybii, Galli nominis inimicum etc.

f) Elias Francus praefat. programmatum, editorum Islebiae 1699. 8.

XXXIII. 10. 30. 36. XXXIV. 15. XXXVI. 19. 38. XXXVIII. 23. et *Macer Licinius* IV. 7. 20. 23. atque *Q. Tubero* IV. 23. X. 9. Ex Graecis scriptoribus *Polybius*, quem non incertum auctorem appellat XXXIII. 10. XXXIV. 10. XXXVI. 19. XXXIX. 52. Saepe etiam mentionem facit *librorum linteorum*, quorum fide, tanquam auctoritate actorum publicorum, scriptores antiquissimi sunt usi, sed de illis dictum infra lib. 4. c. 5. n. x. De defectu fide dignorum monimentorum *g*) antiquioribus temporibus caliginem offundente queritur tum alibi, tum VIII. 40. *Et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa, nec quisquam aequalis temporis illius scriptor exstat, quo satis certo auctore stetur.*

II. *Historiam Romanam*, sive, ut ipse XLIII. 13. et Iulius Firmicus *h*) appellat, *Annales* ab Vrbe condita ad bellum Germanicum mortemque Drusi, h. e. ad annum 744. persecutus est libris CXLII. *i*) quos scripsit aliquot et forte pluribus, ut videtur, *k*) annis post clausum ab Augusto Imp. prima vice templum Iani, cum ille anno Vrbis 725. in pugna Actiaca M. Antonium vicisset. Ex his non exstant plures hodie quam 35. in quorum secundi capite 21. queritur, haud facile fuisse etiam illis temporibus certi quid et explorati de antiquioribus Romanorum aetatibus

g) Hinc *frequentissime dubitare* Livium scribit Quintilian. lib. 2. cap. 4.

h) Vide Io. Friderici Gronovii Monobiblon Observationum in scriptores ecclesiasticos p. 95.

i) *Epitomas* habemus librorum tantummodo CXL. Sed libri CXXXVI. et CXXXVII. epitome desideratur, ut observatum Sigonio, qui in MS. Codice vacuum intervallum deprehendit, adeoque assentitur Petrarchae libros non CXL. sed CXLII. a Livio scriptos esse testanti. Vide Tomum tertium editionis Gronovianae pag. 1076.

k) Lipsius lib. 1. cap. 20. Electorum, Vossius de Hist. lat. et Hanckius V. C. lib. 1 de scriptoribus rer. Rom. cap. IX. ante Cantabros A. V. C. 729. domitos scriptum librum saltim primum Historiarum Livii non dubitant. Sed Ioannes Masson Historiae et Chronologiae veteris peritissimus lib. de Iani templo Christo nascente reserato pag. 51. seq. et 165. serius Livium in Historiam scribendam incubuisse non absurdis contendit argumentis. Anno Vrbis 725. coepisse scribere Livium, et a. 745. ultimam Historiae suae manum imposuisse, H. Dodwelli coniectura est in Annalibus Velleianis p. 65.

tibus tradere. *Tanti*, inquit, *errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec qui Consules secundum quosdam, nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate non rerum modo sed etiam auctorum dicere possis.* In temporum notatione Livius, perinde ut Dionysius Halicarnass. secutus est rationes Catonianas, quae aeram Vrbis Varroniana biennio faciunt recentiorem. Vide H. Dodwelli dissert. X. de Cyclis §. 59. 80. 87. ad initium Tab. XIII. et appendice ad praelect. Cambdenian. atque in Apparatu ad Dionysii Halicarnassei Chronologiam, et in Chronologia ipsa, quae Dionysio in editione Oxoniensi subiicitur, Liviique singulis paginis editionis a Thom. Hearne curatae est adscripta. In re militari Romana peccasse aliquando Livium, confundentem tempora ac diversas aetates, notavit Salmasius lib. de re militari Rom. p. 1295. 1300. 1302. 1310. 1319. seq. 1416. etc. T. 10. thesauri Antiquitatt. Rom. Graeviani.

III. Ex illis XXXV. *l*) libris, quos dixi exstare, sunt *primi decem*, qui origines Vrbis historiamque usque ad annum 460. complectuntur. Deinde *vicesimus primus*, et qui sequuntur, *usque ad quadragesimum quintum*, quibus historia ab initiis belli Punici secundi, quod anno 536. coepit ad an. 586. perducitur. Symmachi et Sidonii aetate, Livii quos hodie desideramus libri adhuc exstabant. *Revolve*, inquit Symmachus IV. Epist. 17. *Patavini scriptoris extrema, quibus res C. Caesaris explicantur.* Sidonius Epist. IX. 14. *Burgundioni*, panegyricum Iulii Caesaris meditanti; commendat *quae titulis Dictatoris invicti scripta Patavinis sunt Voluminibus.* Librum centesimum

l) Ita malui Libros quam Decadas numerare, quia Livium in Decadas non ipse qui scripsit, sed legentium ignavia scidit, ut pridem monitum Francisco Petrarchae in Epistola ad Boccacium pag. 1001. Vide Petrum Crinitum XII. 7. de honesta disciplina et Sigonium in limine notar. Vossium arte Historica p. 131. Vt Livius in Decadas sic Olympiodori Historiarum libri in δεκαλόγυς dividuntur apud Photium Cod. LXXX. Liber CXXXVI. allegatur a Censorino cap. 17. Librum CXIII. bis citat Priscianus.

simum tertium citat Serenus Sammonius, ubi de carbunculo morbo:

Tertia namque Tibi simul et centesima LivI
Charta docet, ferro talem candente dolorem
Exsectum, aut poto raparum semine pulsum.

Guilelmus Malmesburiensis lib. 2. rerum Angliae pag. 183. *Iulium Caesarem Livius commemorat quinque solum cohortes* habuisse, quando civile bellum inchoavit, cum quibus, inquiens, Orbem terrarum adorsus est.* Ex eodem Livio p. 162. videtur afferre dictum Scipionis: *Imperatorem me mater mea non bellatorem peperit.* Livii *Macedonica*, quae laudat Angelus Decembrius libro VII. politiae literariae p. 552. non alia sunt, quam quae editis historiarum libris continentur XXXIX. sqq. Dolendum est, lucem non vidisse Lambecii, quam lib. 2. pag. 944. 977. promisit, dissertationem de XII. Codicibus MStis Livii, qui una cum duabus et triginta eiusdem Historici praecipuis, editionibus in Bibl. Caesarea Vindobonensi asservantur.

IV. Primus Livii libros reperit et publicavit, sc. exemplis describendis, Christoph. Landinus, ut tradit Sabellicus de L. L. instauratione p. 334. Sed exemplum Livii habuit iam Petrarcha. v. ipsum pag. 948. Opp. Nec ille Codex Landini omnes, qui nunc eduntur, libros habebat; sed paullatim e variis Codicibus lacunae expletae et numerus librorum auctus est, ut in Catalogo editionum docebimus. Editio princeps est Romana sine anni nota, incertum a. 1469. an 1470. facta grandi fol. per Io. Ant. Aleriensem curata est et inscripta Paulo II. Pontifici et Marco S. Marci Cardinali, cuius vix 272. exempla excusa traduntur. In ea sunt libri undetriginta, nempe 1—10. et 31 — 40. sed sine libro 33. qui et ab omnibus abest, usque ad editionem Moguntinam: etsi in nonnullis exemplis numerus denarius plenus videtur: de quo mox. Ea autem repetita est 1472.

Sequi-

Sequitur Veneta anni 1470. per Vendelinum Spirensem, fuitque in Bibl. Eliensis Episcopi Ioannis Mori. Eodemque anno repetita esse traditur Augustae Vindelicor. et extare eius exemplum in Bibl. Lips. sen. Hoc quidem falsum est.

Proxima huic est editio Rom. 1471. f. per Vdalr. Gallum, curante Io. Ant. Campano, cuius exemplum est in Bibl. Paullina Lips. pulcra illa, sed in cuius textum quaedam e coniecturis Vallae recepta sunt.

Andreae editionem secuta in plerisque Mediolanensis est an. 1478. fol. arte et impensis Philippi Lavagniae: et 1480. fol. ibid. ex recensione Petri Iustini Philelphi, apud Antonium Zarottum. Per Michaëlem Manzolinum Parmensem a. 1480. fol. sine loci nota Livius editus est, Tarvisii, ut probabile est. Sed extat et alia Tarvisina, recensente Luca Porro a. 1482. alia 1483. et alia 1485. fol. opera Ioannis Vercellii. Maettarius etiam memorat Parisinam a. 1485. f. T. V. P. II. pag. 532. sed ex aliena et incerta traditione. Venetiis dehinc prodiit anno 1491. cum Sabellici annotationibus fol. in qua MS. vetere usus erat; altera 1493. et alia 1495. fol. alia a. 1498. per Bartholomaeum de Zanis a Portesio; quinta a. 1501. per Georgium de Rusconibus Mediolanensem fol. sexta anni 1506. fol. septima a. 1511. Est et Mediolanensis a. 1495. fol. et anni 1501. fol. a. 1505. f. quae passim notata manu Iani Parrhasii exstat Neapoli in Bibl. Nobilissimi Viri Ios. Vallettae. Extat et alia s. a. et l. cum Alex. Minutiani Epistola, scripta 1505, quae est sine dubio Mediolanensis. Item Veneta 1506. per fratres Vercellenses cum Sabellici notis, et Veneta 1511. per Phil. Pincium. Extat et editio in 8. Voll. 2. cum Augustini Becharii alloquio ad studiosos, quam Parisiensem Ascensii faciunt et assignant vel anno 1501. ut Io. Frid. Gronovius, vel 1511. ut Drakenborchius, sed forma literarum est, quam *cursivam* dicunt, quae a. 1501. nondum nota extra Italiam fuit (v. edd. Virgilii) estque ipsa talis, qualis est in edit. Quintiliani per Io. Rossellum, et Plauti per Carpentarium

tarium, qui Lugduni artem typographicam exercuit. Parisienses cum Sabellici notis apud Ascensium a. 1513. et 1516. fol. ex decem exemplaribus collatis per Gerh. Vercellensem Burgundum.

In quibusdam editionibus huius classis, Liber XXXI. in duas partes scissus est; et alteri parti titulus Lib. XXXII. additus, ut e XXXII. fieret XXXIII. qui tum nondum inventus erat, quod notatum est in editione Veneta 1506. p. 197. Et sic factum reperimus v. c. in ed. Ven. 1485. Ceterum paullatim pleniora facta sunt Livii exempla, ut iam videbimus.

Liber XXXIII. (sed prioribus 17. fere capitibus truncatus) et *pars posterior libri XL.* a capite 37. primum prodiit in editione Livii Moguntina an. 1518. vel 1519. fol. e codice antiquo Langobardicis litteris scripto aedis S. Martini illius urbis, ex officina Io. Scheferi, qui Io. Fausti nepos fuit, curantibus Nic. Carbachio et Wolfg. Augusto, cum praefationibus Hutteni et Erasmi, et variis lect. ex eodem codice librorum septem posteriorum de bello Macedonico. Ab hac igitur praestantissima editione altera quasi classis editionum incipit.

Aldina officina Livium dedit a. 1518. 1519. 1520. tribus voll. 8. cura Francisci Asulani e variis codd. et Moguntina editione castigatum, sed additum est a. 1521. quartum volumen, in quo sunt Epitomae librorum omnium, Florus et Polybius e versione Perotti: denique a. 1533. quintum, in quo sunt libri Livii ab Grynaeo reperti et editi. Quartum quidem volumen Livianae editionis esse patet, quod eadem et sunt in maiori editione Aldina, et hoc quintum est velut appendix superiorum. Itaque editio minor Aldina plena est quinque Voluminum. Sed illa altera Aldina maior prodiit Venet. 1520. in f. in qua insunt omnia, quae in quatuor Voll. ed. minoris reperiuntur. Eius praefatio habet plura ad typographicam illorum temporum rationem pertinentia, ut propterea lectu digna sit, inprimis querelas

querelas de Iuntis, qui et ipsi edidere Livium Flor. 1522. et 1532. 8. ex Aldina.

Hinc Coloniae editionis factae altera 1525. f. *Iac. Sobium*, quae superioribus castigatior est, et 1528. ap. Cervicornum, cuius praefatio promittit textum castigatiorem: et est ille paululum diversus a superioribus, quod e variis lectionibus is, qui curavit, delegit eas, quae meliores videbantur. Sed non est id magnum. Has secuta traditur Parisiensis 1527. f. et aliae duae a. 1529. ap. Savetier et 1530. apud Ascensium, quae nil novi boni habent.

Tertiae Classis princeps est Basileensis 1531. fol. curata a *Sim. Grynaeo*, praefante Erasmo, in qua primum Liber XLI. cum quatuor proximis e MS. antiquissimo, a Grynaeo in Monasterio Laurishemensi reperto, editi sunt, qui Codex nunc est in Bibl. Augusta Vindobonae. De eo videndus Lambecius in Comm. de illa Bibl. L. II. p. 493. sq. ubi et ostendit, multa adhuc ex illo Codice corrigi posse. Nam qui primi ex aliquo Codice librum aliquem edidere, raro ea diligentia usi sunt, qua debebant, sed magna fere spicilegia reliquerunt, id quod multis exemplis constat.

Hanc secutae sunt illo seculo plures aliae, ut Venet. 1532. f. ap. L. A. Iuntam, repetita an. 1541. Paris. eod. an. ap. Sim. Colinaeum 8. nitidissima: tum Lugdunenses plures a. 1537. 8. ap. heredes Vincentii, 1541. 1548. 1554. ap. Seb. Gryphium variis formis, cum notis variorum: item 1553. fol. ap. Frellonium cum notis var. Basileenses porro 1535. 1539. et 1540. 1543. 1549. quae a Curione castigata est, habetque notas superiorum, f. apud Episcopium Frob. Hervagium, quae superiorem 1531. repetunt. In ea, quae 1535. prodiit sunt notae *Gelenii* et *Rhenani*, et Chronologia *Glareani*, ita in ed. 1537. 8. In illa decimo libro subnotata leguntur haec verba, quae et alii m) viri docti in scriptis Livii codicibus deprehenderunt: *Nicomachus Dexter V. C. emendavi ad exemplum parentis mei Clementiani. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis.*

m) Vide Sirmondum ad Sidonium VIII. 3. Epist.

machis. Porro 1554. et 1555. f. cum notis L. Vallae, Sabellici et Curionis, qui ducentos locos se restituisse dicit.

Extant et aliae *Venetae* tres Manutianae a. 1555. 1566. 1572. f. et quarta Aldi Nep. 1592. f. cum Scholiis Sigonii in textum Livii et Chronologiam Liv. In ed. 1572. sunt etiam Defensiones Scholiorum Sigonii contra Robortellum et alios iam in ed. 1592.

Parisiensis a. 1543. f. apud Vascosanum et Andöenum Parvum repetit Gryphianam a. 1542. additis tamen pauculis notis Sabellici, eaque repetita est a. 1552. f. et 1562. Item 1572. f. per *Iac. Goherium*, cum multorum notis.

Tum *Francofurtenses* officinae hoc seculo feraces editionibus Livii esse coepere. Vt mittatur ed. a. 1537. 8. si tamen vera est traditio: anno quidem 1551. 8. prodiit ibi Livius cum notis *Guil. Godelevaei*, quae post in alias plures venere. Inde *Franc. Modius* recensuit ad MSS. Codd. in his Maguntinos, additis variorum notis, ex qua recensione sunt edd. a. 1568. f. 1578. f. 1588. f. et 8. et 12. 1599. At edd. a. 1608. f. 1609. 8. 1619. 8. 1628. f. 1634. 8. et 1659. 8. in quibus sunt notae additae pleraeque in Livii textum, quae tum extabant, sunt e recensione Gruteri, ut 1608. 1619. 1628. et eam recensionem et ceterae duae secutae sunt. Modius etiam addidit fragmenta historicorum veterum e collectione Riccoboni. Bene etiam instituit Gruterus libros in partes minores secare, capita vulgo dicunt, prima statim in editione a. 1608. Notae quidem Gruteri ipsius, quae demum in ed. tertia accessere, maiori parte sunt politicae, estque ipse maxime auctor novi tum instituti politicarum observationum in auctores latinos, praesertim historicos, quod diu valuit sine fructu ad litteras, per I. Fr. Gronovium et I. G. Graevium ad contemtum adductum, deinde etiam ex usu sublatum: hodie etiam ridetur. Sed et criticae plures sunt eaeque bonae; unde discimus eum Codd. MSS. in primis duabus decadibus et edd. pr. adhibuisse. Multa tamen in textu sine libris et de aliorum coniecturis mutavit.

Cete-

Ceterae editiones Seculi XVI. sunt Paris. 1573. f. ap. Sonnium cum omnium prope, quae tum extabant, notis et commentariis *Londini* 1589. cum notis Robortelli et Godelevaei.

Seculi XVII. initio novum auctarium accepit Livius in ed. Romana a. 1616. 8. ap. Zannettum, additis capp. XVII. primis L. XXXIII. e MS. Bambergensi per *Casp. Lusignanum*, et cum *Ant. Quaerengi* castigationibus. Peccatum erat numero, scripto L. XLIII. pro XXXIII. quod in fine notatum est. v. Drakenb. Catalogum edd. Liv. Liber ille XXXIII. etiam separatim editus est Venet. 1616. 8. castigatius Paderbornae 1617. 8. ab *Io. Horione* cum eiusdem notis, et Paris. 1616. 8. Inde post in aliis edd. insertum hoc supplementum, Francof. 1619. etc. Lugd. 1621. 4. Genevae 1622. 8. Tum Paris. 1625. f. repetita est, sed valde vitiose, editio Gruteriana. Editus etiam est Livius Amst. 1633. ap. Blavium 12. Lugd. B. ap. Elzevirios 1634. ex recensione *Dan. Heinsii.* 12. Voll. 3. item 1635. si verum tradit I. Fr. Gronovius in praef. ad Livii ed. suam.

Post ad Livium recensendum appulit animum *I. Fr. Gronovius*, primum edendo textu Liviano Lugd. B. 1645. 12. Voll. 3. et additis notis in Vol. quarto: textus solus ex illa recensione repetitus est 1654. 12. item Amst. 1661. 12. 1678. 12. Altera editio Gronovii cum notis sub textu facta est 1665. Voll. 3. in 8. additis et notis aliorum: quae repetita est per filium Iacobum a. 1679. Amst. 8. quae est editio optima, repetita Cantabrigiae eod. a. 8. Primus hic satis accurate textum Livii tractavit et multum novae lucis attulit Livianae et exquisitiori latinitati: estque hoc exemplum saluberrimum scriptorum latinorum accurate tractandorum, et tamen sine ostentatione doctrinae. Addendus autem est Liber quartus Observationum Gron. in quo loca Livii permulta diligentius et copiosius tractantur. Ceterum ed. haec repetita et Basil. 1740. 8. Prodiit etiam textus Livii aliquoties Patavii, seculo illo et nostro. In recentissima 1727. vidi peccatum esse in hoc, quod cap. 17. L. XXXIII.

L. XXXIII. omissa sunt, dum typographus secutus est exemplum vetus, in quo ea deerant.

Extremum seculum superius et hoc nostrum plures editiones extulit, in his egregias quasdam

1. Parisiensem 1679. 4. Voll. 6. in usum Delphini per *Io. Douiatium*, cum interpretatione et notis suis, denique supplementis *Freinshemii*, quae primum corpori Liviano in hac ed. adiuncta sunt. Sed eius opera idoneis iudicibus parum probata est. Ipse etiam lacunas quasdam librorum posteriorum explere tentavit, non satis feliciter.

2. Oxoniensem 1708. 8. Voll. sex. cuius auctor fuit *Th. Hearne*, qui plures MSS. Codd. contulit, quorum lectiones diligenter excerpsit, atque etiam notas suas, sed perpaucas addidit: item Dodwelli Diss. de fragmento Liviano, de quo post, et Duiatii supplementa lacunarum. Textus est Gronovianus.

3. Amstelodamensem 1710. 8. Voll. 10. cuius auctor fuit *Io. Clericus*, qui notulas suas, non magni usus, nec semper bonas addidit, Freinshemii Supplementa, tabb. geographicas et indicem copiosum. Textus est Gronovianus. Destinata videtur usibus tironum scholasticis, in quorum commodum etiam repetita est Lipsiae a. 1735. 8. cum elegantissima et lectu dignissima praefatione *I. M. Gesneri*, in qua de cursoria auctorum lat. in Scholis, inprimisque Livii lectione disserit. Forte eiusdem repetitio est in ed. Lond. 1722. Voll. 6. sine nomine editoris.

4. Diligentius his et melius versatus est in Livio edendo *I. B. L. Crevier* Prof. Rhet. in Coll. Dormano-Bellovacensi Univ. Paris. qui textum Livianum edidit quinque Voll. Paris. 4. a. 1735 — 1740. additis supplementis Freinshemianis et notis suis. Textus basis est Gronovianus, sed locis, etsi perpaucis, correctus e MSS. et edd. pr. coniecturis in notas reiectis, quae sunt non adeo multae, breves et sine ostentatione doctrinae, interdum tamen leviores et tironibus quam viris aptiores. In iis conficiendis usus est superioribus interpretibus, inprimis Sigonio et Gronovio,

sed

sed quae ab iis sumsit, sub eorum nominibus dedit. Vbi longiore et exquisitiore disputatione opus erat, rem reiecit ad calcem operis. Explevit et lacunas, in ipso textu positis supplementis suis. Recognovit etiam supplementa Freinshemii, nonnullis locis emendavit, et notulas addidit: vno loco etiam aliquid addidit L. CXXII. Indicia denique auctorum in margine saepe correxit. Accessere Indices, Geographicus et rerum in textum Livii et Suppl. Freinsh. qui e Clerici editione sumtus est. Indicem Latinitatis, promissum in praefatione, non dedit. Sed de instituto viri doctissimi, qui velint diligentius cognoscere adeant praefationem, in qua et de Livio et eius editoribus et interpretibus dixit. Ceterum huius editionis textum, additis brevibus notis ad usum tironum, edidit iterum Paris. 1746. 12. Voll. 6.

5. Sed longe praestantissimam editionem debemus *Arnoldo Drakenborchio* Prof. Traiectino, septem Voll. a. 1735 – 1746. Amst. et Traj. 4. Sex priora Voll. habent Livii textum et Suppl. Freinsh., septimum varios primum libellos ad Livium ipsum, eius historiam et loca quaedam Liviana pertinentes, ut Thomasini T. Livium, Morhofii de Patavinitate Liv. Sigonii Chronologiam et defensiones, Iac. Gronovii Epp. super locis Livii, Excerpta e Iac. Perizonii Animadv. hist. et I. Fr. Gronovii Obs. L. IV. Dodwelli Diss. de Fragm. Liv. Bulialdi Ep. super XXXVII. 4. Aegyptii de SCto de Bacchanalibus etc. Praefationes edd. praecipuarum. Praeterea Catalogum MSS. quibus ipse usus est, et edd. superiorum omnium addidit, in quo multa accuratius, quam vulgo traduntur, et ad usum Criticum aptius. Claudunt volumen Indices 1. in notas huius ed. utilissimi ad rem Criticam: 2. rerum in textu Livii et supplementis Freinshemii. Huic volumini etiam praemissa est praefatio egregia, in qua inest primum Critica tractatio de Interpretibus Livianis inde a Laur. Valla, de cuius studiis, libris, fatis accurate exponit, et editoribus, deinde expositio instituti sui. Notas textui subiecit integras

Vallae,

Vallae, *Sabellici*, *Rhenani*, *Gelenii*, *Glareani*, *Sigonii*, *Vrsini*, *Sanctii*, *I. Fr. Gronovii*, *T. Fabri*, *H. Valesii*, *Iac. Perizonii*, *I. Gronovii*, excerptas *Nannii*, *Lipsii*, *Modii*, *Gruteri*, denique ineditas *Dukeri*, eximias ad rerum intelligentiam inprimis, et *Iani Gebhardi*, denique suas ipsius praeclaras et eruditissimas. Omnino ille et in textu tractando et constituendo diligentissime et feliciter versatus est, et in notis scribendis, quibus diligenter legendis plurimum disci potest ad universam rationem Criticam et latinitatis exquisitae scientiam, etiam rerum Rom. cognitionem.

6. Huius editionis textus repetitus est Lips. 1769. 8. Voll. 3. addita Varietate lectionis Gron. et Creverianae, et Indice rerum ex ed. superiori, curante *Aug. Guil. Ernesti*, qui et Glossarium latinitatis, sive Indicem lat. Liv. exquisitioris cum interpretationibus necessariis addidit, utilissimo non modo ad usum tironum, sed etiam doctorum virorum instituto.

Sunt et aliae minores edd. ut *Patavinae*, *Maettarii*, quae solum textum e superiori aliqua exhibent; quas praetermittimus, cum earum indicium nullum usum habere possit: quamquam huius generis et aliae superioris seculi sunt inter eas, quas supra indicavimus.

Si quis velit Correctores et Interpretes Livianos accurate nosse, et quae cuiusque indoles, quae dignitas sit; quamquam a nobis indicatum est de plerisque, tamen suademus legere Creverii praefationem, sed maxime Drakenborchianam, in qua est vera disciplina huius iudicii de Interpretibus et editoribus. Ceterum sine dubio in Critico et exegetico genere principes sunt *Sigonius*, *I. Fr. Gronovius*, *Dukerus* et *Drakenborchius*, quibus in Critica ratione, praesertim a parte diligentiae et ἀκριβείας proxime accedit *Ianus Gebhardus*. Hos igitur legent, qui in Livio qua verba, qua res recte cognoscendo bene versari velint.

V. T.

V. T. Livius *Gallice* versus est a *Blasio de Vigenere*, qui notas quoque in primam decadem scripsit, prodiitque Paris. 1583. 1606. 1617. fol. 2. vol. d. et ex versione *Petri Ryeri*, qui supplementorum itidem Freinshemii libros sexaginta vertit, Paris. 1653. fol. 2. vol. Lugd. 1653 12. quatuordecim volum. et Roterd. 1700. 12. octo vol. Franciscus a Cruce Caenomana in Bibliotheca Gallica complures memorat Livii versiones ineditas *Gallicas*, ut *Petri de Clinchamp*, aliasque *Andreae Bovivi*, *Hieronymi de la Vairie* et *Petri Berchorii* sive *Berthorii*, qui Livium iussu Regis Iohannis interpretatus est, obiitque a. C. 1362. In Bibl. Menarsiana p. 63. fol. n. 775. *Tite Live en vieux Francois MS. sur velin.* et n. 778. *Les Decades de Tite Live, MS. tres ancien, et tres bien conservé, sur velin, avec miniatures, folio magno*, et n. 779. *la troisieme Decade de Tite Live, MS. sur velin.* Et pag. 69. *Les grands Decades du T. Live translatées de plusiers Historiographes.* Paris. 1515. fol. Primae Decadis liber secundus *Henrico Sallenovano* interprete prodiit Pictavii, et ex versione *Iacobi Gohorrii*, Lugd. 1553. et Livius totus *Claudio Guichardo* interprete Paris. 1562. et *Antonio Fayo* 1582. 1583. 1584. tribus Vol. Librum XXXIII. vertit *Fr. Malherbe*, cuius interpretationem pro insigni exemplo commendat Sorellus in Bibl. Gallica. *Belgica* versio edita est Antwerp. 1541. apud Ioan. Gymnicum an. 1562. et 1571. fol. *Italice* pridem vertit praeter *Christoph. Landinum*, *Rugerus Ferrarius*, ut notatum Lambecio lib. 2. de Bibl. Vindob. pag. 947. Prodiit eius versio Romae a. 1476. fol. 3. vol. atque inde Venet. 1478. 1481. fol. per Antonium de Bononia, et 1481. fol. per Octavianum Scotum, nec non 1490. et 1511. apud Barthol. de Zanis, una cum Leonhardi Aretini libro de bello Punico, qui ex Italica *Donati Acciaioli* versione prodierat Venet. 1476. fol. Posterior Livii versio Italica auctore *Iacobo Nardi* Florentino Venet. 1544. 1547. fol. apud Iuntas et 1554. 1562. fol. laudatur a Latino Latinio Tom. 1. Epist. p. 382. ubi locum

Livii de salis venditione lib. 2. cap. 9. illustrat. *Germanice* prodiit primum Moguntiae a. 1505. fol. dicatus Maximiliano Imperatori, et exempla quaedam excusa in membrana. Secutae editiones 1541. 1546. et Argentorat. 1574. 1594. 1616. fol. Livius et Florus Germanice per *Zachariam Muntzerum*, Francof. 1568. fol. *Svecice*, *Erico Benedicto Schroedero* Nycopensi interprete, Holmiae 1626. fol. *Hispanice* ad Philippum Principem Colon. apud Arnoldum Birkmannum 1553. fol. Livium *Graecum* lingua vulgari fecit Maurocordatus de Scarlati, interpres et Consiliarius Portae Ottomanicae, qui a. C. 1712. diem obiit: sed necdum edita est illa interpretatio. De *Arabica* versione dictum infra num. VII.

VI. *Epitome* librorum Livianorum, sive *breviarium T. Livii*, quod notis Sigonii, Martini Antonii Delrii n) Io. Douiatij et I. F. Gronovii illustratum habemus, etiam eorum librorum qui interciderunt, duobus forte 136. et 137. ut supra dixi, exceptis, a *L. Annaeo Floro* scriptum esse vulgo existimatur, cum cuius libris quatuor epitomes rerum Romanarum saepissime prodiit: etsi vel ideo, quod in his subinde a Livio dissentit, nonnulli duos diversos voluerunt Floros comminisci, ut Balthasar Bonifacius XV. 5. Hist. ludicrae: alii vero, ut Dionysium Gothofredum facere memini, suspicati sunt, Livium ipsum, ex more veterum, epitomas illas, veluti indices, praefixisse singulis libris, quae deinde cum altera epitome rerum Romanarum confundi, atque adeo ad Florum auctorem referri facile potuerint. *Iunium* quoque *Maximum*, aequalem Statii Poëtae, Historias Sallustii Liviique in epitomen contraxisse, viri docti observant ex his verbis IV. silvar. 4. *Omne queis mundi senium remensus Orsa Sallusti brevis et Timavi reddit alumnum.* Notum praeterea est ex Servio ad Aeneid. X. 388. *Rufum Festum Avienum* totum Livium

n) Brevia Delrii in Epitomen Livii scholia prodierunt cum eius notis in Solinum Antwerp. 1571. 8. Edita est etiam Epitome illa cum Sigonii et Delrii notis, Genev. 1606. 8.

Livium Iambis olim expressisse. Sed et illa Avieni metaphrasis pridem intercidit.

Epitomae hae *Livii* cum *Floro* saepius editae prodierunt, etiam separatim Venet. 1521. 8. ap. Aldum, et Basil. 1590. 8. et cum *Car. Sigonii* atque Antonii *Delrii* notis Genev. 1606. 8. quam editionem Gervasiensem vocat Thomas Hearne, qui in Livio suo Oxoni, edito breviarium istud Livii summo studio ad Codices MSS. et impressos exegit, collatis etiam, quae Petrus Pithoeus ad id annotaverat. Sed etiam in edd. recentioribus, ut Gronovianis, earum cura est habita, diligentissime autem in Drakenborchiana, in qua et *Sigonii Delriique*, et *Dukeri* ipsiusque notae egregiae accessere.

Vir eruditiss. Ianus Vincentius Gravina Orat. 1. de instauratione studiorum p. 12. Romanorum res gestas initio per compendium petere suadet ab hac Epitome Liviana, ut quae longe simplicior et candidior sit Flori et Velleii libris, resque exprimat propriis et convenientibus verbis, absque fuco et argutiis, quibus non satis uterque illorum abstinuerit, e quibus, periculum sit, ne puerorum animi fallacibus illis et meretriciis orationis ornamentis a nervosa et civili scribendi consuetudine abducantur. Praeterea *Iohannes Iensius*, consulturus iuvenum studiosorum tempori, quorum plerique mole Livii deterriti, ultra primam decadem haud progrediuntur, atque adeo delibatis modo adolescentis populi Romani rebus, maturum adulti eiusdem populi vigorem intactum relinquunt, *Epitomen* novam *historiae Rom. totius Livii*, verbis eius contextam, neque multo grandiorem una Livii decade composuit, inscripsitque *T. Livii Patavini Historiarum corpus concinnius*, ex Gymnasio Dordraceno, typis Bramiis luculentis, anno 1711. 8. Ceterum Livium ipsum evolvere cupientibus hoc compendio suo neutiquam e manibus excutere voluit florentissimum scriptorem, sed tantum iis, qui magnitudine operis removeri se ab eius lectione patiuntur succurrere, ut Historiam Romanam Livianam to-

tam intra brevius ſpatium abſolvere poſſint. Speciem iſta habent. Qui hiſtoriae Rom. compendium requirant, iis vero ita conſuli poſſit: nec ad notitiam generalem hiſtoriae Rom. Liviana lectione opus ſit. Qui autem Livium cognoſcere velint, iis talibus libellis non conſulitur: et poſſunt etiam iuvenes longius progredi in Livio cognoſcendo, ſi modo vera ratio in eo tractando in Scholis adhibeatur, de qua videndus Geſnerus in praefatione ea, quam ſupra commemoravimus. Sed opus eſt magiſtro, qui ipſe intelligat, nec opus habeat ad ſingulas horas trepidare in praeparatione ad locum intelligendum, quem explicare vult.

VII. Perditos Livii libros ingenio quodammodo reſtituit vir doctiſſimus *Io. Freinshemius*, argumento eorum ex epitomis petito, et adhibitis graecis et latinis, quae exſtant, monumentis, explicato tanta induſtria et felicitate, ut ipſe non dubitet profiteri, *ſe neutiquam metuere, ne quis ex omnibus his ſcriptoribus, qui ſunt in hominum manu, aliquid efficiat in hoc genere concinnius, copioſius, verius.* Primi decem libri Reginae Chriſtianae dicati viderunt lucem Holmiae 1649. 12. Libri ſexaginta deinde Argentorati an. 1654. 4. quos Gallice etiam vertit, ut iam diximus, Petrus Ryerus. Denique adiunctis XXXV. poſtumis, quos ab heredibus Galli redemerant, univerſi libri XCV. ſupplementorum vulgati ſunt a Io. Duiatio, in editione Livii ad uſum Delphini; ſed vulgati tum ſunt parum emendate, ut dolet Io. Clericus V. C. Tomo 3. Bibl. ſelectae p. 366. correxit Creverius, ut ſupra diximus. Ac dolendum eſt, ea hodie vix legi. Qui iudicare poſſunt, fatebuntur, egregium opus eſſe, quale ſingulis ſeculis vix ſinguli conficere poſſint. *Fragmenta* e libris Livii deperditis ſervavere Grammatici latini veteres, interdum ſub libri indicio, interdum ſimpliciter: quae ad calcem edd. quarundam, nominatim ed. Drakenborchianae T. VI. reperiuntur. Eſt vero etiam e Codice Laudino prolata ῥῆσις, quae pro fragmento Livii eſſet. Id eſt huius modi,

modi, pertinetque ad L. XXII. 18. post verba *Allifas loco alto m. consedit:* Et reparando suggressu manu haud magna Allifae moenia, quasi palans perveniens, ex oppido bellum instructa armamentis erupit, quam consul vi captam trucidatis, qui in ea constiterant, reservat ad pugnam. Sed oppidani, sicut quibus curae pusillum inerat, in diem alterum umbonibus belluatis paucos fugaces invadunt, elephantemque omine meliori receptant, et Allifas, Rufium quondam vocitatas, ab dextro sequente sinistrum, augurio nomen imponunt accolae. — Super hoc fragmento legenda Dodwelli Dissertatio supra memorata, in Hearnii notis et T. VII. ed. Dr. qui historiam, quae est in fragmento, explicat et defendit: nec tamen sibi satisfacit et pronunciare audet, eam veram esse, vel fragmentum hoc esse Livii. Spurium recte iudicat Cuperus libro de Elephantis in numis c. 4. ut et alii.

VIII. Sunt et alia quaedam scripta recentiorum, quibus Livio, vel eius rebus, aut scriptis lux nonnulla affertur. Sunt autem duplicis generis: alterum est Criticum et Grammaticum: alterum Politicum. Ex illo genere, ut mittam eos, qui non peculiaribus libris id fecere, sed per occasiones varias, ut *Perizonius* excellentibus et nunquam satis laudandis Animadversionibus historicis, *Pighius* in Annalibus, *Lipsius* et alii; ex illo igitur genere sunt *F. Vrsinus* in Notis in varios hist. Antverp. 1595. 8. *Marcellus Donatus* in Dilucidationibus, similis instituti, non tamen admodum probatis elegantibus iudicibus. *Latinus Latinius* in Biblioth. Tom. II. *Io. Velcurio*, qui notas in L. I. II. edidit, *Petrus Nannius* in L. III. Lovan. 1545. 4. *Io. Saxonius* ad L. XXI. et XXII. Bas. 1547. (de quo v. Suffridus Petri Scriptt. Fris. p. 104.) ut taceamus eos, quos T. VII. inseruit Drakenborchius: *Faërnus* in Censura Emendd. Sigonii, *Averanius* in Diss. XXXI. ad loca Livii T. II. Operum.

Ex genere altero sunt: *Nicol. Machiavelli* in Decadem primam Livii dissertationes tribus libris distri-

butae, et Italice primum, deinde latine, Gallice denique atque in aliis forte linguis editae, deque Republica et religione Romanorum veterum, etiam de re militari, Folardo iudice o) acutissime disputantes. *Casparis Facii Politica Liviana*, quibus artibus comparatum auctumque, et quibus erroribus ac vitiis amissum Imperium veteris Romae fuerit, Altenburg. 1617. 4. *Ant. Cicarelli de Foligno* dissertationes in Livium, Rom. 1589. 4. Italice. *Io. Schefferi* in Librum I. Livii Exercitationes VII. Vpsal. 1665. 4. *Nic. Belli* sive Bellemontani p) dissertationes in optimos veteris ac novae Historiae scriptores, in primis Curtium, Svetonium, Tacitum, Livium etc. Francof. 1626. *Io. Gilleius* in laudem Hannibalis apud Livium, Basil. 1550. 8. *Georgii Martini Dorn* specimen Institutionis Politicae Livianae, Giessae 1657. 8. *Iusti Reiffenbergii* monita, exempla, consilia Politica Liviana, Francof. 1629. 8. *Philippi Loniceri* Icones Livianae versibus illustratae, ibid. 1573. 8. *Sebastiani Maccii* de Historia Liviana volumen satis amplum laudat Erythraeus pinacotheca I. p. 277.

Ad prius genus referre possis et hos: Livium cum Thucydide, ut Tullium cum Demosthene, contulit Renatus Rapinus singulari diatriba, Gallice plus semel excusa, post editionem Parif. 1681. 12. De *Polybii* Liviique diversa scribendi ratione, et quantum hic illum imitatus fuerit, consulendae sunt Io. Henr. Boecleri Lectiones Polybianae p. 199. sq. If. Casauboni praefatio ad Polyb. et Fulvius Vrsinus in notis ad excerpta de legationibus, If. Casaubonus in Casaubonianis p. 73. Vere praedicat Quintilianus lib. X. cap. 1. lacteam Livii ubertatem, aitque, eum cum in narrando mirae esse iucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus, supra quam enarrari possit, eloquentem. Quis unquam Camillum brevius vel dignius lauda-

o) Obfervatt. in Polybium T. 1. pag. 223.

p) Nomen ut videtur fictitium. Vid. Thomaf. de plagio §. 238. Liber ipse undique corrasus, nec magnae adeo rei.

laudavit, quam ubi Livio est *vir unitus pace et bello?* Quis Catonem, quam ex Livio Hieronymus Prooemio lib. 2. in Oseam: *Cuius gloriae neque profuit quisquam laudando, nec vituperando quisquam nocuit, cum utrumque summis praediti fecerint ingeniis.* Inprimisque admirabilis est in narrationibus rerum maiorum et ornatis ut de Horatiis et Curiatiis; in descriptionibus porro rerum et locorum, denique in Elogiis virorum magnorum, ut Hannibalis, Fabii, Scipionis, quae solet vel in principio rerum ab iis gestarum, vel post mortis narrationem ponere. Orationes sive Conciones CXCIII. e Livio excerptae cum notis Ioach. Perionii, Paris. 1532. 8. Antw. 1535. 8. et Basil. 1545. 8. item e Livio et aliis latinis, tum Graecis quoque Historicis excerptae cura H. Stephani prodierunt a. 1570. f. Atque illae quidem e latinis Historicis frequenter deinde recusae sunt, Coloniae et in Belgio, tum Lipsiae, Ioach. Gesenio recensente, denique ex accuratiore recognitione Christophori Cellarii V. C. Lips. 1699. 12. Sic in Orationes e decade tertia Rhetoricam et dialecticam analysin contexuit, et miscellanea, observationes, et apophthegmata a se enotata subiunxit Reinhardus Lorichius Hadamarius, Francof. 1537. 8. Orationes rectas in Livio et Sallustio olim reprehendit Pompeius Trogus, teste Iustino XXXVIII. 4. nullas nisi obliquas in historia ferens. Neque dubium est, Orationes eiusmodi Livium ex ingenio suo probabiliter composuisse, ut illustris Norisius diss. 1. Cenotaph. Pisan. cap. 1. demonstrat exemplo petito e Livii XXXIV. 5. ubi L. Valerius tribunus inducitur M. Porcio Catoni 37. vix annos nato Origines ipsi scriptas obiiciens, de quibus illa aetate Cato ne quidem cogitaverat. Sed tota haec causa Orationum in historicis latinis, hic accurate explicari non potest: quae a paucis satis recte intelligitur. Metium vero Pompusianum a Domitiano Imp. interfectum narrat Xiphilinus pag. 222. quod Conciones Imperatorum Ducumque apud Livium frequenter lectitans imperium affectare videretur. T. Livius (quem merito πολιτικώ-

ταтον ſcriptorem appellat Thomas de Pinedo, *q*) in aphoriſmos et poriſmata redactus eſt, in recreationibus *r*) Academicis Groſianis, *Chriſtiani Adami*, liberi Baronis Gros de Torkau, Erlangae 1713. 4. Tomo tertio. *Sententioſe s*) a Livio dicta collegit Nic. Cragius, Hafniae 1582. 12. et Iacobus Corbinellius, Pariſ. 1694. 12. *les anciens Hiſtoriens latins reduits en maximes. Premier volume, Tite Live*, Lexicon Livianum moliti ſunt quidam, item Indices latinitatis: ut *G. P. Schulzius*, Prof. Francof. *Ioach. Borgheſius*, Prof. Groninganus et alii: nemo perfecit. Nunc Gloſſarium exquiſitioris latinitatis Liv. habemus in editione nupera Lipſ. de qua ſupra. Caeſarem et Livium ex antiquis numis 983. et inſcriptionibus 542. inſigni ſtudio *Henrici van der Borcht*, Comiti Arundello familiaris, illuſtratum habebat Francofurti ad Moenum Zacharias Conradus ab Vffenbach.

MSSti Codices Liviani multi extant, quorum magno numero uſus eſt Drakenborchius, quorum de Catalogo ſupra, item Hearnius, Crevierius etc. Inprimis inſignis eſt Puteaneus, litteris uncialibus, et nulla ferme vocum diſtinctione exaratus: de quo Salmaſius Epiſtola ad Sarravium pag. 188. edit. Vltraiect. poſt Epiſtolas Gudianas. *Iani Gebhardi* varias lectiones Codicum trium MSS. Livii Palatinorum ex auctione Bibl. Gudianae nactus vir Nobiliſſ. *Henricus Leonhardus Schurzfleiſchius t*) ſpecimen illarum in librum primum vulgavit Halae Sax. 1712. 4.

IX. Perditorum ex Livii hiſtoria librorum ſaepe vana ſpes facta, vani ſumptus impenſi; qua de re legendus doctiſſ. Morhofius libro de Livii Patavinitate capite I. Apud Arabes quidem libros Livii univerſos exſtare pridem affirmavit Thom. Erpenius Orat. 2. de lingua Arabica. Et in CPoli-

q) Pinedo notis ad Steph. Byz. pag. 557.

r) De his Acta Eruditor. a. 1714. pag. 81.

s) Laudavit merito Livium eo nomine Corbinellius, quod ſententias non ita hiſtoriae ſuae intexuit, ut emineant extra corpus orationis expreſſae, ſed intexto veſti colore niteant. Confer Baelii Lexicon in *Theon*, nota C.

t) Acta Erud. a. 1717. p. 406.

CPolitana Bibliotheca integrum fuisse Livium Arabice, non dubitavit Petrus de Valle, part. 1. Itinerar. Epist. IX. sed oblatis a magno Duce Florentino 5000. piastrorum, et a legato Regis Christianissimi decies mille thaleris inveniri nusquam potuit: longe maiore etiam 50000. scutatorum proposito praemio, vanus promissor fuit Iustinianus Chius. Alii in Fessana Bibliotheca asservari scripserunt. *Vtinam ex Fessanis tenebris*, inquit Abr. Hinkelmannus praefat. ad Coranum Arabice editum lit. k. *incomparabilis Livius integer erueretur, et vel rudi versione in lucem ederetur! sane qua felicitate Curtium Freinshemius, eadem et forte maiore Livium illustris Gronovius nobis facile restitueret.* Richardus Montacutius praef. in Apparatum ad Origines Ecclesiasticas negat *Decades Livii unquam restaurandas, nisi forsitan, ut splendide mentitur Hispanus quidam παντονοεράψωδος, apud ultimos hominum Aethiopes in montis Amarae* Βιβλιοταφίῳ. Latina ipsa Livii traditur habuisse, et ex Bibliotheca Drunthemensi in Norvegia accepisse Martinus Groeningius, Cantor Bremensis Capituli a. C. 1521. denatus. Aliud librorum Livii deperditorum exemplar scriptum in membranis fertur fuisse in Gallia in Abbatia fontis Ebraldi, quod ab Abbatissa thesauri ignara concessum pharmacopolae cuidam, ab hoc venditum homini, qui membranis illis reticula sphaerulis sive pilis volantibus mittendis et accipiendis obducebat, quod a viro aliquo docto forte observatum tunc demum est, cum membranae illae ad unam omnes essent consumtae, ut ex ore Ioannis Capellani accepit Colomesius in Opusculis p. 105. et in Bibl. selecta pag. 31. seq. ubi etiam Epistolam eiusdem Capellani profert de hoc argumento. Idem relatum memini in Pithoeanis, et in parte sec. Menagianorum p. 97. Bonnetus Bourdelotius in notis ad Bibliothecam selectam Colomesii, cum auctario recusam Parisiis 1531. 12. p. 41. *L'an 1682. je vis a S. Germain des Grecs de l'Isle de Chio, qui venoient pour traiter avec Mr. Colbert d'un Tite Live entier, qu'ils disoient avoir*

dans leur Isle, et qui avoit été sauvé de l'incendie de la Bibliotheque de Constantinople. On dit, que le marché en avoit été conclù a 60000. livres et qu'on avoit envoyé dans l'Isle pour le copier, de peur, que le vaisseau, qui l'apporteroit, venant par malheur perir, la perte ne fut irreparable. On ne parloit dans ce tems là que du plaisir, qu'auroient les Gens des lettres, de voir un Tite Live entier: car le Roi, disoit on, le faisoit imprimer à ses frais, et le donnoit au public à bon marché. Mais depuis ce temps là on n'a point entendu parler ni des Grecs de Chio, ni du Tite Live. Quod autem in Catalogo MSS. Bibl. Bodleianae p. 60. inter libros Guil. Laudi num. 127. memoratur *T. Livii Decas secunda*, error est, nam tertiam legi debere in praefatione Voluminis annotatur. Porro Gregorio I. Pontifici Livianorum librorum iacturam tribuere non dubitat Rich. Montacutius praef. ad Analecta, quoniam in Antonini Summa legitur, Gregorium M. (ita Imp. Caligula olim cogitavit de Virgilii Liviique scriptis abolendis, teste Svetonio) quoscunque nancisci potuit Livii codices combussisse, quod nempe ab eo multa prodigia u) narrarentur, quae facerent ad idolorum superstitionem probandam. Hanc Antonini narrationem in dubium vocat

u) Tot prodigia Livio commemorata, quibus integrum librum Iulius Obsequens implevit, ita defensitavit homo minime superstitiosus e Gallis Mottanus Vayerus: *Ce n'est pas dire qu'il ait à intention de faire croire ce dont il n'estoit pas lui même persuadé, au contraire il debite tous ces prodiges de telle sorte, qu'on void bien qu'il n'a u autre but que faire comprendre de quelles erreurs le peuple estoit alors abusé, les loix de l'Histoire l'obligeant à cela:* T. 1. Opp. pag. 117. edit. in fol. adde p. 227. et 371. Idem dicere liceat de Dione, Appiano, et Pausania Historicis Graecis, qui superstitione populari abrepti vulgo arguuntur. Vti e contrario palam prodigia illa floccipendens Polybius contemtae propterea religionis reus audit, mediam sententiam probante Plutarcho, quo iudice τοῖς τοιούτοις καὶ πιστεύειν σφόδρα καὶ τὸ λίαν ἀπιστεῖν, aeque durum et periculosum est, in Camillo f. 132. Confer, si placet, Io. Rualdum in Plutarchi vita c. XXIX. Neque omnibus fidem habuisse se Livius ipse pluribus locis testatur, ut XXIV. 10. *Prodigia ea anno multa nunciata sunt, quae quo magis credebant simplices ac religiosi homines, eo plura nunciabantur.* Sic Tacitus III. 55. Hist. post prodigia quaedam memorata, *Sed praecipuum,* inquit, *ipse Vitellius ostentum erat, ignarus militiae, improvidus consilii.*

cat Iacobus Gretſerus lib. I. de iure prohibendi libros malos c. XXX. Librorum Livii, qui exſtant, exemplum eleganter ſcriptum ut a. 1455. a Poggio Florentino ſibi compararet, agrum, quem habebat, vendere non dubitavit Antonius Beccatellus, Panormitanus, ut ex eius Epiſtola ad Arragoniae Regem Alfonſum refert Gallaeſius libro de Bibliothecis p. 186. In Leibnitianis, ſive Otio Hanoverano nobiliſſimi Viri Io. Frid. Felleri p. 156. legas Patrem Zwenbruckium ſancte affirmaſſe Patri Gamanſio, ſe in manibus habuiſſe Bremae MStum Livii plenius, ſed cum mercator iuſto carius vendere vellet, neglexiſſe: cum rurſus quaereret, poſt mercatoris mortem, non comparuiſſe. His adde, quae ex Io. Renneri Chronico Bremenſi ad an. 1521. de Martino Groningo, qui deperditos Livii libros habuerit, narratur in Bibliotheca Bremenſi hiſtorico theologica Tomo ſive claſſe 2. faſc. 1. p. 143. ſeq.

X. Scripta Livii etiam alia apud veteres memorantur, ut *Dialogi*, quos non magis Philoſophiae quam Hiſtoriae annumerari potuiſſe, ait Seneca Epiſtola centeſima: *Libri Philoſophici*, ſive ex profeſſo Philoſophiam continentes, id. *Epiſtola ad filium*, qua Demoſthenem atque Ciceronem illi legendos unice ſuaſit, breviſſima et tutiſſima ad eloquentiam via, Quintil. X. 1. Fragmenta duo inſignia Livii de Cicerone, quae exſtant apud M. Senecam ſuaſoria ſexta, ex hiſtoriarum libro CXX. petita ſunt. Etiam Livii filii ſcriptis uſum ſe profitetur Plinius libro V. Hiſt. natural. *niſi locus mendoſus eſt*, inquit Harduinus, *et ex praepoſtera Livii repetitione Livii filii confiſta vox.* Si Henr. Dodwellum audimus, deſunt hodie in Livio praeter tot libros integros, et quae in quinque, qui exſtant poſtremis a Io. Duiatio ex ingenio ſuppletae ſunt lacunae, etiam hinc inde quaedam, ubi nulla ſunt in editis Codicibus neque in MSS. hiatuum veſtigia: *Deſunt in rebus Coriolani bina Conſulum paria e Dionyſio Halicarnaſſeo ſupplenda, Livii ipſius rationibus plane neceſſaria. Et anni quoque V. C. Catoniani 179. tribunos*

mili-

militares consulari potestate omissos ex ipso Livio evicimus. Et in Censorum successione multa supponit Livius, frustra plane in hodiernis Livii exemplaribus quaerenda. Deest etiam in eodem locus, quo tertii inierint decemviri, quum tamen tertium illius Magistratus annum supponant eius rationes. Sic etiam in tribunorum plebeiorum decennali seditione et Magistratuum Curulium Anarchia deest annus, quem tamen non agnoscunt modo, verum etiam exigunt eius calculi recte et pro ipsius mente positi. Haec Dodwellus diss. 10. de Cyclis et in Chronologia Dionysii Halicarnassei, et in diss. de fragmento Livii, quod e MS. Laudino primum esse editum est. De reliquiis corporis T. Livii, si Diis placet, inventis Patavii, ad animum lectoris recreandum iuvat adscribere haec ex paralipomenis ad propylaeum Papebrochianum Actis Sanctorum Maii praemissum p. 145. *Abhinc duobus circiter seculis x) nescio quo casu in quodam angulo nobilis monasterii S. Iustinae Patavii detecta est plumbea sandapila, ossa quaedam servans. Additum erat Epitaphium T. Livii nomen praeferens. Mox desiderium honorandi memoriam scriptoris tam clari impulit Patavinos, ut depositum tam carum in Curiae atrium transferrent, ubi magnificum erexere monumentum. Andreas Dandulus Senator Venetus, tresque simul aut quatuor Equites laeti humeros feretro subiicere; Zacharias Trevisanus, et Leonardus Mocenigus, duo Reip. Magistratus, funus inclitum prosequebantur, solenni cum pompa, per nobiliores Vrbis vicos circumductum. Alphonsus Rex Arragonum, litteratorum amator insignis et aestimator, simul atque thesaurum hunc erutum agnovit, transmitti sibi brachium postulavit per Antonium Panormitanum y) incly-*

x) A. 1541. Giornale de' letterati d'Italia T. XIV. p. 358.

y) Idem Panormitanus ad eundem Alphonsum p. 118. Epist. *Sed et illud a prudentia tua scire desidero, uter ego, an Poggius melius fecerit: is ut villam Florentiae emeret, Livium vendidit, quem sua manu pulcherrime scripserat: ego ut Livium* (120. aureis) *emam, fundum proscripsi.*

inclytum Poëtam, qui legatione pro Rege ordinaria apud Remp. fungebatur. Datum id precibus Regis, missum brachium, cui longo post temporis intervallo monumentum statui curavit Iovianus Pontanus, erepto rebus humanis Alfonso, priusquam Neapolim navis appelleret tanto insignis munere, quod avide Princeps erat praestolatus.

Ridetur Livius a Lancelloto, quod scripsit saxis pluisse. Et tamen lapides de coelo subinde cadere testatissimum est, et multis exemplis comprobatum ab Antonio Vallisnerio, in Diario Veneto, Giornale de' letterati d'Italia Tom. V. p. 201. et T. XXVII. p. 173. seq. Alienum Livium fuisse a credulitate superstitiosa, facile etiam testantur haec loca lib. V. cap. 21. *Haec ad ostentationem scenae gaudentis miraculis aptiora quam ad fidem, neque affirmare neque refellere operae pretium est.* Et VIII. 6. *nam et vera esse, et apte ad repraesentandum iram Deum ficta possunt.* Male de religione ac pietate, pessime de Livio meritus est Io. Tolandus, qui ut illum a superstitionis culpa, quod multi iam ante illum fecere, absolveret, adstrinxit invitum irreligiositatis et ἀθεότητος crimine, veluti nihil possit esse medium inter modestum contemtorem anilium, quales erant pleraeque Romanae, superstitionum, et impudentem atque impium conculcatorem Numinis et omnis in universum religionis. Tolandi liber inscribitur, *Livius ἀδεισιδαίμων, sive de superstitionis culpa Livio falsa impacta dissertatio*, Hagae Comitis a. 1709. 8. Scripsit adversus eum D. Iacobus Fayus Vltrai. 1709. 8. Scripsit et Elias Benedictus, Gallice, Delphis 1712. 8. scripsere item alii. Sed non opus puto multis cum eo contendere, cui ita periit frons, ut non erubescat Mosen venditare pro assertore Spinosismi.


XI. Alius ab utroque fuit 1. *Livius* patria *Poenus*, quem Valerius quidam in Epistola ad Rufinum, de non ducenda uxore, quae legitur inter Opera S. Hieronymi, *gravem et uxoratum Historiographum* vocat (forte confundens eum cum T. Livio) refertque his verbis reprehendisse

disse Cannium, a Gadibus Herculis Poëtam facundiae lenis et iucundae, (Martiali, qui eius saepe meminit, aequalem) quod multarum gauderet amoribus: *Nostram Philosophiam participare non poteris, dum a tot participaris. Non enim eo iecore Iunonem amat Titius, quod multi vultures in multa divellunt.* Huius Livii nullam fieri mentionem in praeclaro Vossii opere de Historicis latinis, miratur Colomesius notis ad Gyraldum de Poëtis p. 235. Alius 2. *Livius, Poëta Christianus*, saeculo post natum Christum quinto clarus, cuius meminit Honoratus in vita Hilarii Arelatensis. Vid. Casp. Barthii Adversf. XLVIII. 16. Praetereo 3. *Livium Andronicum* Tragicum latinum antiquissimum, de quo infra libro IV. et de quorum scriptis nihil constat, ut 4. *Livium*, Augusti tabularium Atalianum in veteri inscriptione apud Laur. Begerum V. C. in spicilegio Antiquitatis p. 78. vel denique recentiores, ut 5. *Titum Livium Burattinum*, Regis Poloniarum Architectum, cuius litteras ad se scriptas exhibet Athanasius Kircherus T. 2. Oedipi Aegypt. parte 2. p. 303. 6. M. Livium Sanutum, cuius Geographia Italice prodiit Venet. 1588. 8. 7. *T. Livii Foroiuliensis* librum de vita Henrici V. Angliae Regis ad Henricum VI. eius filium, non ita pridem vulgavit V. C. Thom. Hearne Oxon. 1716. 8.

Vt Flav. Iosephus ab Hieronymo Epist. 22. ad Eustochium dictus *Iudaeorum Livius*, sic Baronium, *Livium Ecclesiasticum* appellare non dubitavit Secundus Lancellotus. z) Hieronymi Suritae Epitaphium:

Livius Arragonum iacet hoc Surita sepulchro,
Nil magis hoc dignus nomine notus erit.
Historicum studiis, annales nomine vicit
Ipse suum nomen, seque suosque libros.

z) Oggidi T. 2. p. 568.



CAPVT

CAPUT XII.

DE

P. VIRGILIO MARONE.

I. *Virgilii aetas.* II. *Bucolica.* III. *Georgica.* IV. *Aeneis.* V. *Editiones cum commentariis veterum, ubi de Servio, Probo, Tib. Donato, Iunio Philargyrio et Fulgentio Planciade.* VI. *Editiones sine commentariis vel cum notis ac commentariis virorum doctorum recentis aetatis.* VII. *Codices quidam MSti ac perdita veterum scripta in Virgilium et de Virgilio nonnulla.* VIII. *Virgilii Ciris, Culex et alia Catalecta in Appendice Virgilii.* IX. *Virgilius Graecorum imitator. Virgiliocentones, et Zoili Virgilii. Scripta nonnulla ad Virgilium spectantia.* X. *Sortes Virgilianae, et alia quaedam.* XI. *Virgilii alii.*

I. P. *Virgilius Maro*, natus Pompeio et Crasso Coss. anno V. C. 684. ante C. n. 69. Idibus Octobris *a*) Andibus *b*) prope Mincium flumen in agro Mantuano, unde *Mantuanus* passim et *Andinus* vates, atque Iuvenco in prologo v. 10. *Minciades* dicitur. Non Eusebii *c*) tantum, sed omnium facile iudicio, ἐξοχώτατος τῶν κατὰ τὴν ἰταλίαν ποιητῶν, *princeps Poëtarum latinorum*, Augusto Imp. et Maecenati carissimus, obiit Brundusii XVIII. Cal. Octobr. C. Sentio Saturnino et Q. Lucretio Cinna Vespillone Coss. a. V. 735. ante C. n. 19. aetatis 51. *d*) Effigies et sepulchrum Poëtae apud Iul. Caesarem Capaccium in antiquitatibus Campaniae p. 20. sq. T. IX. parte 3. thesauri Italiae: cui iungendus Scipio Mazzella de situ et antiquitatibus Puteolorum c. 30. p. 87. sqq. id. parte 4. et Io. Baptista Ferretus in Musis lapidariis II. 22. p. 115.

a) Martial. XII. 68.

b) Eadem Civitas *Tassum* quoque postea, Poëtarum Italicorum principem protulit.

c) Cap. 19. Orat. Constantini in Sanctor. coetum.

d) Plinius XIV. 1. a Virgilii obitu ait XC. agi annos. Scripsit autem sexto Consulatu Titi A. V. C. 830.

22. p. 115. Olaus Wormius in Museo Amst. 1555. f. p. 162. *In agro Neapolitano mons celebris exstat Pausilypus, e) ad cuius ferme radicem, qua urbem spectat Neapolitanam, sacellum visitur D. Virginii sacrum, iuxta quod sepulchrum Virgilii Maronis, Poëtae istius incomparabilis, hac inscriptione f) insigne:*

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

Hunc eius tumulum inumbrat annosa laurus, cuius cum tria teneam folia, hic praetereunda minime videntur: ita tamen, ut cum vulgaribus lauri foliis nihil discrepent, de iis uberior non instituatur discursus. Nathan vero Chytraeus in deliciis itinerum, Herbornae primum a. 1594. editis et 1599. 8. recusis pag. 70. *Virgilii sepulchrum supra aditum sive introitum cryptae Puteolanae, per montem Pausilypum itineris gratia actae olim conspiciebatur: nunc hi versiculi recens candido marmori insculpti ibidem leguntur:*

Qui cineres? tumuli haec vestigia; conditur olim
Ille hoc, qui cecinit pascua, rura, duces.

Epitaphium aliud eius hoc refertur apud Io. Mabillonium V. C. Tom. 1. Musei Ital. pag. 113. SISTITE. VIATORES. QVAESO. PAVCA. LEGITE. HIC. MARO. SITVS. EST. Vid. etiam, quae idem vir doctus p. 207. narrat. de statua Virgilii a Duce belli Mantuani Carolo de Malatestis Mantuae eversa circa a. 1450. In quem Invectivam hoc nomine scripsit *Petr. Paul. Vergerius*, de qua v. *Apost. Zeni* Diss. 1. Voss. p. 56. ubi et de variis eius edd. et vero auctore. add. *Mehus* in Vita Leon. Aretini praefixa epistolis eius p. XXXVIII. nam et Aretinus talem invectivam scripsit, quam vide in Schelhornii Amoen. lit.

T. 3.

e) Quasi dicas *requiem a moerore.* Vide notata ad Dion. Cassii p. 537. De specu Virgiliano, Neapoli vicino haec Carolus le Brun, itinere in Aegyptum etc. p. 11. versionis quae e Belgico Gallice prodiit: *de Naples je me rendis a Pouzzol, en faisant ce chemin, on passe premierement par la Grotte de Virgile, environ un quart de lieue de long: au milieu elle est tout a fait obscure* etc.

f) Eadem est quae refertur a Probo et Donato in Poëtae vita et ab S. Hieronymo in Chronico.

T. 3. p. 225. sq. item *Guarinus* Veronensis, edita ab Edm. Martene T. 3. novae Coll. monum. pag. 868. *Vergilium* potius (Svidae Οὐεργίλιον, Malalae Βεργίλλιον) quam *Virgilium* scribendum esse, antiquis quibusdam monumentis et Codicibus inducti contendunt Politianus lib. V. Epist. pag. 165. 171. seq. et Miscellaneorum capite 77. atque Coelius Rhodiginus lib. VII. antiqu. Lect. cap. 4. quibus assentitur Io. Faber de Werde in carmine de litteratura nominis Vergilii, quod Lipsiae in 4. sine anni notatione excusum evolvit vir clariss. Christianus Schoetgenius. His a *verendo*, quasi Parthenias, vel a *vergiliis* stellis nomen Poëtae derivatur. Vide Arnoldum Pontacum ad Eusebii Chron. p. 492. et Iosephi Castalionis Varias lect. cap. 50. T. 1. miscellaneor. Roberti Gaudentii. Sed longe plura sunt et potiora, quae permoverunt Pierium Valerianum in IV. ult. Georgic. Sebastianum Corradum in Virgilii vita, Taubmanni etiam Virgilio praemissa, Aldum Manutium in Orthographia pag. 783. seq. aliosque, ut *Virgilium*, (Claudiano et Steph. Byz. Βιργίλλιον) dicendum esse, sicut communis et receptus usus fert, iudicarent, sive nomen illud pluribus etiam ante Poëtam commune a *virore*, sive a *virginitate* (unde idem g) Parthenias) sive a *virga laurea* h) denique petitum ponamus ex sententia Calvi veteris poëtae: *et vates cui denique memorabile nomen laurea.* Nullarum porro frequentior permutatio literarum quam E et I in Latinis monumentis observatur: cuius rei exempla complura vide, si placet, apud Gudium ad Phaedri lib. 1. fab. 26. Sirmondum T. 1. p. 873. seq. 881. 889. et Tom. IV. p. 589. Sponium Misc. p. 88. 91. Norisii Cenotaph. Pisan. 475. etc.

Vitam Virgilii scripsit praeter *Phocam* Grammaticum in Catalectis Poëtarum, et *Probum*, *Ti. Claudius Donatus* i) ad

g) vide Huetiana p. 127.
h) Laureum ramum enixum se somniavit Maia mater.
i) Cum Io. Frid. Gronovii notis praemittitur Virgilio clariss. Masvicii.

ad filium Ti. Claudium Maximum Donatianum, cui merito plurimum tribuit *P. Catrou* S. I. qui eam metaphrasi Gallicae eclogarum nuper subiunxit. E recentioribus non omittendus *Seb. Corradus*, et qui vitam Poëtae, per Consules digestam, Virgilii editioni in usum sereniss. Delphini adornatae praemisit *Carolus Ruaeus*. Virgilium Graecas litteras, Medicinam et Mathematicas disciplinas *Cremonae* edoctum, qui aiunt, etiamnum in illa urbe monstrant aedes in S. Bartholomaei vico, quas inhabitasse Poëtam ferunt. *k*) Et Gualterus Burlaeus in libello de vita et moribus Philosophorum et Poëtarum, excuso ante ducentos annos, Virgilium Cremonae studiis eruditum, deinde *sumta toga Magisterii*, Mediolanum ivisse memorat. *l*) Quae si vera admittimus, fidem habebimus etiam Alexandro Abbati Celesini Monasterii, qui lib. 3. de rebus gestis Rogerii Siciliae Regis p. 120. scribit, Virgilium *Neapolis* Dominium habuisse, *m*) et ibi ingens Volumen hexametris versibus composuisse: et p. 127. meruisse ab Augusto Neapolitanae urbis et simul provinciae Calabriae dominatum pro duobus, quos scripserit, versibus:

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane,
Divisum imperium cum Iove Caesar habet.

Rusticus (Episcopus Narbonensis an alius) Epistola ad Eucherium Lugdunensem, quam edidit Sirmondus ad Sidonium T. I. Opp. pag. 900. refert, in Bibliotheca quadam inter variorum Oratorum et Poëtarum imagines, Epigrammatis ornatas, Virgilio, *praeiudicati eloquii Poëtae*, hos versus subiectos:

Virgilium vatem melius sua carmina laudant;
In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

Notum

k) Cremona litterata Tom. 2. pag. 401.

l) Christoph. Augusti Heumanni Acta philosophor. Parte XVI. p. 604.

m) Petrus Burmannus praefat. ad tomum I. thesauri scriptorum Siciliae.

Notum et Augusto tributum carmen in Virgil. *laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur.* adde Baluzii notas ad Cyprianum p. 148. Praeter alias virtutes et artificium carminis, in Virgilio proprietatem sermonis Latini admiratos etiam veteres accepimus, unde Ausonius Epist. XVII. ad Symmachum: *quis ita ad opulentiam Tullianam aut proprietatem nostri Maronis accedat?* Iuris Pontificii peritissimum fuisse Virgilium, multis disputat Macrobius, libro tertio Saturn. c. 1. nec minus callentem Iuris Civilis, Erhardus Reuschius, Professor Helmstadiensis in disquisitione de P. Virgilio Marone Iurisconsulto ad Eclog. III. 17-24. Helmst. 1728. 4. Ennodio lib. I. Epist. 18. ad Avienum: *Doctorum radix Maro, vestri formator eloquii.* Augustino X. 1. de Civitate Dei, *Latini eloquii magnus auctor.* Hildeberto Cenomanensi lib. 1. Epist. 12. ad Henricum I. Angliae Regem, *Poëtarum doctissimus.* Alexandro Severo Imp. apud Spartian. c. 31. *Plato Poëtarum.* Quintiliano VIII. 3. *acerrimi iudicii.* Macrobio denique iudice *talis, qui nullius laudibus crescat, nullius vituperatione minuatur.*

II. Exstant eius *Bucolica* sive *Eclogae X.* scriptae inter an. V. C. 713. et 716. de quibus credat, qui volet, Ti. Donato ita scribenti: *Cur non plures quam decem Eclogas conscripserit Virgilius, nequaquam mirandum videbitur ei, qui consideraverit varietatem scenarum pastoralium, quae ultra hunc numerum proferri non potest.* Vnde dictae *Eclogae*, docet Camerarius ad Cic. Tusc. p. 121. Nomina Eclogarum haec sunt:

1. *Tityrus*, in qua versum XVIII. *saepe sinistra cava praedixit ab ilice cornix*, non habent codices perantiqui nec editiones antiquissimae. vide Dominicum de Colonia T. 2. hist. lit. Lugduni p. 759. et Burm. ad h. l.

2. *Alexis*, nomen pueri, Virgilio a Maecenate donati. Martial. V. 16.

3. *Palaemon.*

4. *Pollio*, quae Ecloga scripta est anno V. C. 713. cum filius Asinius Gallus C. Asinio Pollioni Consuli iam designato natus esset. Itaque de Consulatu tanquam futuro loquitur:

Teque adeo decus hoc aevi, *Te Consule* inibit,
Pollio, *et* incipient *magni procedere menses*
Te duce, *si qua manent* etc.

Asconius quoque Pedianus apud Servium refert ex ipso Asinio Gallo, Salonini fratre, filio Pollionis se audiisse, quod hanc Eclogam in ipsius laudem Poëta scripsisset. Vnde apparet, a Virgilii sententia alienam esse, utcunque doctam atque ingeniosam viri egregii coniecturam, qui in Memoriis litterariis Trivultinis sive Dombensibus a. 1703. mense Ianuario p. 8. seq. Virgilium existimat Eclogam composuisse in honorem Drusi Tiberii F. quod cum Chronologia pugnare docet, et Druso Marcellum substituit Catrou ad Ecl. IV. Pollionem Maronis Badius Ascensius accepit de Marcello Octavio, Augusti sororis filio, nato anno V. C. 714. Neque minus a Poëtae sententia aberrarunt Eusebius lib. I. praeparat. Evangel. et Orat. ad Sanctorum coetum cap. 19. S. Augustinus X. 27. de C. D. et in Rom. I. et Epist. 258. S. Prosper 3. de promissionibus, et auctor Homiliae ad Catechumenos contra Iudaeos, Paganos et Arianos, aliique hos insecuti, *n*) qui de Christi saluti-

n) Marsilius Ficinus cap. 24. de veritate religionis Christianae, Rich. Montacutius p. 130. seq. Apparatus ad Origines Ecclesiasticas, Isaacus Vossius de Sibyllinis Oraculis cap. 5. Beveregius Codice canonum vindicato pag. 145. Dan. Heinsius proleg. ad Aristarch. sacrum pag. 670. edit. in fol. multique alii. Paulus Sherlogus in dioptra antiquitatum Hebraicarum lib. I. diss. 4. pag. 175. *Hoc Virgilii metrum cum Marcellianus Orator eloquentissimus Secundiano et Veriano interpretatus fuisset de Salvatoris ortu ex immaculata genitrice, et germanam hanc esse constructionem probasset, a paganismo ad fidem conversi cum eodem Marcelliano fortiter pro Christo martyrium subiere, ut habet Calendarium Romanum nona Augusti* dit. Haec ille e Vincentii speculo hist. XI. 50. cui miror tanquam narrationem seriam adiungi a Theodoro Zwingero T. I. theatri Vitae hum. p. 1143. et Balth. Bonifacio XV. 7. hist. ludicrae, quod in poemate de purgatorio carm. 21. seq. commentus est Dantes, Statium poëtam ad Christi sacra amplectenda permotum esse his Maronis verbis: *Iam redit et Virgo*, *redeunt Satur-*

lustificatoris nostri adventu praeclara cecinisse Poëtam, et e Sibyllino carmine hausisse sibi persuadent. Graece versiculos quosdam ex hac Ecloga Eusebius dicto loco profert p. 993. edit. H. Valesii. Totam graeca metaphrasi donatam edidit Fed. Morellus Paris. 1580. 4. Alia Danie-

lis

Saturnia regna. Io. Vulpius praef. ad Sannazarii Opera recusa Patavii a. 1719. *Quum Aegidium Viterbiensem, Augustinianae familiae monachum improbos homines acerrima concione obiurgantem audisset, ac nescio quo Virgilii versiculo, quo ille opportune ad faciendam fidem usus erat, mirabiliter se adfici sensisset Sannazarius, egregium illud de partu Virginis poëma inchoavit, quod omnium saeculorum posteritas admirabitur.* De Marcelliano Oratore per lectionem Eclogae huius Virgilianae ad Christianam fidem converso vide Acta Sanctor. Iunii T. I. pag. 37. Vide etiam, si placet, rhythmos veteres Germanicos, quos refert Io. Conradus Dietericus in prolegomenis ad Antiquitates Biblicas V. T. pag. 21. et Dietericus von Stade in Specimine Otfridiano p. 34. additis notis. Porro Virgilium in hac Ecloga de Christo non loqui, iam observarunt Io. Henricus Boeclerus in exercitatione de vero sensu illius Eclogae, quae legitur tom. 2. dissert. eius Academ. iunctim nuper recusarum Argentor. pag. 287. seq. et amplissimus Frid. Benedictus Carpzovius, tum admodum adolescens, singularibus Exercitationibus, Augustus item Buchnerus in Oratione de hoc argumento, Conrad. Sam. Schurzfleischius in controversiis Antiquitatt. Ecclesiast. p. 297. sq., ut alios omittam. Per *Cumaeum carmen* Hesiodum potius quam Sibyllina respici a Poëta, recte notavit Probus, ut disputavi lib. I. Bibl. Graecae cap. 30. num. 14. Sane qui Virgilium de Salvatore nostro illa cecinisse sibi persuaserit, idem fidem quoque habeat Lucae Tudensi qui l. 2. contra Albigenses (T. 25. Bibl. Patrum edit. Lugd. pag. 210.) miratur in Virgilio etiam legi de precibus et meritis Sanctorum, quibus defunctos adiuvent, quoniam nempe Poëta scripserat VI. Aeneid. 664. *quique sui memores alios fecere merendo*: vel ut recentioris scriptoris hariolationes in medium afferam, idem assentiatur Abbati Faydito, qui in Observationibus in Virgilium et Homerum ac de stilo Scripturae S. Galliee editis pag. 152. seq. contendit dogma de SS. Trinitate a Virgilio tradi Ecloga VIII. 73. seq.

Terna tibi haec primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque haec altaria circum
Effigiem duco, numero Deus impare gaudet.

haustum scilicet e scriptis Platonis: et mortem Christi, obscuratumque illo mortuo Solem

Sol tibi signa dabit. Solem qui dicere falsum
Audeat? ille etiam coecos instare tumultus
Saepe monet, fraudemque et operta tumescere bella,
Ille etiam extincto miseratus Caesare Romam
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaque aeternam timuerunt secula noctem.

describit Georgic. I. 463. sq. Vid. Rich. Simonis Bibliothecam Criticam Tom. 2. cap. 32. et Tom. I. cap. 31. Virgilii Eclogam pro testimonio veritatis Christianae laudavit etiam Henr. Newtonus Epist. XXXIX. Vide sis etiam Surium ad IX. August. pag. 605.

lis Halfworthi Angli exstat apud Possevinum XVII. 16. Bibl. select.

5. *Daphnis.*

6. *Silenus*, quam perinde ut Pollionem ac Gallum bucolicas eclogas proprie esse negat Servius. Hanc Eclogam a Cicerone auditam narrat Ti. Donatus, illumque admirabundum exclamasse: *Magnae spes altera Romae.* Sed videtur Cicero iam interfectus esse ante quam hanc Eclogam scriberet Virgilius. Vide, si lubet, Vavassorem de ludicra dictione, p. 122. seq.

7. *Meliboeus.*

8. *Pharmaceutria*, ex qua ansam petiere nugivenduli ridicula quaedam de magia Virgilii comminiscendi. Vide, si placet, Naudaeum in Apologia pro Magis, Gallice plus simplici vice et nuper Germanice vulgata c. XVII. et Baelii Lexicon in *Virgile*, nota (E.) Bergierium de viis Rom. T. 10. Antiqu. Rom. p. 164. 689. adde vitam S. Guilelmi *o*) in Actis Sanctor. T. V. Iun. 25. nec non Naudaeana p. 89. ubi mentio montis Pausilypi, quem magica arte sua divisisse medium, Virgilium nugantur. Petrarcham quoque detulere, ut magum aliqui apud Innocentium VI. Papam, *p*) adiunxeruntque causam criminationis, quod Maronis carmina diligenter lectitaret.

9. *Moeris.*

10. *Gallus*, quam Dorico carmine reddiderunt Iosephus Scaliger et Dan. Heinsius. Vtraque Metaphrasis occurrit in Theocrito Heinsii.

Sunt Bucolica Virgilii, Daventriae separatim excusa 1488. 4. Ludovici Vivis in Bucolica notae, quibus allegorias removet et sensum poëtae historicum rimatur, recusae sunt Tomo I. Operum eruditissimi illius Hispani pag. 640. seq. Lectu etiam dignae Galli scriptoris dissertationes quatuor non ita pridem editae hoc titulo:

o) Memoires de Trevoux 1711. pag. 380.

p) Papyrius Massonus in Petrarchae vita, T. 2. elogior. p. 124.

titulo: *Dissertations sur la Poësie Pastorale ou de l'Idylle et de l'Eglogue: par Mr. l'Abbé Genest.* Paris. 1707. 12. et acutissimi Fontenelle *dissertation sur l'Eglogue:* scriptum plus simplici vice cum eius aliis lucubrationibus excusum, in quo nonnulla in Theocrito notat et Virgilio: *Reflexiones sur l'Eglogue, par Mr. Roi*, in eius Opusculis iunctim editis Paris. 1727. et Oeuvres melées de Mr *** contenant un discours sur la fin qu'a eu Virgile en composant ses Bucoliques, une traduction de ses Eglogues en vers François, un autre discours sur les regles de l'Eglogue, avec des paraphrases, en vers sur des Pseaumes de David et sur quelques chapitres des proverbes de Salomon Paris. 1732. 12. Antibucolica scripserat obscurus quidam Virgilio mastix, hoc est duas Eclogas Virgilii insulsissime παρῳδηθείσας, cuius utriusque initium Donatus auctor vitae memorat. Eclogas piscatorias primus panxit Latine quidem, cui vix quisquam post Virgilium praeponendus, Iacobus Sannazarius: *q*) Italice Bernardinus Rota, Neapolitanus, et Sannazarii interpres *r*) Vincentius Riccardus.

III. *Georgica* C. Cilnio Maecenati *s*) inscripta *libris IV.* quibus, ut ait Columella, *agricolationem fecit carmine potentem.* Tetrastichon argumenti loco, sive quatuor versus hexametros singulis libris praemisit *Modestinus* ICtus, quos *emendatissimos poëtae maximi*, Lactantius II. 4. appellat. Graeco carmine Epico donaverat hos libros *Arrianus* quidam Poëta, Svida teste; quod pridem intercidit. Argumentum de hortorum cultura, quod Virgilius praetermisit (confer, si placet, Plinium praefat. libri XIV.) occupavit postea *Columella*, de quo infra: et nostra memoria *Renatus Rapinus* libris IV. hortorum, atque *Iacobus Vanierius* in praedio rustico, non sane infeliciter. Ineditus Antonii Maioragii in Georgica Commentarius

q) Raccolta d'Oposcoli scientifici e filologici T. V. p. 238. 254.

r) id. T. VI. p. 141. seqq.

s) Maecenatis iussu suscepisse se hoc opus testatur Poëta III. 40.

Interea Dryadum silvas saltusque sequamur
Intactos tua, Maecenas, haud mollia iussa.

mentarius fuit in Bibl. Marqu. Gudii. Gnifonis et aliorum veterum commentarii non tulerunt aetatem. Novissime Londini 1732. 4. edita sunt cum Variis Lectionibus, notis selectis Variorum, et novis *Ioannis Martyn*. Etiam non contemnenda editio Bucolicorum Georgicorumque Londinensis 1684. 8. scholiis Variorum illustrata.

Georgicorum scriptores veteres deperditos bene multos, qui Graece maxime de re rustica scripserunt, referunt Varro, Columella, Plinius, Athenaeus, et Geoponicon auctor: plures collegit Fulvius Vrsinus in Virgilio cum Graecis scriptoribus collato pag. 82. seq. e quo illos hoc loco commemorare iuvat. „Fuerunt itaque *Aeschrion*, *Agathocles* Chius, *Amphilochius* Atheniensis, *Anaxipolis* Thasius, *Androtion*, cuius meminit Theophrastus lib. περὶ Φυτῶν ἱςορίας, et Athenaeus lib. 3. *Antigonus* Cymaeus sive Cumanus, *Apollodorus* Lemnius, cuius fit mentio apud Aristotelem in Politicis et Plinium lib. 8. *Apollonius* Pergamenus, *Archytas* Tarentinus Pythagoreus, quamvis alium Archytam Diogenes Laërtius refert Georgica scripsisse, non Tarentinum illum, qui Pythagoram secutus est: *Aristomenes*, *Aristophanes* Mallotes, sive, ut est apud Plinium, Milesius: *Aristander* Atheniensis, *Aristoteles* Peripateticus, *Athenagoras*, *Attalus* Philometor, *Bacchius* Milesius, *Bion* Solensis, *Chaereas* Atheniensis, *Chaeresteus* Atheniensis vel *Chaeristus*, si Plinium sequamur, quem tamen *Chrestum Euphronis* appellare videtur Columella lib. 1. *Crates*, *Democritus* Abderites Physicus, quem περὶ γεωργίας librum edidisse testatur etiam Laërtius: *Diodorus* Prienaeus, *Dion* Colophonius, *Dionysius* περὶ Φυτῶν, sive, ut Petrus Victorius emendavit, *Euphyton*, *Diophanes* Nicaeensis, *Diophanes* Bithynicus, cuius epitomen Georgicorum *Dionysii* Vticensis citat etiam Plinius. *Epicharmus* Siculus, *Epigenes* Rhodius, *Evagon* Thasius, quem Plinius alibi Evagoram nominat: *Eubolus* qui Columellae et Plinio *Cleobolus*, ego vero *Eubulus* malim; *Euphorion*, *Euphron*,

phron, *Euphronius* Atheniensis, *Euphronius* Amphipolites, *Hegesias* Maronites, mendose enim legitur apud Varronem *Aegesias*, *Hieron* Siculus, *Hostilii Sasernae* Pater et filius, *Incertus auctor περὶ βυγονίας*, *Lysimachus*, *Mago* Carthaginiensis a *Dionysio* Vticensi conversus Graece, *Menander* Prienaeus, *Menander* Heracleotes, *Menecrates* Ephesius Poëta, quem de apibus scripsisse, intelligere possumus ex Varrone lib. 3. cuius etiam meminit Nicandri interpres; *Menestratus*, *Mnaseas* Milesius, *Nicesius* Maronites, vel ut ego puto, *Hicesius*, cuius fit mentio apud Athenaeum et Plinium lib. XV. *Oades* qui *Dadis* appellatur a Columella, eamque scripturam probat Petrus Victorius: *Persis*, vel ut alii, *Perseus*, mihi tamen placeret *Perses*: *Pleutiphanes*, *Pythion* Rhodius, *Xenophon* Socraticus, et (latinus scriptor) *Tremellius Scrofa*. Haec ex M. Varrone, et Columella, *Orpheum* etiam τὰ γεωργικὰ cecinisse, eumque libellum ἔργα et ἡμέρας inscriptum fuisse, auctor est Isaacus Tzetzes in suis in Hesiodum commentariis, qui nonnullos etiam ex eo opere versus profert. Sed et alibi idem eruditus Grammaticus Orphei Georgicorum meminit. Videant autem docti, sit nec ne opus illud Orpheo tribuendum, cum nullum fuisse Orpheum Aristoteles et eum secutus M. Tullius existimarint. *Nicandrum* quoque Colophonium de rebus rusticis non rustica praeclare scripsisse testatur Cicero de Oratore libro I. c. 16. et Athenaeus libro III. qui eiusdem τὰ μελισσουργικὰ lib. II. adducit, quae fortasse Virgilius expressit in IV. Georgicorum. *Phaniam* etiam Eresium ἐν τῷ περὶ φυτῶν, *Antiphontem*, *Dorionem* et *Aeschylidem* ἐν τοῖς γεωργικοῖς idem Athenaeus citat libro III. XII. et XIV. *Neoptolemi* praeterea, *Aristomachi* et *Philisti* ἐν τοῖς μελισσουργικοῖς meminit Plinius. *Pythoclis* Samii ἐν τρίτῳ γεωργικῶν Plutarchus; *Chrysippi*, *Pamphili* et *Paxami* ἐν γεωργικοῖς Laërtius et Suidas: et *Oppii* (latini scriptoris) *de silvestribus arboribus*, Macrobius. Quem igitur e tot Georgicorum scriptoribus

sit potissimum secutus Virgilius, quaerendum non est, cum ipse Hesiodum se Ascraeum secutum esse fateatur, cum cecinit:

Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.

Quin tamen ex aliis quoque auctoribus, praesertim iis, qui desiderantur, nonnulla sit mutuatus, nullo modo dubitari potest, tiam et res ipsa loquitur, et a Plinio, Quintiliano, ac Macrobio traditum est. Servius etiam, optimus inprimis Grammaticus, multa Virgilium e Magone Afro, Xenophontis et Ciceronis Oeconomicis *t*) sumpsisse tradit." *Hactenus Fuluius Vrsinus.* Praeter Columellae, Rapini et Vanierii poëmata ad rem hortensem ornandam et supplenda Maronis Georgica faciunt *Io. Iouiani Pontani* horti Hesperidum de cultu pomorum citreorum: *Cossartii* et *Spinelli* de palma, atque eiusdem Spinelli de olea et cedro: *Petri Rufi*, Carnotensis Odae de cultura malorum citreorum aureorumque, in Vignolii Marvillii T. 3. Miscellan. p. 185. seq. nec non *Thomae Ravasini* Parmensis carmina de pratis, fico et vite: *Ludovici Alemanni* poëma Italicum ante paucos annos recusum Patavii, cui titulus est — *La Coltivazione;* nec non *Io. Rucellaii* de apibus suavissimum carmen. *P. Vanierii* Latinum poëma cui titulus praedium rusticum, passim politius ab auctore et duobus auctum libris, Tolosae 1731. 12. Libri Georgicorum Virgilii, prodierunt separatim Lipsiae 1494. 4. Troili Sabini praelectiones in Georgica Rom. 1526. 4. Petri Rami, Francof. apud Wechel. 1584. 8. Novissime, libri quatuor Georgicorum Variis Lectionibus, notis selectis Variorum et novis quamplurimis illustrati a *Ioanne Martyn* Lond. 1733. 4. Cum *Hermanni Torrentini*, Zwollensis Commentario prodierant Colon. 1507. 4. Paraphrasin latinam elegantem edidit *Nic. Grimoaldus* Lond. 1591. 8. *Germanica* prosa interpretatus est Steph. Riccius. Lipf. 1571. 8. *Polonico* carmine Valerianus Otrinovius. a. 1614. *Danico* Raunius, Hafniae 1680. 8. *Anglico* post Dryde-

t) Probus etiam e *Varrone*.

Drydenium denare ausus est Anonymus additis notis, liber primus prodiit Lond. 1725. 8. v. new memoirs of literature T. 2. p. 66.

IV. *Aeneidos libri XII.* u) Poëma illud Heroicum elegantissimum atque incomparabile, cui Virgilius duodecim annos (uti Georgicis annos septem, et Bucolicis tres) impendisse traditur, tametsi nec sic auctoris, a quo paulo ante obitum flammis paene traditum fuisset, ultimam manum x) est expertum. Imperfectum quoque Poëma nonnullis est visum, atque extremum librum desiderari, unde *decimum tertium librum* conscripsit haud absurda vena y) *Mapheus Vegius* Laudensis, qui in Pulmannianis, et Nic. Erythraei editionibus, atque aliis quibusdam legitur. Sic *Io. Forestus* in supremo Reip. Belgicae senatu Consiliarius, in supplementum operis Virgiliani composuit exequias Turni, laudatus Nic. Heinsio Epistola ad Is. Vossium data a. 1551. T. 3. sylloges Burmannianae pag. 599. Sed et in Francia *C. S. de Novavilla* Ducis Aurelianensis Archi-tricliniarcha Paris. 1698. 8. librum supplementi in Aeneidem edere ausus est cum interpretatione sua, paraphrasi et notis, nec dubitavit nomen suum carmini ipsi intexere vers. 215.

Villanovas quondam meritum affectabit honorem.

Versus

u) Servius in VI. Aeneid. p. 457. *Qui bene considerant, inveniunt omnem Romanam historiam ab Aeneae adventu usque ad sua tempora celebrasse Virgilium, quod ideo latet, quia confusus est ordo. — Unde etiam in antiquis invenimus opus hoc appellatum esse non Aeneidem, sed* gesta populi Rom. *quod ideo mutatum est, quia nomen non a parte, sed a toto debet dari.*

x) Abbas Vrspergensis in Chron. p. 51. *Varius et Tucca Virgilii et Horatii contubernales poëtae habentur illustres, qui libros Aeneidum postea emendandos susceperunt ab Augusto, ea lege, ut nihil de suo adderent.* Ex Servio in principio Aeneidos qui hanc legem fuisse ait propositam *ut superflua demerent, nihil adderent tamen.* Aeneida opus admirabile nimirum tanquam non satis emendatum oderat moriens Virgilius testamento praeceperat incendi. Itaque Plinius VII. hist. nat. c. 30. Divina Augustum ait carmina illius cremari *contra testamenti eius verecundiam vetuisse.* Meminit huius rei Gellius XVII. 10. et ex eo Macrobius I. Saturnal. c. 24.

y) De hoc Mapheo Vegio consulendae Additiones ad Naudaeana p. 194. seq. Diem obiit supremum A. C. 1458. adde de libro Decembr. Polit. liter. p. 67.

Versus imperfectos in Aeneide additis hemistichiis supplevit Ioannes de Peyrarede, nobilis Aquitanus. Argumenta singulorum librorum Georgicorum et Aeneidos, versibus olim scripsit *Herennius Modestinus* ICtus, quae in pluribus editionibus ante singulos libros praemittuntur. De Aeneidos parte in Graecum versa est apud Hug. Grotium Epist. 576. ad Gallum Voisin. Commentarii *Annaei Cornuti* et aliorum veterum in Aeneidem, uti *Carvilii Pictoris* Aeneomastix, diu est, quod perierunt. Versus quatuor primo Aeneidos, praepositi, *Ille ego etc.* a Vario sublati sunt, teste Donato in vita Virgilii, et in antiquissimo Codice Mediceo desiderantur, neque videntur lecti olim Ovidio II. Trist. 543.

Et tamen ille tuae felix, Aeneidos auctor,
Contulit in Tyrios arma virumque toros.

Vti enim Lucretii opus a primis verbis eidem Nasoni dicitur *Aeneadum genetrix*, ita hoc loco per *arma virumque* Aeneidem ab initio primi versiculi denotavit. E secundo Aeneidos sustulere quidam versus 22. ante versum: *cum mihi se non ante oculis etc.* narrat, sed reponere iubet Decembrius Polit. lit. p. 82. sq. Plinius VII. 30. Hist. *Divus Augustus carmina* (Aeneidem) *Virgilii cremari contra testamenti eius verecundiam vetuit.* Confer Donatum in Poëtae vita, Macrobium lib. 1. Saturnal. cap. 24. et versus sub Augusti nomine ferri solitos quorum initium:

Ergone supremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas — — —

Io. Henricus Boeclerus in calce notarum ad Aeneidem pag. 166. *Et sic absolutum est opus Virgilianum, cui nihil addi, nec demi potest. Vnde magnam famae suae fecit iacturam* Maffeus Vegius *Laudunensis, qui librum unum adhuc ei adiunxit de sepultura Turni et nuptiis Aeneae. Decore enim finivit opus suum Virgilius caede Turni, requirente id* πραγματεία *operis Epici, quod admodum Tragoediae debet confici. Alterum autem foedius*

dius crimen commisit idem Maffeus Italus, quod non veritus est comparare versus suos cum Virgilianis. Vtut enim non sint aspernendi, ipseque diligenter Virgilium imitetur, imo tota hemistichia sublegat, genius tamen contextus est humillimi ingenii si cum Virgilio confseras — — Sic etiam ineptus ille, qui Argenidem Barclaii continuare est ausus. *Iosephi Seizii* clavis anterioris Aeneidos, itinera Aeneae notis et tabulis reserans, lucem vidit Halae Svevor. 1657. 4. *Christophori Landini* Allegoriae in libros Aeneidos. Basil. 1577. fol. *Fulgentius,* qui *de continentia* seu argumento *Virgiliani poëmatis* allegorice expositi libellum scripsit, Chalcidii aequalis fuit, adeoque sub initia quarti a C. n. saeculi vixit, Cordubae an alibi, Christianus, (ut videtur) an alienus a nostris sacris, non plane exploratum. Caeterum titulo libelli sui imitatus est L. CALPVRNII PISONIS *libros duos de continentia Veterum Poëtarum*, nec dum, quod mirum dolendumque est, in lucem editos, ex quibus fragmenta quaedam affert Paulus Merula in Commentario ad Ennii fragmenta: de ipso autem Pisone haec scribit in Ennii vita p. 15. seq. quae hoc loco apponam, si forte possim aliquem permovere ad Codicem illum MS. perquirendum et in dias luminis auras protrahendum: *L. Calpurnius Piso V. C. Sic enim exaratum erat eius nomen in scripto exemplari, fuit forte, si coniecturae locus, nepos istius Calpurnii L. F. L. N. Pisonis, qui cum Nerone Claudio Caesare Augusto secundum Consulatum gessit anno ab V. C. 810. Vixit sub Traiano, coaetaneus C. Plinio Caecilio Secundo, M. Valerio Messalae, Ser. Sulpicio Camerino, C. Bellicio Torquato et Poëtis aliis, qui id temporis in Rep. Romana clari et magni. Consul videtur fuisse ordinarius cum Vettio Rustico Bolano, anno ab V. C. 863. Hic praeter ἐρωτοπαίγνιον, quod mire extollit Plinius lib. 1. Epist. 17. scripsit* Veterum Poëtarum continentiam, *quem postea imitatus* Fulgentius Planciades *fecit* continentiam Virgilianam. *Hic paulo attentius*

tius Virgilium describere conatus est quam Calpurnius, cui cum Virgilio plures erant discutiendi. Calpurnii certe elegantior et succinctior stilus quam Fulgentii, et maius quid ille quam hic dare mihi visus. Haec eius Continentia, vox haec ἀνέχεια Graecis, Parisiis, ubi esse indicarat mihi olim N. V. Wolfgangus Zindelinus, quo Germanorum Principum nomine Venetiis agente familiariter sum usus, servatur in Bibliotheca S. Victoris, *utinam religiosius: timeo enim illi a plagio: novi quorundam Criticorum mores. Coniuncta erat cum Lucano MS. cui suae ad marginem adiectae notae, rei non magnae. Ego admittente armariis praefecto, homine perhumano vidi, triduum (amplius non poteram propter subitum ex Galliis in Angliam, vocante vento, discessum) eius lectioni impendi, et enotavi quae in H. Stephani editione desiderabantur, nonnullorum Poëtarum fragmenta, multa quae iam edita supplens et emendans. Inscriptio erat;* L. Calpurnii L. F. Pisonis V. C. de Continentia Veterum Poëtarum ad Traianum Principem liber I. feliciter incipit, *rei, ut mihi visum, quam moliebatur auctor, parum conveniens; et nescio an ab ipso auctore. Calpurnius enim ibi erudite notabat, quae in Poëtis notanda, quae minus: id est digito quasi indicabat, praemissis, quibus universim Poëtarum commendabat imitationem, nominans quosdam sui aevi Poëtas,* libro primo virtutes, secundo vitia. *Vt brevibus dicam, et priore et posteriore libro committebat, quasi is illi fuisset scopus, magno iudicio inter se modo Poëtas veteres, modo novos* (Caninium, Octavium, Sulpicium, Secundum, Scantinium, Sextilium, Gallonium, Fabianum) *nunc novos cum veteribus, nunc hos cum illis, interdum Poëtas cum Oratoribus. Aliquando his, illis nonnunquam, saepe utrisque praetoriam illam mappam mittens, praecipue ut subodorabar ἐν τοῖς σχήμασι καὶ λέξεως καὶ διανοίας, quod cuivis facile erit videre, si lucem videre contingat aliquando scriptori doctissimo et lectionis multae.*

Haec

Haec Menck. Affertur enim locus ex isthoc Calpurnii libro MS. in Iani Dousae notis ad fragmenta Lucilii pag. 106. — De Fulgentii libello et eius argumento alibi dicetur.

V. Interpretes Virgilii veteres multi fuere. Eorum, qui adhuc extant, princeps est *Servius*, in cuius nomine toto non consentiunt libri. In edd. fere dicitur *Servius Maurus Honoratus*: in opusculis eius, a Putschio editis, *S. Marius Hon.* in aliis edd. *Marius Servius Honoratus*: in edd. Rob. Stephani, Iuntae et P. Danielis, *Maurus Servius Hon.* in MS. Paris. *Servius Honoratus.* —

Servius in Virgilium allegatur a Graeco scriptore Ioanne Malela p. 206. et 229. καθὰ Βεργίλλιος, ὁ σοφὸς Ῥωμαίων ποιητὴς, συνεγράψατο. ὁ δὲ σοφώτατος Σέρβιος ὁ Ῥωμαῖος ἐν τοῖς αὐτοῦ συγγράμμασιν ἐξέθετο, εἰπὼν, ὅτι μετὰ τὸ τελευτῆσαι τὸν Αἰνείαν κ. τ. λ. Commentarios in Virgilium, qui est verus operis titulus, auctore Prisciano L. VI. 698. 711. L. X. pag. 589. respicit etiam, Servium laudans, Lupus Ferrariensis Epistola XV. Servius *Magister Vrbis* dicitur ab Acrone ad Horatii lib. I. Sat. 9, 78. Valentiniani Imp. temporibus scripsisse notat *Io. Andr. Bosius* de Pontifice maximo Romae veteris cap. IX. §. 9. atque patet e Macrobio, qui sub Honorio et Theodosio Praepositus sacri cubiculi fuit, et Servium in Saturnalibus suis inter confabulatores convivasque Praetextati aetate provectiores inducit, quasi literatorum omnium longe maximum doctissimumque doctorem. Et lib. VI. cap. 6. *quotidie enim Romanae indoli enarrando eundem vatem* (Virgilium) *necesse est habeat huius annotationis sententiam promtiorem.*

De editionibus Scholiorum *Servii* accuratissime e Patrui schedis dixit P. Burmannus Sec. in praefatione ad Virgilianam Patrui editionem. Prima editio est Romana apud Vdalricum Gallum in fol. sine anni nota, sed non multo iunior Virgilio quem Venet. 1470. f. excudit Vindelinus Spira.

Mox

Mox in eadem Veneta urbe 1471. fol. Servius editus est per Christophorum Baldarfer Ratisponensem. Huic proxima est Florentina 1472. fol. e MS. Mediceo maxima parte expressa, curante *Petro Cennino:* de qua v. Maittarius T. I. p. 320.

Post editionem porro Virgilii Venetam cum Servii commentariis excusam per Iacobum Rubeum Gallicum 1475. fol. prodiit etiam Servius eodem anno Mediolani fol. et Venet. 1480. fol. arte Petri Pincii Cremonensis, Barthol. Blavii Alexandrini et Andreae Toresani de Asula, et 1482. fol. per Reynoldum de Novimagio et 1486. fol. per Antonium Bartholomaei: Brixiae 1485. fol. Paris. apud Ascensios, primum a. 1505. mox 1512. prodiit, inde Lugduni a. 1529. nec non Basileae, quae post Georgii Fabricii recensionem, curante Lud. Lucio 1613. vidit lucem etc. v. post de edd. Virgil. cum Comment. antiquis. Hae autem editiones, quae Sec. XV. et XVI. factae sunt, mire differunt, e diversis Codd. ductae, in quibus sibi nimium permisere librarii, demendo, interpolandoque.

Nova series sive classis editionum oritur ab editione a. 1600. Paris. apud Nivellium fol. in qua plenior Comm. Servii editus est e MS. Fuldensi per *Petr. Danielem*, item, ut videtur Burmanno, e Fulvii Ursini Codicibus. Ceterum putant, eum non satis diligentem fuisse in illo MS. F. usurpando, quod olim in usu Codd. scr. valde usitatum vitium fuit: omninoque, ea editio non est sine vitiis, ut quemque docebit comparatio cum alia qua bona editione, ut R. Stephani etc. Sed tamen ea vitia aucta sunt valde in eius repetitione, quae Genevae 1636. facta est, quam tamen, ut facilius parandam, fere secuti sunt postea editores Servii, etiam qui vulgo laudantur, ut *Emmenessius*, *Masvicius*. Fuere plures viri docti, qui correctiorem editionem tentarent, (quos enumerare non est necesse) per MSS. et edd. veteres. Sed solus perfecit *P. Burmannus* in ed. infra recensita, usus in ea re copiis Heinsianis edd. vett. et collationibus cum MSS. et aliis prae-

praeterea propriis utriusque generis, in his etiam antiquo et egregio Cod. Lipſ. per quas ille et textum bene correxit et var. lect. ſuppeditavit: de quibus vid. praef. *Burmanni ſecundi.* Hic etiam dedit notas ineditas *Dukeri* in Servii Comm. in Buc. Georg. in partem Aeneidos Tom. I. Virg. pag. LXXVII.

Servium, multi viri docti iam notarunt, farraginem eſſe non modo ex antiquioribus commentariis, Alexandri, Aſpri, Capri, Carminii, Celſi, Hygini aliorumque: ſed etiam ex Cornuti, Donati et Probi, qui nominatim ab eo commemorantur. Quandoque etiam Commentarii citantur, nullo addito nomine auctoris, ut in 1. Georg. 147. *ſuperfluam enim quaeſtionem movent quidam commentarii.* Etiam Servius ipſe allegatur ad Eclog. IX, 1. *et haec ecloga continuam, ut ait Servius, non habet carmen, ſed de diverſis locis Theocriti aliqua ad eam contulit.* Sic enim eſt in editione Petri Danielis. Sed in ed. Rob. Stephani et aliis, quas Maſvicius ſecutus eſt, Servii nomen eſt omiſſum, ut et in Burmanniana.

INDEX SCRIPTORVM IN SERVII COMMENTARIIS AD VIRGILIVM CITATORVM.

Ex Editione Burmanni.

z) Idem, ut videtur, cum Accio. *Fabr. Bibl. lat. T. I.*

Atteius

Cae-

vertit

556. 594. 735. 806. 808. 816. 6, 1. 56. 107. 121. 134. 149. 228. 233. 251. 278. 284. 288. 362. 432. 437. 445. 468. 484. 532. 578. 595. 616. 650. 701. 894. 7, 14. 12. 19. 20. 275. 282. 320. 466. 550. 641. 705. 722. 803. 8, 1. 2. 30. 127. 165. 183. 274. 315. 414. 459. 461. 527. 529. 589. 617. 624. 669. 670. 695. 699. 9, 106. 157. 264. 265. 269. 274. 307. 319. 328. 348. 437. 475. 479. 529. 563. 617. 633. 660. 678. 709. 715. 767. 792. 804. 808. 10, 77. 82. 115. 265. 270. 303. 453. 360. 471. 487. 519. 526. 557. 565. 567. 592. 607. 724. 738. 740. 745. 767. 842. 860. 900. 11, 9. 24. 90. 101. 183. 246. 269. 271. 287. 329. 381. 418. 477. 479. 483. 484. 490. 492. 11, 608. 664. 739. 751. 790. 811. 831. 860. 863. 901. 12, 67. 84. 102. 116. 142. 151. 170. 176. 197. 206. 266. 309. 538. 546. 587. 642. 664. 984. 691. 725. 764. 817. 830. 869. 896. 908. 952.

in Odyss. et Iliad. 1, 12. 4, 585.

in Odyssea. 3, 466. 6, 582. 603.

in Necromantia. 3, 67.

Horatius. E. 1, 37. 7, 10. 2, 14. 47. 53. 54. 66. 3, 8. 65. 76. 84. 88. 90. 120. 4, 20. 47. 5, 1. 20. 21. 56. 66. 6, 42. 7, 7. 25. 47. 55. 8, 11. 28. 9, 29. 35. 10, 6. bis G. 1, 24. 207. 266. 273. 287. 308. 320. 336. 400. 418. 460. 500. 2, 40. 42. 59. 149. 197. 277. 330. 385. 455. 3, 6. 125. 136. 153. 173. 360. 443. 539. 4, 111. 230. Ae. 1, 43. 61. 87. 211. 214. 218. 246. 247. 252. 296. 382. 439. 444. 525. bis 539. 547. 594. 595. 607. 701. 705. 707. 719. 730. 742. 2, 4. 29. 96. 133. 202. 260. 272. 367. 377. 433. 554. 598. 615. 620. 3, 2. 3. 93. 94. 116. 138. 506. 553. 576. 4, 5. 10. 54. 76. 94. 212. 224. 266. 384. 402. 403. 409. 412. 508. 558. 559. 585. 610. 654. 5, 64. 71. 122. 172. 192. 344. 421. 560. 745. 6, 1. 18. 20. 27. 152. 179. 204. 207. 273. 596. 603. 609. 611. 612. 617. 645. 772. 848. 7, 19. 47. 91. 99. 115. 188. 363. 377. bis. 422. 435. 480. 498. 537. 597. 605. 607. 696. 8, 25. 83. 163. 403. 409. 571. 577. 702. 726. 9, 96. 373. 570. 582. 633. 641. 10, 102. 444. 526. 653. 727. 11, 1. 65. 126.

Plau-

Scripto-

Teren-

in

in libris Logistoricis. 5, 80. 11, 97.
in Ludis theatralibus. 10, 894.
Rerum humanarum. 2, 636. 3, 3. 167. 8, 276. 9, 606. 12, 120.
libro Mirabilium. G. 3, 113.
de Ora martima lib. 1. Ae. 1, 112. 5, 19.
de Pudicitia. 4, 45.
Epistol. Quaestion. G. 1, 43.
libro primo operis Rustici. 4, 63.
de Scenicis Originibus, vel in Scauro. G. 1, 19.
in theatralibus. Ae. 10, 894.
de Saeculis. Ae. 8, 526.
De Vita populi Romani. E. 7, 33. Ae. 1, 730.

Varro Attacinus. G. 3, 175. Ae. 10, 396.
Varus et *Tucca*. Ae. 4, 436.
Varus Alfenus Iurisconsultus; verum etiam carmina quaedam scripsit. E. 9, 45.
Verrius Flaccus. Ae. 7, 53. 8, 203. 11, 143.
Victorinus. G. 4, 373.
Virgiliomastix. E. 2, 22. Ae. 5, 521.
Qui in Virgilium scripsit declamationes. 10. 532.
Vitruvius de Architectonica. Ae. 6, 43.
Vrbanus. G. 2, 424. Ae. 4, 384. 469. 548. 624. 5, 493. 517. 6, 609. 7, 556. 9, 390. 10, 661.
Xenocrates. Ae. 7, 204.
Xenophon in Paedia Cyri. Ae. 1, 48.
Liber Oeconomicus. 1, 43.

Alter Scholiastes antiquus est *Iunius Philargyrius* in *Bucolica et Georgica*. Barth. Adverf. XIX, 2. malit *Philargurum*, ex inscr. antiquis tesserarum ap. Pignorium, appellari. Sed ea est forma graeca et scriptura antiquior, nil discrepans ab hac vulgari, cuius et exempla alia repeciuntur, ut ap. Isidorum Origg. I, 21. Ea Scholia primum producta sunt a Fulvio Vrsino, e vetustissimo fragmento Serviano, et e Codice Virgiliano Politiani, post Kalendarium Farnes. et notas ad Rusticos, cum notis, in Servii Commentarium. Rom. 1587. Post ea repetita sunt in edd. pluribus ut P. Danielis, Commelini et ceteris. Notulas

quasdam *Iani Broukhusii* in ea dedit Burmannus Tom. I. Virgil. sui p. LXXV.

INDICVLVS SCRIPTORVM A PHILARGYRIO IN ECLOGAS ET GEORGICA CITATORVM.

Domi-

a) Vt L. Crassitius Pansa, C. Iulius Hyginus.

Sequitur *M. Valerius Probus*, cuius sub nomine pariter *Scholia in Bucolica et Georgica* extant. Memorantur autem plures Probi Grammatici, in his clarissimi duo, alter Neronis aetate, alter Hadriani, qui in Virgilium scripserint. v. Gell. IX, 9. XIII, 19. de priori et Macrob. Sat. V, 22. ad alterum pertinere videtur vita Probi Svetoniana, eiusque sunt libri, quos sub Probi nomine habemus, ut de notis literarum. v. Pierius ad Aen. XII, 159. Haec Scholia ad neutrum pertinent, videnturque Probi nomini

nomini ſuppoſita. Haec Scholia primum edita ſunt in ed. Veneta a. 1507. fol.

INDEX SCRIPTORVM QVI A PROBO IN ECLOGAS ET GEORGICA b) LAVDANTVR.

b) Probus in Aeneidem etiam a Servio laudatur, ſed illi commentarii interciderunt.

cutus Virgilius. Probus in vita.

Tragoedia. G. II. 380.

Quintilius Tucca, Virgilii amicus. Probus in vita. Supra in Servio Vario.

Varro Atanicus in corpore Argonautarum. G. I. 14. libros quatuor de Argonautis edidit. G. II. 126.

Hesiodum et *Varronem* secutus Virgilius in Georgicis. Probus in vita.

Varro Menippeus a societate ingenii, quod Menippus quoque omnigeno carmine satiras expoliverat, in tertio rerum humanarum. E. VI. 31. in Cynicis, quem inscripsit dolium et ceria. id. Logistorico qui inscribitur Tubero de origine humana. E. VI. 31. Logistorico quem inscripsit Messala de valetudine. id.

Varus. Supra in Servio Vario.

Virgilius Alpheno Vario, Asinio Pollioni et Cornelio Gallo blanditur in Bucolicis. Probus in vita. Eius Epitaphium. id. Augusti victoriam Actiacam clypeo expressit octavo Aeneidos. G. III. 46.

Xenophanes Colophonius. E. VI. 31.

Xenophon. Supra in Anaxagora.

Zenon Citieus. E. IV. 31.

Quartus interpres antiquius est *Tib. Claudius Donatus*, diversus ab *Aelio Donato*, et eo iunior. Eius habemus primo Vitam Virgilii, quae videtur praemissa ab eo fuisse commentariis in Bucolica, qui interciderunt, deinde *Scholia in Aeneida.* In Servii commentariis citantur ex Donato, quae etiamnum in iis leguntur, qui soli aetatem tulerunt. In universis commentariis id agit potissimum, ut vim dicendi et artificium rhetoricum in singulis explanet, et simul proprietatem vocum, delectum atque consilium et motus, affectusque et pondus, et τὸ πρέπον morum, sive, ut Donatus appellat, *moralitatem* accurate servatam a poëta demonstret, atque egregiam inventionem a principio per totum opus decurrentem in Aeneae laudibus ad Turni usque necem perducendis. Scriptores laudat per-

raro et paucissimos, quos infra habes. Libri quarti et octavi partes extremae desiderantur, et initium libri sexti in versus primores centum et duodesexaginta; et in libro duodecimo a vers. 619. ad 664. et a vers. 689. ad 756. et a vers. 780. ad 847. Expositionem suam divisit in libros duodecim, eisque tertium decimum voluit subiungere, de quo ad lib. VII. 641. Pandite nunc Helicona, Deae, cantusque movete (Qui belli excito Reges etc.) *Catalogus iste huic interpretationum libro non fuerat inserendus, nihil enim habet quod artificiose (ῥητορικῶς) posset exponi — tamen ne quid libro decerpi videatur, dicemus aliqua eius uno libro, qui tertius decimus erit, cum totius operis complexione dicturi, ut historiae per duodecim libros sparsae et caetera, quae supra dicta non sunt, possint evidenter apparere.* In Epistola vero, quae libro duodecimo subiicitur, testatur, se illum monobiblon necdum scripsisse, atque incertum vitae dum senex metuit, cursim interim absolvisse Aeneidos interpretationem. Si suppetat longior vita, se ex commentariis veterum collecturum descriptiones singularum personarum, locorum, herbarum etiam lignorumque. Hunc si in usum filii sui deinde elaboravit, liber ille ad nos haud pervenit. c)

Hic Commentariolus repertus est a *Io. Ioviano Pontano*, primumque editus est ex eius Bibliotheca separatim per *Scipionem Capycium* Neap: a. 1535. fol. primum insertus Corpori Interpretum Virgilianorum a *G. Fabricio.* Est autem hic Commentariolus, ut quidem in exemplis editis est, valde mendosus: quaedam non habet, quae Servius ex eo profert. Itaque nonnulli opus hoc spurium iudicaverunt. Sed qui Codd. scriptos inspexere, plenius ibi reperiri testati sunt, ex iisque adeo multa profert Pierius in Castigg. Virgil. vid. inpr. P. Burmannum V. C. in praef. Virgil. Burm.

INDEX

c) Hic est liber Donati quem exstare peroptabat tantopere Barthius ad Statii XI. Thebaidos 543. T. 3. p. 1386.

INDEX SCRIPTORVM IN TI. DONATVM.

nem Epigramma. id. Catalecton, Moretum, Priapeia et Epigrammata et Dirae et Culex quem annorum quindecim scripsit. id. Epitaphium. id. Thyestes tragoedia quam Varius pro sua edidit. id. Dimidiatos versus Aeneidis supplere multi conati parum feliciter. id. Virgilius a Scirone audivit quidem praecepta Epicuri, sed Academicus fuit et Platonis sententias aliis omnibus praetulit. id.

Edita sunt etiam sub nomine *Pomponii Sabini* quaedam in Virgilium, velut antiqua, Scholia: quem mediae aetatis Grammaticum doctissimi quidam viri putarunt, suntque eius testimoniis usi. Sed suspecta sunt merito viris acutioribus, aetatis quidem nomine. Nam ea scholia sunt potius a viro docto huius nominis, qui sub initium renascentium literarum vixit. Primus edidit inter ceteros *Georg. Fabricius.* Ceterum auctorem multa a Grammaticis veteribus sumsisse, fatendum est.

VI. Editiones Virgilii iam referre animus est, non sane omnes, sed potiores, atque initio eas, quae commentaria veterum adiuncta habent. Princeps editio cum *Mauri Servii Honorati* Grammatici Commentariis prodiit per Vdalr. Gallum Romae s. l. et a. s. Venet. 1471. f. Florent. 1472. fol. per fratres Cenninos. Venet. 1475. fol. memorata Labbeo Bibl. nov. MSS. pag. 340. et Maettario. Hinc Virgilius una cum Servio excusus Venet. 1480. 1482. fol. et 1483. s. l. 8. Venetiis 1486. 1488. 1489. Mediol. 1490. item Venet. 1491. bis per Barth. de Zanis et Laz. de Saviliemo, post 1492. 1494. 1495. 1497. 1499. fol. Norimb. 1492. fol. Mediol. 1501. fol. Argentorat. 1502. fol. Paris. 1500. 1507. et 1515. fol. apud Badium Ascensium et Lugd. 1517. fol. Venet. 1565. 1507. fol. 1510. 1515. 1520. 4. additis Tib. Donati, Christoph. Landini et Domitii Calderini notis, itemque Mancinelli, Augustini Dathi, etc. Etiam Lugduni sic editus est Virgilius 1517. 1529. fol. eodemque anno Paris. per Petr. Vidovaeum. Cum Servii commentariis,

tariis, antiquorum exemplarium ope integritati suae restitutis, Paris. apud Rob. Stephanum 1532. fol. perquam nitida editio, castigationes et notas Io. Pierii Valeriani eruditissimas in Virgilium habens adiunctas, quae separatim primum prodierant Rom. 1521. et apud Rob. Steph. 1529. f. Porro Venetiis 1533. apud Iunt. eodemque anno Mediolani. Ex recensione Io. Baptistae Egnatii Veneti, Virgilius, Servii commentariis illustratus, apud Io. Walderum, Basil. 1534. 4. qui vetusto praeterea exemplari usum se esse significat. Cum Probo et Servio, Venet. 1534. 8. apud Alex. Vellutellum. Editio sequitur Parisiensis et Venet. 1541. 4. item a. 1542. et 1544. Brixiae 1546. f. Cum Servii et *Tiberii Claudii Donati* commentariis, ex recensione Georgii Fabricii, additis Io. Hartungi in Aeneidem annotationibus, Basil. 1551. fol. Idem Fabricius Indicem scriptorum a Servio allegatorum praefixit. Editio Veneta anno 1558. 1562. f. 1574. fol. cum notis Servii et varior. Cum commentariis Servii et Donati ex editione G. Fabricii, *Probi* praeterea Grammatici antiqui in Bucolica et Georgica notis, item recentiorum Pomponii Sabini, Phil. Beroaldi, Io. Hartungi, Iodoci Willichii, G. Fabricii, Bonfinii, Ioan. Lud. Vivis, Coelii Rhodigini, Adriani Barlandi, Scoppae, Constantii, Campani, Crucii et aliorum, Basil. 1561. 1575. 1586. fol. et curante Ludovico Lucio, ibid. 1613. fol.

Virgilius et in ea Servii Commentarii ex antiquissimis exemplaribus longe meliores et auctiores e Bibliotheca *Petri Danielis:* accessit *Fabii Planciadis Fulgentii* liber de continentia Virgiliana, Chalcidio Grammatico dicatus, auctior e MSS. Codd. item *Iunii Philargyrii* commentariolus in Bucolica et Georgica Virgilii ad Valentinianum. Paris. 1600. f. Praeter vitam Virgilii brevem prosa scriptam a Servio, et alteram prolixiorem auctore, ut creditur, *Donato*, praemittitur et tertia a *Foca* Grammatico urbis Romae scripta versibus hexametris, sed mutila. Subiiciuntur denique loca multa Servii in 1. et 2. Aenei-

Aeneidos restituta et locupletata ex insigni MS. Codice Fuldensi, quem laudat etiam Grotius in Ioh. VIII, 38. Repetita est haec editio Genevae 1610. 1620. et 1636. 4. Basil. 1613. f. ap. Henr. Petri; per *Iac. Emmenessium*, additis et recentiorum notis, ut Pierii, Naunii et aliorum selectis Lugd. Bat. 1680. 8. Voll. 3. per *Pancratium Masvicium* eodem fere modo Leovard. 1714. 4. Voll. 2. quae editio splendida est, sed multis nominibus merito reprehensa a *P. Burmanno* in Obss. Dorvill. Vol. VIII. p. 81. seqq. Apparet rarius Sec. 16to exeunte, hoc nostro rarissime cum Commentariis antiquis editum esse Virgilium. Recentissima et optima huius Classis editio est *Petri Burmanni*, in lucem edita per nepotem eius e fratre *Petr. Burmannum Secundum*. Amst. 1746. 4. Voll. IV. Sed de hac editione in altera Classe diligentius dicemus, et ante, ubi de Servio dicebamus, diximus. Nam in Schreveliana editione Amst. 1646. 4. tantum excerpta e Servii Comm. reperiuntur.

VII. Editiones praecipuae sine commentariis veterum curatae sunt hae. Prima omnium est Romana per Sweinhemium et Pannartium, sine anni nota, quae ad a. 1467. (est enim duplex) et 1469. refertur: de ea v. Quirinum Card. de Opt. Script. edd. p. 191. f. Huic sine dubio proxima est altera Romana sine anni nota per Vdalricum Gallum, de qua supra inter eas edd. quibus Servius adiunctus est, Venetiis 1470. per Vendelinum Spir. Romae 1471. per Adamum Rot. item alia sine loci et typogr. nomine. Post a. 1472. Venetiis per Leon. Achatem et iterum per Barthol. Cremonensem, cui catalecta primum accessere, repetita etiam in Virgilio excuso Venetiis 1475. f. et 1473. fol. *In alma urbe Roma — — non atramento, plumali calamo neque stylo aereo, sed artificiosa quadam adinventione imprimendi seu characterizandi opus sic effigiatum est ad Dei laudem industrieque est consummatum per Vdalricum Gallum et Simonem de Luca, 1473. die 4. Novemb. Sixti quarti tertio.* Est etiam huius temporis

et

et a. 1472. alia f. l. et typographi nomine, quam Mediolanensem, a Zaroto factam putant. Tum Mediolanensis 1474. fol. per Philippum de Lavagna. Huius et Venetae a. 1472. (quae ambae asservantur in Bibl. illustrissimi Comitis Sunderlandiae) Varias lectiones Mich. Maettarius subiunxit Virgilio, quem Londini 1715. 12. a se recensitum edidit. Exstat porro editio Veneta 1474. fol. per Nicolaum Ienson, Gallicum, in qua primum *Ciris* prodiit typis. Virgilii Maronis Partheniae opera omnia diligenter emendata et accurate impressa ab Antonio Zaroto Parmensi Mediolan. 1476. fol. fuere cum notis MSS. *Iani Parrhasii*, Neapoli in Bibl. Iosephi Valettae, item aliae duae eiusdem anni, Vicentiae per Io. de Vienna, et Lovanii per Io. de Paderbona, quae fuit in Bibl. Harleiana. Parif. 1478. f. per Vdalricum Gering, quae repetita est 1479. recognita per Paullum Malleolum, et Parmae 1498. fol. impensa et opera Andreae Portiliae. Mediol. 1481. per Zarottum, et alia per Pachel et Scinzenzeller. Prior a. 1482. repetita est. Notatur et alia Venet. 1488. f. et Parif. 1489. 4. Romae 1490. f. per Eucharium Silber. Agmen huius seculi cogit ed. a *Nic. Erythraeo* recensita f. loci nota, 1500. 8. per Franc. Rampanetum: quae deinde saepe repetita est, ut 1539. 1555. etc.

Seculi XVIti prima est Aldina 1501. 8. qui liber est primus expressus literis minutis, quas Italicas, f. currentes vocant: de quo genere v. *Nouveau Traité diplom.* T. III. p. 262. 404. Auctor inventi fuit Franc. Bononiensis, ut patet ex epigrammate in illa ipsa editione, cuius exemplum in manibus habemus:

Qui Graiis dedit Aldus en Latinis
Dat nunc grammata sculpta daedaleis
Francisci manibus Bononiensis.

In fine sunt aliquot emendationes ex antiquis MSS. Romano et aliis. Haec editio saepe repetita est, sed negligentius, ut 1505. 1514. 1527. Huic proxima est Argentinensis 1502. f. per *Sim. Brant* cum comm. saepe ante editis: cuius exemplum

plum habemus, cui adscriptae sunt Var. lect. nominatim e MS. Colotiano. Argentinenses aliae sunt ut a. 1520. 8. Operum omnium ap. Cnoblauch, et Aeneidos separatim ap. Schurerum. Hoc tempore etiam Phil. Melanthon Virgilio curas impendere coepit, cuius notae in variis edd. reperiuntur, ut Moguntiae, Parisiis ap. Colin. Io. Parvum, Lugduni etc. Virgilius cum argumentis *Philippi Beroaldi*, Lips. 1503. f. ubi et separatim, modo Georgica, modo Bucolica excusa sunt, ut et Aeneis a. 1505. apud Iacobum Thanner, ut Georgica, excusa Daventriae 1514. 4. cum commentario Hermanni Torrentini, et similiter passim. Sequuntur Ascensianae Paris. 1505. 1507. f. etc. et Iuntinarum prima Flor. 1510. 8. Dehinc aliae Venetae anno 1519. ap. L. A. Iuntam fol. a. 1522. apud Bernh. Stagnium 1531. 12. et Parisinae, ut 1539. 4. cura *Sussanaei*, ut eodem a. *Sim. Colinaei* secunda, aliquoties deinde repetita: nam prima est a. 1526. 8. Rob. Stephani 1533. 1537. 1540. et 1549. forma minore, quae e maiori 1532. natae. Hoc fere tempore Seb. Gryphius coepit Virgilii opera edere Lugd. primum 1542. 8. ex castigatione Ant. Goveani: et Paris. Fr. Gryphius 1538. 4. quae est Gryphiani nominis prima. Virgilius innumeris locis ad veterum P. Bembi et A. Naugerii exemplarium fidem castigatus, Venet. 1525. et 1552. fol. cum Paulli Manutii Scholiis 1558. 8. etiam ante 1540. 1545. 8. apud Aldi filios, item 1558. 1560. 8. 1576. 1580. quibus duabus ultimis *Io. a Meyen* notae accessere. Extant et aliae Venetae, ut 1544. fol. ap. Scotum et aliae, sed e superioribus expressae.

Virgilius e *Theodori Pulmanni* emendatione Antverp. 1546. 12. quae est prima Pulmannianae recensionis. Lipsienses hinc memorantur, 1546. 8. cum notis, quae sunt *Phil. Becchii*, laudatae Camerario: unde alia 1551. expressa est, aliae 1548. 1568. Commemoratur et Brixiensis 1548. fol. cum Pierii Castigg. 1561. 8. et 1564. 12. cuius et variae lectiones in Virgilium prodiere Antwerp. 1571. *Georgius Fabricius* etiam laboravit in Virgilio, e cuius

recognitione nominatim primum prodiit Argent. 1557. 8. T. II. quamquam ad eum et pertinent Lipſ. 1546. 1551. 1556. Sed maior et optima editio eſt Baſ. 1575. f. it. Lipſ. 1596. 8. Praefatio eſt anni 1546. unde patet Lipſienſem 1546. ad eum pertinere, qua textus recognitionem, ex qua ſaepe poſt prodiit variis locis Virgilius. Eodem a. 1775. Antverp. prodiit Virgilius *Germani Valentis Guellii*, cum commentario et appendice Virgiliana, Ioſ. Scaligeri notis illuſtrata. Huius Guellii notas ad Virgilium paſſim laudat Cerda, et ſummi iudicii virum vocat ad Eclog. VIII. 85. laudat etiam Io. Robertus in animadverſionibus iuris civilis lib. 2. cap. 1. pag. 138. ſed in textu nil novavit. Hanc ſequitur ed. *H. Stephani* 1577. 8. cum Schediaſmate de dilectu lectionum Virgilianarum, aliquoties repetita, ut 1583. 1597. 1599. Poſt cum notis *Georgii Bersmanni* prodiit Virgilius Lipſ. 1581. 8. Serveſtae 1586. Lipſ. 1596. 1616. 8. Virgilius e MS. Carpenſi (nunc Vaticano) recenſitus cum notis Paulli Manutii, Venet. 1583. 8. Editio Virgilii Wecheliana, a. 1583. 8. e recenſione Erythraei, ſed cum notis et Indice *Sylburgii;* a. 1603. autem ex antiquiſſimo *MS. Palatino*, ſed haud optima fide vulgata, ut notat Allatius p. 58. ad antiquitates Hetruſcas. Eam tamen correctiſſimo indice ornatam laudat Barthius ad Statium T. 1. p. 258. Eſt et alia luculenta Commelini 1646. 4.

Inprimis luculenta eſt editio cum argumentis, paraphraſi ſive explicatione, et commentario luculento et pleniſſimo doctrinae antiquae, *Io. Ludovici de la Cerda* e S. I. f. tribus Voll. Lugd. 1619. atque iterum Colon. 1628. et 1647. Bucolica et Georgica cum *Cerdae* commentario lucem primum viderunt Madriti 1608. fol. in ſex priores Aeneidos libros 1612. et in ſex poſteriores 1617. fol. Cum Commentario eximio *Iac. Pontani*, prodiit Aug. Vindel. 1599. fol. et Lugd. 1604. fol. qui in calce voluminis adiunxit paraphraſin librorum trium primorum et trium poſtremorum Aeneidos. Prodiit etiam Virgilius ex Pontani caſtigatione typis nitidis Sedanenſibus Ioannis Ian-

lannoni 1625. forma minore. Cum Commentario erudito et utilissimo ad intelligendum Virgilium, *Fridr. Tubmanni* Francof. 1618. 4. in qua editione Culicem etiam et Cirin doctis annotationibus illustratos habes, quae duo poëmata a plerisque aliis omittuntur.

Ab hoc tempore *Heinsii* ad recensendum Virgilii textum accessere: primus pater *Daniel*, e cuius recensione prodiit Lugdun. Batav. 1636. etc. deinde filius *Nicolaus*, cuius textus *d*) primum prodiit Amstelod. 1664. post 1671. 12. et maioribus typis Paris. 1641. fol. sed optime et e Codd. paene triginta correctus Amst. 1676. 12. propter quas edd. merito a Bentleio ad Horat. sospitator Virgilii dictus est. Ea editio repetita est curante *P. Burmanno* 1704. 12. Commentarios eiusdem edidit tandem idem Burmannus in editione sua, de qua mox. Recensione perquam nitide prodiit apud Elzevir. Lugd. Bat. 1636. Amst. 1652.

Cum notis postumis *Io. Henr. Boecleri*, qui Virgilium e *Codice Argentoratensi* recensuit, editus est Vlm. 1698. 8. cum notis eruditis *Tan. Fabri*, Salmur. 1675. 12. cum scholiis brevibus, sed tironi utilibus *Thom. Farnabii*, Lond. 1634. 8. Amst. 1642. 12. Lips. 1702. 12. etc. cum scholiis *Io. Minellii* Roterd. 1674. 1697. 12. Hafn. 1698. 9. Herborn. 1700. 8. cum notis integris Farnabii et variorum, opera et studio Cornelii Schrevelii, Lugd. B. 1652. 1666. 8.

In usum *Delphini* etiam facta est editio Virgilii curante *Carolo Ruaeo* Soc. Ies. Paris. 1675. 4. Lond. 1686. 8. Amstel. 1690. 4. et secundis curis a. 1692. 4. textu etiam e Nic. Heinsii castigatione emendato. Haec secunda editio

d) Nicolaus Heinsius *elegantissimus Musarum amasius in sua Virgilii editione* (anni 1576. Amst. recusa 1688. 12.) *Medicei Codicis orthographiam in accusativis tertiae declinationis modo per IS, modo per ES locupletissime expressit* (nam per EIS non videtur Augusteae aetatis) *quamvis ut verum fatear, frequenter eosdem accusativos secus ac in laudato MS. leguntur extulerit, quod tamen amanuensis incuriae deputandum censeo.* Haec illustrissimus Norisius Cenotaph. Pisan. diss. IV. §. 2. p. 459. Similiter in Horatio circa eandem orthographiam, licet plerumque diligentius observatam, etiam peccatum aliquando ab eruditissimo Bentleio, notavit Clarissimus Burmannus praefat. ad Horatium a. 1713. minori forma editum.

tio recusa est Lond. 1695. 1707. 8. et Venetiis 1713. 4. et cum indice emendatiore Paris. 1714. 4. et quatuor tomis in 12. Ruaeus perinde, ut in aliis Poëtis ac scriptoribus Galli fecerunt, praeter notas et indicem omnium verborum, utilissimo instituto *interpretationem paraphrasticam* adiecit, qualem expositionem in omnia Virgilii pridem confecit Nicod. Frischlinus, et in tres primos totidemque ultimos Aeneidos libros Iac. Pontanus e S. I. Ea porro editio *Ruaei* facile optima est inter omnes edd. in usum Delphini factas.

Apparet, quam fecundum et frequens fuerit saeculum utrumque superius editionibus Virgilii. Hoc nostrum etsi non tam multas novas editiones vidit, quae copia, in tanta copia superiorum, necessaria non erat, tamen non caruit bonis editionibus, atque adeo extulit unam, quae ceteris omnibus palmam praeriperet. Prima est Cantabrigiensis, ad optimor. exemplarium fidem, sed fere ad Emmenessianum, (nam illud, ad meliorum librorum, Codicum, exemplarium fidem, plerumque nihili est.) a. 1701. 4. cum dissertatione Critica, quae debetur *Henr. Laugthono*, Bibl. publicae Cantabrigiensis praefecto: estque anno post forma minori repetita. Cui proxima est Paris. a. 1707. minore forma ap. Musierium, singulari studio emendata.

Sed maioris pretii est *Catroeana*, h. e. a *F. Catrou*, Soc. Ies. curata et primum facta Paris. 1716. 12. accuratius repetita 1729. 8. Voll. 4. Ea habet textum Heinsii, interdum mutatum ex aliis libris, sed raro tamen et servatis modestiae legibus, denique ratione in notis reddita. Sed addita est textui latino versio gallica, ceterarum, ut nobis videtur, optima. Etiam notae sunt sermone francico scriptae, sub textu breves et ad intelligendum comparatae, ad calcem librorum subiectae longiores et propemodum dissertationes super locis difficilioribus, praesertim ubi novam lectionem aut interpretationem secutus est. Sane nec doctrina, nec ingenium isti viro defuit.

De Masviciana 1717. supra iam dictum. Restat ut de *Burmanniana* dicamus, cuius supra iam mentio facta

a. 1745.

a. 1746. Huius editionis veluti prolusio facta erat a. 1746. 12. quo textus Heinsio-Burmannianus editus erat sine notis a *P. Burmanno secundo.* In hac editione, in qua Burmannus, et ipse poëta latinus excellens, et ad poëtas tractandos secundum Heinsium accommodatissimus ingenio et doctrina, primum textum, qualem dixi, dedit, profecto optime constitutum: deinde, praeter veteres Servii et Philargyrii Commentarios, variorum, inprimisque *Nic. Heinsii* ineditas notas, quibus et suas addidit: ad extremum *Pierii Castigationes* ad calcem, et Indicem *Erythraei.* Ipse cum mortuus esset, dum editio fieret, suscepit negotium is, qui etiamnum vivit, eius e fratre nepos *Pet. Burmannus secundus*, qui et operi praefatus est. Eam praefationem legere oportet Virgilii amantes et criticae artis studiosos, ut omnino praefationes Burmanni maioris, qui fere primus de editionibus auctorum satis recte et ad usus criticos accommodate dicere instituit. Dicitur enim accurate de MSS. ab Heinsio et Burmanno adhibitis ad textum recte constituendum: inprimisque de Servii editionibus, cuius, ut reliquorum Scholiastarum, textus hic accuratius constitutus est, et virorum doctorum in iis emendandis studio. Haec igitur editio est omnium princeps, et canon Virgilii posthac luculenter edendi.

Non praeteribimus editionem recentissimam Romanam anno 1763. seqq. etsi plus inest splendoris quam usus, certe ad eruditos. Textus est e MS. Bibliothecae Mediceae, additae paucae lectiones variae: versio deinde Italica, eaque poëtica, cui subiectae notae breves ad intelligendum textum latinum: in quibus eruditi non multum reperiant, quod sibi prosit. Additae sunt in Capite Tomi cuiusque dissertationes super rebus et locis quibusdam, in Tomo I. etiam Vita Virgilii, quae Donato tribuitur, et a Ruaeo scripta. In Tomo I. sunt 1. Diss. de comparatione Virgilii et Theocriti, 2. super Eclipsi solis post Caesaris mortem Georg. I, 466. seqq. a *Liberato Fassono* scripta. 3. *Ios. Maur. Pujati* super loco Georg. I,

489. seqq. Aeneidi praefixa est Alphabetica enarratio et descriptio locorum Italiae, quorum mentio facta est a Virgilio. 2. *Ant. Ambrogi* Diss. brevis de Adventu Aeneae in Italiam, quem ipse defendit, et Bocharti dubitationibus respondet, nulla Ryckii mentione facta. Insertae etiam sunt passim figurae ad res illustrandas e Codd. antiquis, non modo Virgilianis, sed et aliis. Forma operis est maxima. Praefuit operi *Ant. Ambrogi*, cuius et versio est et notae. Splendor tantus male consumtus est, nec tanti emerimus poenitere.

Ceterae editiones huius seculi sunt fere minores, pleraeque tantum repetitiones superioris alicuius, aut nihil novi boni habent, aut tironibus tantum destinatae fuere; de quibus dicere h. l. nihil attinet, ut *Maettarii*, *Binaldi*, *Iunckeri*, *Cookii;* aut praeter splendorem chartarum et literarum nullam novam commendationem habeat, ut quaedam Britannicae et Francicae. Memorandae tamen videntur hae, quia tamen aliquid boni novi habent, ut 1. *Alexandri Cuninghami* Edinb. 1743. 12. qui Horatium edidit; quamquam non ipse eam editionem curavit: sed in ea tantum reperiuntur var. lectt. codd. script. et edd. e margine exempli, quo ipse usus erat, itemque coniecturae eius quaedam, quae non bene etiam in textum receptae sunt, per fiduciam scil. in illius ἀκρίβεια critica in his rebus. 2. *Londinensis* 1750. 8. et 12. cum figuris et imagg. rerum antiquarum pulcerrimis, quae dicitur in titulo, illustrata, ornata et accuratissime expressa. Res redit fere ad splendorem externum. 3. *Parisiensis* 1758. curis et studio *Steph. Andr. Philippi*, nitidissima: sed in qua, quicquid iactet editor, textus Emmenessii est, et var. lectt. fere e Masviciana ed. exscriptae. 4. Curatur cummaxime ed. nova apta tironibus jam aliquantulum provectis, per quam et in intelligendo adiuventur, et ad sensum criticum in verbis et rebus assumendum praeparentur; cuius conficiendi negotium consilio nostro mandatum est *Chr. Gottl. Heynio* Prof. bonarum liter. Goetting. eiusque adeo operis iam

iam absolutae sunt partes duae, *prima* 1767. 8. quae Bucolica et Georgica complectitur, *secunda* 1771. quae Aeneidos libros sex habet. Tomus tertius non ita multo post absolvetur. Nam, dum etiam supra quam postulatum erat, dare studuit vir doctissimus, tradius opus processit. Textus est e recensione Burmanniana, notae nec nimis breves, nec nimis copiosae, complectuntur et verborum et rerum, etiam pulcritudinis intelligentiam: si qui locus longiori disputatione indigebat, Excursus nomine disputatio ad calcem libri est reiecta. Inter textum et notas est copia magna variae lect. et rerum crit. e MSS. edd. observationibus virorum doctorum etc. et suis: accessere et dispp. quaedam: ut de Carmine Epico Virgilii: de Inventione rerum in Aen. tract. In capite est Index MSS. notorum et ab viris doctis usurpatorum, item edd. ab prima inde aetate inventae typographiae ad nostram usque, additis etiam obss. crit.

Sed aliquid universe de editionibus Virgilianis addendum videtur. Primum igitur, quod ad textum attinet, res se habet, ut in aliorum auctorum edd. Primarum una aut altera e MS. codice facta est, sed ut interdum sibi plus permitteret editor, quam debebat, corrigendo, quae non intelligeret aut vitiosa putaret. Sed tamen metrum pro freno fuit in Virgilio aliisque, quorum notum et facile metrum esset. Ceterae fere sunt repetitiones illarum paucarum, quae e MSS. factae sunt, donec ars critica coli diligentius coepit, et plures Codd. e tenebris protracti sunt, praesertim antiquiores et meliores. In hoc igitur genere optime de Virgilii textu meriti sunt *Pierius* et *Heinsius*, secundum hos *Pulmannus*, *G. Fabricius*, *P. Manutius*, *Nannius*, *Ursinus*, *Burmannus*. adde Cl. Heynium de edd. Virg. pag. LX. seq. Interpretes Virgilii sunt optimi *G. Fabricius*, *de la Cerda*, *Taubmannus*, *Ruaeus*, *Burmannus* et *Heynius*.

VIII. Versiones Virgilianas fere has cognovimus: *Gallicis* versibus pridem, atque Crucimanio p. 296. Bibl. Gall.

 iudice,

iudice, non infeliciter, reddidit *Ludovicus Masurius* Nervius, quae eius Metaphrasis excusa est Parisiis, et Lugduni 1560. 4. etc. *Octavianus* item *de Sancto Gelasio* Paris. id. 364. Gallica metaphrasis *Roberti* et *Antonii Cevalieriorum e*) fratrum, latinis e regione positis, lucem vidit Paris. 1582. 4. et 1607. 8. cum libro XIII. Maphei Vegii ex interpretatione P. D. Mochault. Liber IV. et VI. Aeneidos ex metaphrasi *Ioachimi de Bellay* Paris. 1561. 4. cum Didonis querela ad Aeneam ex Ovidio, et morte Palinuri ex V. Aeneidos, et vale Musis dicto ex Buchanano. Ex *Bertrandi* metaphrasi versus quosdam secundi Aeneidos referens Bachetus Meziriacus ad Ovidii Heroidas T. 2. p. 196. eum vocat decus poëseos Gallicanae, *l'un des plus clairs ornemens de nostre poësie Françoise*. *Michaelis Marollesii* Virgilius gallica prosa primum prodiit ibid. 1649. fol. cum commentariis, indice Geographico et compendio Originum et Historiae Romanae a regno Iani usque ad Augusti tempora, libris tribus. Deinde Parisiis 1662. 8. tribus vol. *Aeneis* Gallicis donata versibus et observationibus illustrata a Perrino Paris. 1658. 4. et 1634. 8. 2. voll. *Io. Renaldi Segraesii* poëtica Metaphrasis Aeneidos, quae insignem praefationem praemissam habet, ac edita est Paris. 1668. 1678. 1681. 4. Amst. 1700. 2. voll. Lugd. 1719. 8. omnibus aliis praefertur ab Evremonio Tom. 3. Operum Misc. edit. Amstelod. pag. 191. *f*) Ex eiusdem Segraesii tum adhuc inedita Metaphrasi Georgicorum, quam vivus in lucem edere ausus non fuit, *g*) specimen productum est in Memoriis literariis Trevoltinis a. 1708. p. 1776. laus vitae rusticae, in extremo libri 2. Deinde tota illa metaphrasi postuma vidit lucem a. 1711. de qua in iisdem memoriis a. 1711. p. 1474. Librum IV. Aeneidos Gallica prosa

e) Robert et Antoine Chevaliers, Sieurs d'Aigneaux *traduisirent en François avec assez d'elegance pour leurs temps les oeuvres d'Horace et de Virgile.* Melanges Historiques Amst. 1718. 12. p. 74.

f) Bernardi Monetae Epigramma in eius laudem metaphraseos exstat in notis ad Adr. Bailleti iudicia eruditorum T. IV. parte 2. p. 505. seq.

g) Mem. de Trev. 1708. p. 1771.

prosa vertit *Tertraeus*, in quam, hoc exstat tetrastichon Nic. Borbonii pag. 116. poëmatum:

Ridebam quae sunt de me mentita Maronis
Carmina, carminibus iure neganda fides.
En alius nostrum renovat sermone pedestri
Dedecus, et Gallis somnia blanda refert.
Heu vereor graviora meo ne damna pudori
Historiae similis iam ferat ille labor.

Georgica Gallico carmine pereleganti transtulit post Segraesium et *P. de la Rue*, Voiturii propinquus *Martinius*, quae post auctoris fata vidit lucem Paris. 1708. 8. Eodem anno Eclogas Virgilii prosa Gallica eleganti cum notis Criticis et Historicis, ingeniosis certe, si non usquequaque scopum ferientibus, emisit in lucem *P. F. Catrou* S. I. Paris. 1708. 12. subiecta vitae Poëtae scripta latine a Tib. Claudio Donato ad filium Tiberium Claudium Maximum Donatianum, cui merito plurimum tribuit. Eclogae versibus Gallicis *Richerio* auctore, prodierunt Rothomagi a. 1717. Praeter Catroeum, Richeriumque et Regioportuenses et Fabrum Oratoris presbyterum, et Martignacium et Mallemantium, eclogas Gallico carmine donavit *Vaillant* Paris. 1724. 12. additis locis Theocriti, quos imitatus Maro est, et dissertatione de poësi pastorali. *Virgile travesti* sive Aeneidos libri VII. versibus Gallicis ludicris a *Scarronio* expositi Paris. 1655. 1667. Amst. 1668. 12. Postremos quinque libros simili genere carminis post *Carolum Coipeau d'Assouci* nuper supplevit *Iacobus Morellus Braseus* (Messire Jaques Moreau Chevalier Seigneur de Brasey Capitaine de Cavallerie dans le Regiment de Cuirassiers Espagnols du Comte de Louvigni) Amsterd. 1716. 12. Hoc institutum indigne ferunt Menagius in Originibus Gallicis p. 141. et Franciscus Vavassor libro elegantissimo de ludicra dictione p. 180. etc. Praetereo versiones Malingrei, Martigniaci etc. Andreae vero *Dacerii*, interpretis non infelicissimi versio non absoluta est. *Voiture* Metaphrasin Georgicorum ineditam, versibus composi-

tam gallicis, memorat Vignolius Marvillius personatus scriptor parte I. Miscell. Historico litterar. p. 44. Liber quartus Aeneidos carmine gallico in *Aegidii Boilavii* opusculis postumis Paris. 1670. 12. Sed si quis plura desiderat, videat Bibl. Fr. Vol. V. c. 4.

Italicam, Anonymo Florentino auctore, metaphrasin memorat Iulius Niger p. 539. Alia variis auctoribus, Hippolyti Medicei, Piccolominei, Io. Pollionis Polastrini etc. Venet. 1568. 8. cum commentariis B. Danielis, Venet. 1549. 4. Alia itidem auctoribus variis, Benedicto Varchi, Bernardo Minorbetti, Hippolyto Mediceo, Paulo Mini, Florentiae 1556. 8. curante Ludovico Dominico. Bucolica versibus *Italicis* reddidit Bernardus Pulci Florent. 1481. 1494. deinde Andreas Lori 1586. 12. *Evangelista Fossa*, Cremonensis, nec non Anonymus (qui illustri Maffeo videtur Io. Antonius Ghislerius) Bonon. 1708. 12. Daphnis sive Ecloga V. a Luttareo Venet. 1525. 8. cum notis. Georgica *Marius Nigresolus*, carmine ἀῤῥύθμῳ Venet. 1543. 8. et *Bernardinus Daniel* Venetiis 1545. 4. cum notis. Aeneidos libros primores quatuor *Hieron. Zoppius*, Bononiae 1558. cum notis, librum primum *Andreas d'Anguillara*, a quo optes caeteros libros similiter expressos videre: librum secundum *Hippolytus Medices* Cardinalis Venet. 1539. 8. quartum *Nicolaus Liburnius* Venet. 1534. 4. *Steph. Schiappalaria* Antw. 1568. *Io. Barthol. Philippi*, Genuae 1562. *Barthol. Carolus Piccolomineus*, nec non *Lud. Martellus* Florent. 1548. et *Sertorius Quatromanus* Neapoli 1624. et cum aliis eius scriptis 1714. 8. Sextum *Io. Pollio* Polastrinus et *Alexander Piccolomineus*. Venet. 1540. Octavum Venet. 1542. *Ioannes Iustinianus* Cretensis, de quo Diarium Venetum Tom. XI. pag. 278. Aeneidem integram *Aldobrandinus Cerretani* Florent. 1560. 4. *Laelius Guidiccionus* Rom. 1642. 8. tum *Thomas Aversa*, Mistrectensis Siculus. l'Eneide di Virgilio, tradotta in rima Siciliana. Panormi 1654. 1657. 1660. 12. Metaphrasin *Ioannis Antonii Gal-*

larati,

turati, Mediolanensis, qui Maphei etiam Vegii supplementum non omisit versibus Italicis reddere, laudat Philippus Picinellus p. 266. Athenaei eruditorum Mediolanensium. *Caroli Musatrae*, Messanensis l'Eneide di Virgilio istile drammatico MS. Mongitor Tom. I. Bibl. Siculae p. 129. qui p. 4. etiam ineditam *Aegidii Tutini*, Miletellani Siculi metaphrasin Italicam poëmatum Maronis memorat. Metaphrasis Aeneidos *Hercule Vdino* interprete edita est Venet. 1597. 4. 1600. 12. Alia variis auctoribus, cum commentariis haud contemnendis *Io. Fabrini*, Florentini, *h*) *Caroli Malatestae* et *Philippi Venuti*. Venet. 1597. 1604. 1623. fol. Praeclare *Annibalis Cari* interpretatio versibus solutis, *i*) sive ab homoeotoleutorum observatione liberis, lucem vidit Venet. 1581. 4. etiam Romae 1608. 8. Patavii 1609. 1631. 12. ac novissime, Latinis e regione positis, in tomo quinto et sexto corporis omnium Poëtarum Latinorum Latino-Italici, Mediolan. 1733. 4. *Theodori Angelucci*, *k*) Neapoli 1649. 12. *Alexandri Sansedoni* Venet. 1586. 8. *Barthol. Beverini*, in Lucca 1680. Rom. 1700. 12. Omitto antiquam translationem *Thomae Cambiatoris* Regiensis, *l*) editam a. 1532. et 1538. curante Io. Paulo Vasio, quem Cambiatorem Hetruscarum interpretationum primum circa a. C. 1430. auctorem celebrat Io. Maria Crescimbenus in historia poëseos Hetruscae patrio idiomate edita Rom. 1668. 4. p. 528. Primores libri quatuor Aeneidos octostichis Italicis (*ottava rima*) donati ab *Alexandro Marchetti* viro praestantissimo, adhuc MSti delitescunt, cuius metaphraseos specimen exstat in Diario Veneto T. XXI. p. 248. Recentissime et optime versibus Italicis expressa sunt Virgilii Carmina ab *Antonio Ambrogi* Florentino, quae addita est editioni Romanae anno 1763. de qua supra dictum.

Versi-

h) Laudat Rich. Simon Tom. 1. Bibl. selectae p. 345.

i) Versi sciolti.

k) Giornale de letterati d'Italia T. XII. p. 282. T. XXII. pag. 311. T. XXIV. p. 440.

l) id. T. VI. p. 236.

Versibus Italicis ludicra et maccaronica dictione Aeneidem prodidit *Io. Baptista Lallus, m)* Rom. 1634. Venet. 1635. 1651. 12. unde Paulus Scarronius ansam sumsit Gallicis versibus maccaronicis idem tentandi, et meliori etiam, ut urbanis et doctis videtur, cum successu. Vide Menagiana Tom. 3. pag. 145. et Naudaei dialogum Mascurati et S. Angeli etc. Hispanice quoque Toleti 1648. 4. prodiit *Virgilio deguisato, o l' Eneido burlesco en langue Guasconne del Sr. des Valles de Mountech.* Huiusmodi dictione ludicra sive maccaronica, ut obiter id attingam, primus apud Italos usus est *Theophilus Folengus* sub *Merlini Coccaii* nomine: nam perinde, ut Fidentianus, phrasin latinam vocesque per iocum immiscuit idiomati Italico, sic ille verba Italica et phrases Hetruscas latinae inseruit compositioni, quod deinde Galli, Belgae, et aliae nationes sunt imitatae. Illud scribendi genus aspernatur Boilavius *n)* in arte Poëtica carmine 1. Menagius in Miscellaneis Italice editis p. 322. seq. et multis reprehendit Franciscus Vavassor in libro politissimo ac pererudito de ludrica dictione. Verum si otiosis hominibus placet ridere, ita etiam moveri risum quid vetat?

Polonico carmine *Nicolaus Cochanovius.*

Hispanice Las obras de Virgilio traducidas en prosa Castellana por *Didaco Lopez de Alcantara.* Pinciae 1601. 4. Madriti 1614. 4. et cum notis Vlyssipone 1627. 1650. 4. Valentiae 1698. 4. Aeneis a *Gregorio Ferdinando de Velasco*, Toleti 1574. 4. et Compluti 1585. 8. a *Christoph. de Mesa*, Madrit. 1615. 8. Eclogae et Georgica eodem auctore, ibid. 1618. 8. Eclogae a *Io. Ferdinando Idiaquesio*, prosa

m) De hoc Lallo Nursiensi vide sis elogia Academiae Incognitorum p. 221. Ianus Nicius Erythraeus pinacothecae I. cap LXXIII. p. 131. *Virgilii Bucolica et Aeneidos libri Etrusco carmine miro lepore ac vetustate, facetis amoenisque sententiis in ridiculum conversi: quo in genere scribendi sale facetiisque Lallius omnes sui aevi superavit.* Alios ludicri carminis scriptores refert Iulius Niger p. 185. Bibliothecae scriptorum Florentinorum, ubi de Francisco Bernio.

n) *Laissons le burlesque aux plaisans du Pont neuf.*

prosa Castellana, Barcinone 1574. 8. Georgica a *Ioanne de Guzmann*, Salmanticae 1586. 12.

Anglico Carmine per *I. Ogilby* Equitem, cum notis, Lond. 1649. 8. et 1654. 1668. 1673. fol. Bucolica a *Ioanne Bidle*, 1634. Priores quatuor Aeneidos libri a *Richardo Stanihurst*, Lond. 1583. Virgil's works translated into English verse by the right honorable *Richard*, late Earl of *Lauderdale*. 2. Volum. 8. secunda editio. Nova metaphrasis versibus Anglicis anomoeoteleutis, *Bradio* interprete a. 1716. Pars libri tertii Aeneidos carmine Miltiniano donata a *Iosepho Addissonio*. Liber primus a *Christophoro Pitt*, an essay on Virgils Aeneid. Lond. 1728. Virgilius ex metaphrasi egregia *Ioannis Drydenii* o) Lond. 1698. fol. et 1709. 8. tribus Voluminibus. Nec hos tamen, nec ullos, ut videtur, alios satis dignos Virgilii interpretes habere nos iudicat Guilelmus Nicols, quotquot vernaculis linguis feruntur, ita enim ille in poëmate de literis inventis lib. V. pag. 324.

Dii prohibete boni, ne tanta inscitia linguae
Graecae et Romanae regnet in orbe diu,
Quanta per hos annos centum regnavit in illis etc.

Qui pro vatibus ipsis Virgilium Drydeni,
Maeonidemve legunt, pessime Ogylbe, tuum.
Quorum scripta legens quoties puer ipse viderem,
Quam male ab his vates esset uterque habitus,
Saepe, Maro, dixi, quantum mutatus ab illo es,
Romani quondam qui stupor orbis eras.
Si te sic tantum voluisset vivere Caesar,
Quam satius flammis te periisse foret.
Tu quoque, Maeonides, cuius dedit inclyta Musa
Antiquis ducibus, non potuisse mori,
Si sic scripsisses, potuisses forte videri
Non tam luminibus quam ratione carens.

Te

o) Natus Drydenius anno 1632. diem obiit supremum a. 1700. Calendis Maiis.

Te nec Alexander tanto cumulasset honore,
Sed te iussisset rex bonus ire foras.

Idem libro V. p. 220. fastidium suum nimis delicatum fortasse et ἀρχαιόφιλον his etiam verbis testatur:

Carmina quae veteres Graeci aut scripsere Latini
Barbaricis rhythmis reddita nulla probo.

Georgica a Thom. Maio, Lond. 1628. 8. Scaronides, sive libri duo primores Aeneidos, carmine Anglico ludicro, Lond. 1664. 8. nescio quo auctore. Recentissime omnia Virgilii *Ios. Trapp* cum notis crit. et exeget. Lond. 1731. 8. et *Ios. Warton* Lond. 1753. 8. Voll. 4. cum notis *Holdswoorth*, *Spence* et aliorum. Georgica *Io. Martin* Prof. Botan. Cantabr. Lond. 1441. 4. cum notis, in quibus et MSS. usus est. iterum 1746. 8. itemque ab eod. Bucolica 1749. 4. *Scotica* interpretatio, facta circa a. C. 1512. ab Gavino Duglas, Episcopo Dunkeldensi, vetustiori illius regni dialecto cum glossario scholiisque verba ab usu praesenti remotiora explanantibus, *p*) praelo iterum subiecta est Edimburgi a. 1710.

Germanice, praeter *Henricum von Veldeck*, Virgilius D. *Thoma Murnero* interprete, Argentorat. 1516. fol. Aeneis ex illa vetere versione, sed passim interpolata, Ien. 1606. 8. Ex prosaria *Bernhardi Melethraei*, Conrectoris Hamburgensis versione, Hamb. 1644. 8. Ex interpretatione *Io. Valentini*, Francof. 1660. 1697. 8. Georgica interpretatus prosa Germanica est *Steph. Riccius*, Lips. 1571. 8. Carmine Aeneidem, *Io. Sprengerus*, *q*) Augustae Vindel. 1610. fol. Francof. 1630. 4. M. *Mich. Schirmerus* Coloniae ad Spream, 1668. 8. Bucolica *Fr. Caltmus*, Hall. 1648. 8. Omitto inchoatam Aeneidos metaphrasin coeptam edi cum notis a *Theodoro Ludov. Law*, Elbing. 1725. 4. de qua Sodales Societatis Germanicae Lipsiensis in symbolis Germanice editis ad historiam Criticam

p) Journal literaire T. 1. p. 470.

q) Vide Societatis Germanicae Lipsiensis Beyträge zur Critischen Historie der deutschen Sprache, Poësie und Beredtsamkeit, erstes Stück. Lips. 1732. 8. p. 49. seq.

eam linguae, Poëseos et Eloquentiae Germanicae parte 2. p. 230. seqq. Mittimus alios.

Belgice, ut veterem Aeneidos versionem Antw. 1589. 8. vulgatam praeteream, Virgilius ex *Io. Vondelii* Metaphrasi, Amst. 1646. 4. et editio quarta a. 1659. 12. Bucolica a *W. G. van Focquenbroch* in eius Thalia, Amst. 1679. 8. ubi et Aeneidos libri duo primores carmine ludicro satis lepido expressi. Bucolica, et Georgica *Danico* reddidit carmine a. 1680. 8. *Petrus Barous* Ripensis.

IX. Virgilio profuerunt etiam praeter Interpretes multi Viri docti separatim per Observationes et alios libellos ad Virgilium vel emendandum vel illustrandum pertinentes. Huc pertinent, qui in unum alterumve librum commentati sunt, ut *P. Gabianus*, cuius Variae lectiones Virgil. prodiere Brixiae 1565. 8. (v. Fogginius praef. ad ed. Cod. Florentini) ut *Pulmanni* Antw. 1571. *Alberic. Gentilis* Hanov. 1603. 8. *S. Corradus* in lib. I. Aen. Flor. 1555. 8. in eundemque *Fr. Robortellus* Lugd. 1543. 8. et Flor. 1548. 8. *Hadr. Iunius* in L. III. *Petr. Nannius* in IVtum Lovan. 1544. 4. idemque in Bucolica, Bas. 1559. 8. in eadem *Rich. Gorraeus* Lugd. 1554. 8. *Petr. Ramus* in Bucol. et Georg. Paris. 1572. 8. *Tob. Hessius* et *Leon. Kulmannus* Argent. 1540. 8. Colon. in eademque *G. Herm. Torrentinus* 1509. 8. *Ad. Titii* prael. in Georgica Bonon. 1598. 4. eod. a. *Frid. Ceritt*, Veronae, ut alios minoris claritatis mittamus. Commentarii in totam Aeneida *Pauli Penii*, Venet. 1623. f. *Nic. Abramii*, Mussiponti a. 1632. 8. saepe repetiti, sed parum accurate. *Fr. Camponi* Quaestio Virgiliana, s. Elucidationes in aliquot Virg. loca. Mediol. 1540. 4. *Adr. Barlandus* in IV. primos Aen. libros Antw. 1544. *Lud. Hortensius* in VI. priores Aen. Bas. 1559. f. Huc pertinet Virgilius ex antiquis monimentis illustratus *Henr. Iustice* 1753. et 1764. 8. Voll. 3. itemque *Averanii* Diss. in XLV. in varia Virgilii loca T. II. Opp. *Tarquinii Gallutii* Virgilianae Vindicationes Rom. 1621. 4. et observationes criticae in multa loca Virg. in Obs. Misc. Dorvillianis Vol. I. II. III. IV.

X. Tem-

X. Tempore Gellii adhuc Idiographum Virgilii ostentabatur, ad quod provocat IX. 14. Similiter Quintil. lib. 1. c. 7: *Caussae, cassus, divissiones, quomodo et ipsum* (Ciceronem) r) *et Virgilium quoque scripsisse, manus eorum docent.* Plinius XIII. 12. *Iam vero Ciceronis manus ac Divi Augusti Virgiliique saepenumero videmus.* Ad Autographum Virgilii provocat quoque Valerius Probus apud Gellium XIII. 19. *Nam in primo Georgicon, quem ego librum manu ipsius Virgilii correctum legi:* Idem etiam dicit, sua aetate Codices Virgilii valde discrepasse, prope in omnibus versibus. Superest et hodie praeclarus Virgilii Codex MS. in Bibliotheca magni Hetruriae Ducis, correctus manu Turcii Rufi Asterii Aproniani, qui Consul fuit a. C. 494. Confer H. Noris ad Cenotaph. Pisan. Diss. IV. cap. 2. et Io. Mabillonium de re diplomatica p. 354. ubi specimen eiusdem et inscriptionem integram exhibet. Accuratam descriptionem Codicis illius ex Nic. Heinsii ineditis ad Virgilium Commentariis exhibet Petrus Burmannus Tom. V. sylloges Epistolarum p. 193. seq. ubi et subscriptio *Turcii Rufi Aproniani Asterii* Bucolicis subiecta, qui Codicem illum testatur se recensuisse et Consul fuit cum Protogene a. C. 494. unde fallitur *Paulus Gabianus*, qui varias lectiones illius edidit Brixiae refertque ad tempora Traiani Imp. Sed iam Codicem ipsum totum habemus editum, aeneis tabulis expressum, curante *Pet. Franc. Fogginio* Florent. 1741. 8. cum eiusdem notulis, item in ed. Rom. 1763. de qua ante. add. Nouveau Traité Diplom. T. III. p. 51. 52. De Asterio isto Aproniano, qui Codicem Virgilii Mediceum emendasse dicitur, vide Tillemontium in Historia Imperatorum, in vita Iuliani cap. 18. Tom. IV. p. 981. Cum Codice illo praestantissimo Virgilii Mediceo, litteris scripto uncialibus sive maioribus Romanis, forma quadrata minori

r) Fabula de duabus Epistolis adservatis Thorunii, quas manu sua in tabulis ceratis exaraverit Cicero, refellitur Petro Iaenichio in notitia Bibliothecae Thoruniensis pag. 38. seq.

minori, ante mille ac trecentos amplius annos in membrana, Marquardus Gudius V. C. a. 1662. contulit Bucolica (incepit ab Eclog. VI. 47.) Georgica et partem Aeneidos. Alia tria MSS. Virgilii volumina pervetusta, inque his unum, quod mille annorum esse creditur, exstant in Bibl. Vaticana. Sed de aetate Codicis omnino dissentiunt viri docti, et difficile est aliquid certi pronunciare. v. Nouv. Traité dipl. T. III. p. 56. et Cl. *Bottari* in praef. erudita ad figuras huius Codicis, ex parte olim a *Bartolo* tabulis aeneis expressas et editas Romae 1677. 4. tabb. 55. repetitas autem (nam tabulae aeneae superstites erant) et auctas ipsius cura ibid. 1741. f. cum fragmentis Virgilianis, quae in eo Codice reperiuntur. Aliusne sit Codex Virgilii, qui traditur minus antiquus quidem, sed tamen et ipse eximiae vetustatis, atque iconibus amoenis ornatus in Bibl. eadem Vaticana, quas diligenter delineatas aeri incidi edique curare voluit *Io. Carolus Schottus*, s) a quo Virgilium numis et veteribus monumentis illustratum, incassum t) exspectavimus. Sed Codd. Virgilii scriptorum notitiam qui desideret, adeat Cl. Heynium in Proleg. Virgilii et Auctores Novi operis diplomatici, in quo et multorum specimina exhibentur.

Ex antiquis Grammaticis Virgilium illustraverat *Alexander* quidam artigraphus, *Aurusianus Messus*, *Aemilius Asper*, *L. Annaeus Cornutus*, *Carminius*, *Aruntius Celsus*, *Flavius Caper*, *Grillius*, *Iulius Hyginus*, *Martius Salutaris*, *Octavius Avitus*, *Q. Asconius Pedianus*, *Pius*, *M. Valerius Probus*, *Rufus Apronianus*, *Scaurus* et *Velius Longus*. In Georgica scripserat etiam *M. Antonius Gnipho*. Sed horum omnium lucubrationes perierunt, perinde ut *Calvi* et *Iulii Titiani* Rhetorum, qui controversiarum materias e Virgilio petierant, vel *Avieni* qui Virgilium versibus Iambicis latinis reddi-

s) Journal des Savans 1708. Octobr. pag. 117.

t) Obiit vir clarissimus Berolini 12. Dec. 1717.

reddidit. Vide Catalogum ſcriptorum, quem Servio ſuo Georgius Fabricius praemiſit, et Barthium LXVII. 14. Adverſar.

Perierunt etiam Virgilii ipſius nonnulla, ſed his non accenſendum *Scylla* poëma, quod laudat Seneca Epiſt. 92. Illud ipſum enim eſt quod Ciris inſcribitur, ut dicetur infra. Servius in Eclog. III. 20. rem nuſquam lectam incerta fide a quibuſdam tradi narrat, quod Varus (Donato in vita Virgilii *Varius*) tragoediarum ſcriptor, tragoediam (*Thyeſten* idem Donatus appellat) pro ſua recitaverit, quam uxor Varii literatiſſima marito, tanquam a ſe ſcriptam dederit ſcilicet, cum a Virgilio illa accepiſſet.

XI. Refertur praeterea ad Virgilium veluti auctorem CVLEX, a Martiali quidem XIV, 185. et Statio Genethl. Lucani Silv. II. 7, 74. ubi v. Barth. dicatus Octavio Auguſto Imp. Poëma Heroicum venuſtum et iucundum, quod ſenem Virgilium luſiſſe putabat Ioſephus Scaliger; etſi Papinius, in Epiſtola ad Stellam, adoleſcentis potius proludium fuiſſe innuit, cui ſententiae favet etiam Martialis VIII. 56. Emendavit Culicem Virgilii P. Bembus laudatus P. Victorio XXV. 5. Var. Lect. cum eiuſque Caſtigg. prodiit Lugd. 1537. Poſt Bembum P. Pithoeus in Poëmatum veterum editione. Notis illuſtrarunt Ioſ. Scaliger et F. Lindebrog. in app. Virgilii, et in Virgilio ſuo F. Taubmannus, cuius Commentarius lucem viderat ſeparatim Vitebergae 1608. 8. Diſſertatio Critica et carmen hendecaſyllabum, quibus Culex Virgilio abiudicatur tribuiturque Poëtae alicui Vandalo vel Afro, quales ſub Rege Traſimundo ingenioſi eſſe voluere quidam in Virgilianis imitandis interpolandiſque, parte 2. tomi VII. ſylloges Gallicae cui titulus: Continuation des memoires de litterature et d'hiſtoire Paris 1729. 12. p. 295. ſeqq. 312. Editio Lipſ. 4. ſine anni nota extat.

CIRIS quoque Val. Meſſalae inſcripta, κεῖρις ſive κίῤῥις, ſive ut a Seneca Epiſt. 92. vocatur *Scylla*, (continet enim fabulam de Scylla Niſi F. in cirin avem mutata)

tata) videtur recte ad Maronem referri, quanquam Gifanius, nec non Iustus Fontaninus nuper, *Cornelio Gallo;* Raphaël Eglinus, in vindiciis Ciris Catullianae adversus Scaligerum Francof. 1606. 12. recusis in edit. Catull. in usum Delph. et alii *Catullo* maluerint tribuere. Virgilii esse negat Broukhusius ad Propert. pag. 90. Contra Virgilio asserere non dubitaverat etiam Barthius, cum hoc poëma separatim cum commentario suo ederet, natus annos duodeviginti, Amberg. 1608. Virgilioque adscribit ad Claudian. I. in Rufin. v. 253. licet alibi Cornelio Gallo videatur malle tribuere, ut ad Statii Theb. I, 335. Adv. III, 21. Nuper etiam Virgilii esse defendit Schraderus V. D. in obs. II, 3. cuius rationes probat, Vir Cel. Valkenarius in Diatr. in fragm. Euripidis, p. 160. Vid. etiam inpr. Fontaninum Hist. liter. Aquileg. L. I. c. 2. §. 5. Ceterum Cirin quoque inter poëmata antiqua P. Pithoeus recensuit, Ios. Scaliger, Frid. Lindebrogius in appendice Virgilii, et Taubmannus in Virgilio suo notis illustrarunt. Cirin aliquot locis illustrant Reinesius lib. V. cap. 7. Var. lect. ad calcem epistolarum ad Bosium pag. 332. et auctores Miscellanearum Observationum in Autores editarum Anglice Lond. 1732. 8. num. XXII. seq. et ed. Dorvill. Vol. IV. p. 317-333. ed. I-IV, 33. Iulius Caesar Scaliger Exerc. CCCXLI. in Cardanum: *Profecto una Virgiliana Ciris universum obruit Silii reptilem conatum.*

His reliqua subiecere animus est, quae leguntur in *Virgilii Catalectis* u) Venet. 1472. 1484. fol. Paris. 1500. f. apud Io. Parvum et Io. de Confluentia, et apud Aldum a. 1517. 8. atque ad calcem editionum Virgilii Antw. 1561. et 1575. fol. et Lugd. 1555. 1581. 12. et sub titulo appendicis Virgilii cum notis Ios. Scaligeri et Frid. Lindenbrogii

Aa 2 prodie-

u) Nic. Heinsius Epist. ad Daumium T. V. sylloges Burmannianae p. 218. *Catalectorum Maronianorum et scripta exemplaria et vetustae editionis Codices adhuc quaero nequicquam. Quantivis pretii mihi est visum exemplar illud sub initia artis typographicae ipsa prolatum in lucem, cuius testimonio V. C. Caspar Barthius in Adversariis frequenter est usus.*

prodierunt Lugd. Bat. 1595. et 1617. 8. etiam cum praedictorum notis leguntur in edit. Virgilii Masviciana Leovard. 1717. 4. etsi pauca genuina Virgilii poëmata continent, et pleraque fere ex iis certo constat non esse tanti auctoris.

1. *Aetna.* Hoc Poëma *Cornelio Severo* tribuendum esse, observavit Iosephus Scaliger ex hoc loco Senecae Epist. 79. ad Lucilium: ***donec Aetnam describas tuo carmine, et hunc solennem omnibus Poëtis locum attingas, quem quo minus Ovidius*** (Lib. XV. Metamorph.) ***tractaret, nihil obstitit, quod iam Virgilius*** (lib. III. Aeneid.) ***impleverat, ne Severum quidem Cornelium uterque deterruit.*** Quintiliano Varo adscribit Iulius Caesar Scaliger in Hypercritico pag. 786. Manilio Barthius pag. 1044. ad Claudianum et Statium X. Theb. p. 911. Eidem in mentem venit, Christiano scriptori vindicare XLIX. 6. Adversar. Iam olim esse de auctore dubitatum scribit Tiberius Donatus in Virgilii vita: ***Poëticam puer adhuc auspicatus in Balistam ludimagistrum, ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus, distichon fecit. Deinde Catalecton, et Priapeja, et Epigrammata et diras, item Cirim et Culicem, cum esset annorum XVI. Scripsit etiam, de qua ambigitur, Aetnam.*** Fulvius Vrsinus in Virgilio cum Graecis scriptoribus collato pag. 272. memorat Codicem manu Pomponii Laeti scriptum, quo *Aetnae* poëma *Cornelio Severo* diserte tribuitur. Theod. Goralli sive Io. Clerici editio 1702. recusa est Amst. 1715. 8. Valde corruptum hoc carmen ad nos pervenisse queritur Petrus Burmannus V. Cl. qui et emendare et illustrare in animo habebat. Vtrumque praestitit *Phil. Iac. Dorvillius* in Itinere Siculo, T. I. De *Severo* videndus Nic. Faber ad suasoriam secundam Senecae. Quintilianus X. 1. magno ingenio et facili in versibus scribendis eum fuisse professus, addit morte praematura impeditum, non potuisse, quae inchoaverat, consummare. Ovidius IV. 16. e Ponto: ***Quique dedit Latio carmen regale Severus.***

2. *Cor-*

2. *Cornelii Severi* carmen, sive fragmentum *in necem M. Tullii Ciceronis*, ex M. Annaei Senecae Suasoria VII. Hoc et superius Severi carmen cum perspicua interpretatione et eruditis notis Scaligeri, Lindenbrogii, suisque, et indice separatim edidit, et alia quaedam Severi fragmenta, Petri item Bembi Aetnam prosa latina scriptum adiunxit Theodorus Gorallus, sive qui hoc sub nomine latet Io. Clericus V. C. Amstelodami 1702. 8.

3. *Moretum*, quod Virgilio ipsi adscribere aliqui cum If. Vossio non dubitant, et Parthenium Nicaenum poëtam Graecum in illo imitatum esse observant. *A. Septimio Severo* post Scaligerum, Barthium, aliosque tribuit *Io. Weitzius*, qui notis illustravit Francof. 1642. 8. ad calcem Copae. Graeca Metaphrasis Iof. Scaligeri inter eius Poëmata occurrit, ab auctore oblata Pet. Ronsardo a. 1563. *Moretum*, idyllium *Suevii* Poëtae, quem virum longe doctissimum vocat, et versiculos quosdam ex eo affert, Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 9. emendatos a Salmasio ad Solin. p. 598. edit. Parif. diversum est a Moreto, quod legitur inter Virgilii Catalecta, quodque Scaliger tribuit *A. Septimo Sereno*, Poëtae Falisco, qui Vespasianorum aetate vixit, et a Terentiano subinde laudatur auctor *ruris opusculorum:* de quo videndus Sirmondus ad Sidonii Epistolam carmini XIV. praemissam Tom. I. pag. 1249. *Io. Ruellii* scholia et notae per *Hubertum Susanaeum* collectae viderunt lucem Parif. 1542. 8. apud Simonem Colinaeum. *Frid. Taubmanni* Comment. in *Moretum* prodiit Francof. 1626. 4. *Simylum* in Moreto Casaubonus p. 162. ad Theophrasti characteres cap. V. Italicam Metaphrasin versibus solutis (*versi sciolti*) auctore *Laelio Bonsi*, Florentino memorat Iulius Niger p. 349. historiae scriptorum Florentinorum. Aliam *Alberti Lollii* editam Venet. 1548. 8. Scipio Maffeus, traduttori Italiani p. 83.

4. *Dirae* Valerii Catonis in Battarum fluvium, quas copioso neque inerudito commentario illustratas separatim edidit Christophorus Arnoldus, Lugd. Bat. 1652. 12. Num ob

ob agros suos inter creditores divisos in has exsecrationes se effuderit, vide, si placet, disputantem Boxhornium p. 41. seq. Epist.

5. *Priapeia* sive lusus atque epigrammata in Priapum LXXXVII. obscoena maximam partem, et cum Scaligeri et Lindenbrogii, Caspariſque Scioppii x) notis, et verborum phrasiumque indice separatim edita y) Amstelod. (licet titulus Patavium praefert) a. 1664. 8. Haec *Virgilio* tribuit Io. Maria Catanaeus ad Plinii V. Epist. 3. *Ovidio* Politianus, c. 59. Miscell. alii, ut Franciscus Guietus z) *Domitio Marso*. Alii denique existimant, Poëtarum Maecenatem accedentium unumquemque versiculos aliquot iocosos in parietibus sacelli Priapei adscripsisse, postea a Poëta quodam in unum fasciculum collectos, qui et carmen ad lectorem praefixerit. Ita sentit Scioppius et Iac. Maria Gennus in vita Maecenatis Italice scripta. Itaque et in editione Aldina a. 1534. 8. inscribuntur: *Diversorum veterum Poëtarum in Priapum lusus*. *Catullo* deberi quaedam ex illis notavit P. Victorius XII. 3. et XXV. 12. Var. Lect. *Marsum* vel *Calvum*, *Cinnamve*, aut *Anserem* (quem Cinna procaciorem vocat Ovidius 2. Trist. v. 435.) Priapeorum carminum auctorem esse, putat Mapheus Vegius II. 18. de educatione liberorum, T. 26. Bibl. Patrum pag. 657. Vide et Broukhusium ad Tibullum pag. 406. A Plinio tamen lib. V. Epist. 3. Virgilius quoque diserte numeratur inter eos, quorum exemplo ait et se nonnunquam versiculos parum severos lusisse. *An ego verear*, inquit, *(neminem viventium, ne quam inspeciem adulationis incidam, nominabo,) sed ego verear*, ne

x) Annos XVII. tum natus fuit Scioppius cum a. 1595. commentarium illum componeret, quem postea scripsisse se negavit et Goldasto tribuit. Vide Baelii Lex. in Scioppio nota B.

y) Subiicitur in eadem editione Apuleii ἀνεχόμενος cum Scioppii notis, et commentitiae Epistolae latinae Heraclii Imp. ad Sophoclem Sophistam, Sophoclis ad Heraclium. C. Antonii ad Q. Soranum, Cleopatrae Reginae ad eundem. Q. Sorani ad M. Antonium et Cleopatram, de priapismo Cleopatrae Reginae eiusve remediis, e Bibliotheca Goldasti.

z) Vide Antonium Periandrum in Guieti vita, p. 5.

ne me non satis deceat quod decuit M. Tullium, C. Calvum, Asinium Pollionem, M. Messalam, Q. Hortensium, M. Brutum, L. Sullam, Q. Catulum, Q. Scaevolam, Ser. Sulpicium, Varronem, Torquatum imo Torquatos, C. Memmium, Lentulum, Gaetulicum, Annaeum Senecam, Luceium, et proxime Virginium Rufum, et si non sufficiunt exempla privata, divum Iulium, divum Augustum, divum Nervam, Titum Caesarem? Neronem enim transeo, quamvis sciam non corrumpi in deterius quae aliquando etiam a malis, sed honesta manere quae saepius a bonis fiant, inter quos vel praecipue numerandus est P. Virgilius, Cornelius Nepos, et prius Ennius, Acciusque, non quidem Senatores, sed sanctitas morum non distat Ordinibus. Bernardini Veronensis, (cuius in Tibullum commentarii prodiere Rom. 1475.) Commentum MS. in Priapeia fuit in Bibl. Gabrielis Naudaei, teste Labbeo p. 236. Bibl. nov. MS. *Priapeia* cum Scioppii et aliorum notis prodiere Francof. 1606. 12. et subiecta leguntur Petronio Mich. Hadrianidis, Amstelod. 1669. et 1687. 8. Exstant etiam cum *Hieronymi Avantii* Veronensis castigationibus in editione Veneta Catulli, Tibulli et Propertii 1500. fol.

6. *Copa* sive Cupa (καπηλίς) quod Carmen Virgilio ex Charisii testimonio tribuunt Scaliger, Casaubonus, et alii, quorum loca editioni suae praefixit I. Weitzius, qui separatim vulgavit cum notis Francof. 1642. 8. Locum aliquem illustrat Huetius p. 22. ad Anthologiam Epigr. Graecorum. Occasione *Copae*, Virgilio a) tributi poëmatis, addo, paucis visum iri verisimile, quod Clariss. Vir Baudelotus de Dairval, in libro amoenissimae eruditionis pleno, quem Gallice de fructu ex itineribus capiendo edidit

a) Virgilio adscribit etiam Barthius. Dubitat Salmasius ad Vopiscum. Est autem *copa* auctori poëmatis mulier cauponaria, καπηλίς, licet recentioribus saeculis *cupa* denotat poculum. Gallis *coupe*. Vide Felicem Osium notis ad Othonis Morenae et Acerbi Historiam rerum Laudensium, Tom. 3. thesauri Antiquitatum Italiae pag. 1054. Cangii glossar. Frid. Adolphum Lampe de cymbalis veterum lib. 2. cap. 23.

dit pag. 645. (676.) (T. 2. edit. novae p. 326.) Copae Syriſcae imaginem reperiſſe ſibi viſus eſt in vetere numo, in quo exſtat caput foeminae cum litteris C. S.

7. *C. Pedonis Albinovani elegia in obitum C. Maecenatis*, quam Pedonis eſſe negat Voſſius p. 32. de Poëtis latinis, et II, 27. de arte Grammatica, Pedoni vindicat poſt Scaligerum Henricus Meibomius, qui notis illuſtratam commentario ſuo de vita Maecenatis inſeruit, Lugd. Bat. 1653. 4. et Theodorus Gorallus, de cuius editione mox dicam. Pedoni, Ovidii aequali, tribuendam negant etiam Caſpar Barthius in Claudianum p. 163. Voſſius lib. 2. artis Grammaticae cap. 27. Io. Maſſonus in vita Horatii p. 143. ſeq. et Petrus Burmannus praefat. ad Petron. item in notis pag. 520. ad Ovidium T. 1. p. 796. et in libro Gallice adverſus Io. Clericum edito p. 212. et p. 117. *en effet, la latinité, la verſification, les expreſſions peu poëtiques, et tout le ſyſteme de cette elegie font voir clairement, que c'eſt une fade et miſerable production d'un eſprit ſcholaſtique des derniers ſiecles. Vltima verba Maecenatis*, quae incipiunt a verſu: *Sic eſt Maecenas*, atque in anterioribus editionibus cum elegia in obitum Maecenatis poſt verſum 144. cohaerebant, divellenda ex Scaligeri iudicio ſtatuit Theod. Gorallus.

8. Eiuſdem *Pedonis elegia* perquam elegans ad Liviam Auguſtam *de morte Druſi* Neronis, et alius *de navigatione Druſi Germanici* per Oceanum ſeptentrionalem, A. V. C. 769. Chriſti 16. ſuſcepta, fragmentum ex Senecae ſuaſoria I. Has Pedonis reliquias univerſas recenſuit, ac ſeorſim cum interpretatione notiſque et ſuis et Scaligeri ac Lindenbrogii, atque in elegiam de morte Druſi annotationibus Nic. Heinſii, et utili indice edidit Theodorus Gorallus, ſive quem ſupra latere ſub hoc nomine dixi, vir doctiſſimus Io. Clericus, Amſtelod. 1703. 8. In codicibus antiquis Ovidio tribui elegiam de morte Druſi Nic. Heinſius affirmat, quod tamen ipſi nullo modo videtur veriſimile, licet nec Pedoni eam certo adſcribere velit. Recen-

Recenſuit tamen illam atque illuſtravit in Ovidio ſuo. vid. Tom. I. edit. Cnippingianae pag. 761. ſeq. et Burmannianae T. I. pag. 795. Vide etiam Lipſium lib. III. Epiſt. quaeſt. 3. In hanc haud indignam *Pedone*, commentarium ſuum memorat Barthius pag. 209. ad Claudianum. Ianus Paſſeratius in praefationibus p. 286. veterum editt. et quorundam Codicum fidei obſecutus, conſolationem hanc ad Liviam *Ovidium* habere auctorem ſibi perſuaſit, et Senecam in ſuis ad Polybium, Martiam Elbiamque ſive Helviam conſolationibus ex iſthoc poëmate profeciſſe. De Pedone ipſo vide Nic. Fabrum ad Senecae ſuaſoriam I. Gaddium Tom. I. de ſcriptoribus non Eccleſiaſticis pag. 253. De editione Goralli, quae Amſtelod. 1715. 8. recuſa eſt, Acta Erud. 1703. pag. 494. et Bibl. ſelectam Ioannis Clerici, Tom. XIV. pag. 236. Indicem omnium vocabulorum in reliquis Pedonis exſtantium, novae, quam parat, editioni, notis editoris et variorum inſtructae ſubiunget *Andreas Plantecovius*, Medicus Lubecenſis.

9. *M. Annaei Lucani* Panegyricum Carmen *ad Calpurnium Piſonem*, quod Virgilio vel Ovidio contra temporum rationem adſcriptum a quibuſdam, rectius Lucano, ex auctoritate MSti Codicis, vindicavit Ioſephus Scaliger et Hadr. Iunius, a quo emendatum eſt lib. VI. c. I. Animadverſ. Equidem Thom. Dempſterus ad Roſinum p. 99. obiicit, quod v. 241. ſeq. paupertatem ſuam auctor carminis deflet, Lucanum vero marmoreis in hortis iacere ſcripſit Iuvenalis Sat. VII. 79. Poſſit forte reſponderi, divitiis, quarum Tacitus quoque meminit, auctum demum eſſe Lucanum Piſonis, Neroniſque beneficio, poſt carmen hoc ſcriptum, quo admodum adoleſcens ſe Piſoni commendat:

Eſt mihi, crede, meis animus conſtantior annis.
Quamvis nunc iuvenile decus mihi pingere malas
Coeperit et nondum viceſima venerit aeſtas.

Verum b) *humilis* quoque *domus* obiicitur, quae Lucano quadrare minus videtur

— — superest animosa voluntas,
Ipsaque nescio quid mens excellentius audet.
Tu nanti protende manum, tu, Piso, latentem
Exsere, nos humilis domus et sincera parentum,
Sed tenuis fortuna sua caligine celat.

Igitur adhuc duxerim de auctore dubitandum, praecipue cum Inscriptio ipsa, quam Scaliger reperit, hoc iubere videatur: *Lucani catalecton de laude Pisonis.* Barthius ad Statium Tom. 1. p. 254. ad 456. non dubitat illud ad Papinium auctorem referre, et lib. XLIX. Adversar. c. 7. ubi ἀτέλεστον ad nos pervenisse, et in libros aliquot ab auctore fuisse tributum putat, cultum alioquin et eruditum.

10. *C. Petronii Arbitri de mutatione Reipublicae Romanae.*

11. *Vita Virgilii* versibus edita a *Foca* Grammatico.

12. Eiusdem *Focae*, *Herennii Modestini* ICti perperam tributa Ovidio, et *C. Sulpitii Apollinaris*, aliorumque Scholasticorum Poëtarum *in Virgilium*, et *librorum Virgilianorum argumenta.* Auctorem non *Modestinum* ICtum esse, sed *Ovidium* Poëtam, ex plurium MSS. Codicum testimonio contendit Hercules Ciofanus notis ad librum sextum Metamorphoseon p. 110. seq.

13. Duodecim Poëtarum Scholasticorum, *Vomani*, *Euphorbi*, *Iuliani*, *Hilasii*, *Palladii*, *Asclepiadii*, *Eusthenii*, *Pompejani*, *Maximiani*, *Vitalis*, *Basilii* et *Asmenii* argumenta in Aeneidem, aliique lusus Poëtici. *Sulpicii Apollinaris* Hexastichon in Maronis Aeneidem flammis iussu Augusti subtractam legitur integrum in vita Poëtae a Donato scripta, licet Brietius et Baelius pro deperdito habuerunt, ut iam notatum reperi in Historia Critica Reip. litterariae Gallice edita Tom. VII. pag. 325. De

b) Vide Nic. Antonii Bibl. Veterem Hispanam p. 47. et Illustris Viri Gisberti Cuperi Observationes lib. III. c. 1.

De *Pompejano* Scholastico poëta, et aliis Pompejanis Reinesius Epistola 50. ad Rupertum p. 466. 469. seq.

Denique Iosephus Scaliger in Appendice Virgilii exhibuit etiam una cum castigationibus suis *Catalecta* c) *veterum poëtarum* in *duos* a se digesta *libros*, in quibus praeter plurima innominatorum, occurrunt Epigrammata latina aliaque poëmatia minuta vel fragmenta *Q. Ennii, M. Terentii Varronis, P. Terentii Varronis Atacini, Puppii, M. Actii Plauti Sarsinatis, C. Naevii, M. Pacuvii, Domitii Marsi, C. Caesaris Germanici, M. Tullii Ciceronis, Q. Ciceronis, P. Virgilii Maronis, Furii Bibaculi, C. Petronii Arbitri, Afranii, C. Laberii, Porphyrii Poëtae, Porcii Licinii, Q. Catuli, L. Apuleji, Gallieni Imp. Val. Aeditui, C. Plinii Caecilii Secundi, C. Caesaris Octaviani Augusti, Laureae Tullii, M. Val. Martialis, C. Helvii* d) *Cinnae, P. Syri, L. Pomponii, L. Manilii, Ablabii Cos. Iulii Flori, Hadriani Imp. C. Iulii Caesaris dictatoris, C. Silonis Poëtae, C. Cassii Severi Parmensis, C. Val. Catulli, A. Septimii Sereni Falisci, C. Volcatii Sedigiti, Sentii Augurini, Polluxis, Citerii Sidonii Syracusani, Sulpitii Servasti iunioris, C. Iulii Solini et* Romanae Sapphus *Sulpiciae*. Similes collectiones veterum Epigrammatum et Poëmatiorum latinorum a P. Pithoeo et aliis editas recenseo infra libro IV.

XII. Assiduus Graecorum imitator Virgilius fuit, Theocriti praesertim in Eclogis, in Georgicis Hesiodi, et in Aeneide e) Homeri. Odysseae legens vestigia libris sex primo-

c) Catalecta dicuntur quasi καταλεγόμενα, de quorum auctoribus ambigitur: sed quandoque etiam scriptum reperias *cata dicta*, hoc est, dicta cate, argute, sapienter, qui sensus plerisque horum melius congruit.

d) Hic Cinna citatur ab Isidoro VI. 12. Originum.

e) Quod Homeri Virgilius nusquam meminerit, *ingratissimus erga eum cui nihil non debebat* vocatur ab If. Casaubono ad XIV. Strabonis p. 236. addit Sirletus apud Muretum XVIII. 14. Var. Lect. quod Ciceronem, ubi se offerebat occasio, silentio praeterierit. Virgilium ab hoc crimine excusat, quod non

primoribus, et sex posterioribus aemulatus Iliadem ut Huetius in Huetianis p. 201. observavit. Vide Gellium, Macrobium, et e recentioribus H. Stephanum, *g*) Iulium Caesarem Scaligerum *h*) et singularem librum Fulvii Vrsini, quo Virgilium collatione Graecorum Scriptorum illustravit, Antverp. 1568. 8. qui repetitus est adiectis tribus opusculis per Cel. *Lud. Casp. Valkenarium* Lugd. 1747. 8. Exstat et praeclara dissertatio *Renati Rapini*, qua Virgilium contendit cum Homero, quae Gallice primum, tum latine reddita (V. C. Iano Broukhusio, ni fallor, interprete) lucem adspexit sub titulo: Observationes in Poëmata Homeri et Virgilii, Traiect. ad Rhen. 1684. 12. Praeterso, quae ex Rapino et aliis disserit Bailletus parte 2. iudiciorum de poëtis. Quam longe reliquis latinis Poëtis Maro praeferendus sit, ostendit Alexander Rossaeus in Virgilio triumphante. Roterd. 1661. 12. Virgilii versus in Iure civili laudatos illustrat Scipio Gentilis lib. 2. parergon. c. 16. 17. 18. De imitatione Virgilii Homerica praeter alios legendus Vincentius Gravina vir acutissimus scripto de ratione poëtica, quod Italice ante paucos annos edidit lib. 1. pag. 96. seq. Cl. Franc. Fragvierii dissertationem insertam Tomo tertio memoriarum Academiae Gallicae elegantiorum litterarum p. 184. seq. *sur la maniere dont Virgile à imité Homere.* Non ab re *graecissimus* dictus Pontico Virunio in declarationibus ad Guarini erotemata Graece linguae, sic ut eruditorum iudicio Maro sit

Ascraeo maior, Siculo i) minor, aequet Homerum,

Home-

non imposuit Poëmati suo ultimam manum. In veteri gemma ap. P. Stephanonium, et in vetere ap. F. Vrsinum nummo, et T. 3. thes. Antiqu. Gr. Gronoviani lit. qqq. Virgilius faciem Homeri intuens exprimitur.

g) H. Stephani observationes in Virgilianas et Nasonianas s. Ovidianas imitationes Theocriti exstat ad calcem Theocriti ab eodem Stephano vulgati a. 1579. 12.

h) Io. Dunaei carmen Scazonticum, quo vindiciae Virgilianae pro Iul. Caesare Scaligero Virgilium Homero praeferente adversus Iustum Lipsium continentur, exhibet Georgius Hackwill Anglus in Apologia pro providentia Dei pag. 288. seq. In Bucolica et Georgica annotationes et loca Theocriti et Hesiodi quaedam, quibus usus Virgilius, Latine reddita per Eobanum Hessum Haganoae 1529. 8.

i) Theocrito. Confer Menagiana Tom. IV. p. 166.

Homero etiam praefert Andreas Baccius lib. IV. de vinis antiquorum c. ult. et Claudius Peraltus in comparatione veterum ingeniorum cum recentibus, Gallice edita, atque ante utrosque Angelus Politianus in Nutricia:

Proximus huic (Homero) *autem, vel ni veneranda vetustas*
Obstiterit, fortasse prior, canit arma virumque
Virgilius, cui rure suo, cui gramine sacro
Ascraeus, Siculusque simul cessere volentes.

Centones Virgilianos memorat Tertullianus de praescript. cap. 39. *Vides hodie ex Virgilio fabulam in totum aliam componi, materiae secundum versus, versibus secundum materiam concinnatis. Denique Hosidius Geta Medeam tragoediam k) ex Virgilio plenissime exsuxit. Meus quidem propinquus ex eodem Poëta inter cetera stili sui otia Pinacem Cebetis explicuit.* Medea *Hosidii Getae*, qui Claudii Imp. temporibus vixit, cuiusque fragmentum Scriverius edidit, versibus scripta est Heroicis, adeoque ab Ovidii Medea, quae Iambicis composita erat, certe diversa. Ab eo tempore *Proba* quaedam centonem ex Virgilio, de fabrica mundi et Evangeliis, plenissime expressit.

Hanc *Centonum Virgilianorum* Poëtriam, Gentilium carmina ad obsequium fidei retorquentem, *Falconiam Probam*, civem Hortanam, non FALTONIAM appellandam esse, nec cum *Anicia* FALTONIA *Proba*, trium Consulum matre (de qua Baltellus *l*) in diss. de sarcophago marmoreo Probi Anicii et Probae Faltoniae in templo Vaticano Rom. 1705. 8.) nec cum *Valeria Proba* uxore Adelfii

k) Fragmentum insigne huius tragoediae edidit P. Scriverius in fragmentis Vett. Tragicorum latinorum pag. 187. 190. testatus integram fuisse apud Salmasium, qui ex vetustissimis membranis vulgare voluit.

l) Memoires de Trevoux 1708. p. 876. De Anicio Probo praefecto Praetorio sub Valentiniano, Probaque uxore Iac. Gronovius tomo tertio thesauri Antiquitt. Graecarum rrrr. Probae Probique tumulus in Ferreti Musis lapidariis III. 45. p. 215. et in Pauli Aringhi Roma subterranea II. 10. p. 181.

Adelfii ProCos. *m*) quicquam habere commune, docet Vir eruditissimus Iustus Fontanini libro 2. de Antiquitatibus Hortae Coloniae, cap. 1. seq. *n*) oppugnans virum itidem praestantissimum *Thomam de Simeonibus*, qui in diss. de duabus Probis, *o*) in cuius calce cento ipse exhibetur, Bononiae 1692. 4. Valeriam Faltoniam Probam Adelfii *p*) uxorem centones illos composuisse contendit Scripti sunt post a. C. 393. ad Honorium, cum iam Augustus atque Imperator esset:

Haec relegas servesque diu, tradasque minori
Arcadio; haec legat ille tuo generi, haec tua semper
Accipiat, doceatque suos Augusta propago.

Post Venetam editionem *q*) 1472. f. et Romanam a. 1481. 4. in Bibl. Barberina obviam, *Ioannis Philippi de Lignamine*, Equitis Siculi, quam pro prima habet V. C. Iustus Fontaninus, prodiere Antverpiae sive in opido Mercuriali Antverpiensi

m) Confer Ephemerides eruditorum Paris. a. 1694. p. 249. seq. et Pagium ac Sam. Basnagium ad a. C. 395. Notas ad Augustinum T. 2. edit. Amstelod. pag. 289. Pagium etiam ad a. 438. n. 7.

n) Acta Erud. 1709. p. 6. Memoir. de Trevoux. 1708. p. 1904. Giornale de' letterati d'Italia: T. XXIV. p. 140. seq.

o) Giornale d' letterati di Modena A. 1692. p. 247.

p) Ita certe Isidorus Hisp. de scriptoribus Eccles. cap. 5. *Proba uxor Adelfii ProCos. foemina inter viros Ecclesiasticos idcirco posita sola, pro eo quod in laude Christi versata est, componens centonem de Christo Virgilianis coaptatum versiculis. Cuius quidem non miramur studium, sed laudamus ingenium. Quod tamen opusculum legitur inter Apocryphas scripturas insertum.* Gelas. dist. 15. c. 3. *Centimetrum de Christo Virgilianis compaginatum versibus, Apocryphum.* His adde quod ad calcem codicis MS. Centonum saeculo X. exarati, qui extat in Bibl. Monasterii S. Benedicti Padolironensis non procul a Mutina, haec leguntur teste Bernardo de Montfaucon Diarii Italici p. 36. *Proba uxor Adolphi mater Olibrii et Alipii* (Alypii) *cum Constantii* (Constantini) *bellum adversus Magnentium conscripsisset, conscripsit et hunc librum.* Vxorem Adelfii vocat etiam Isidorus Hisp. lib. 1. Originum c. 38. et ex eo Vincentius Bellovacensis lib. 3. speculi doctrinalis cap. CXI. qui Virgiliocentonum etiam meminit lib. 1. c. 32. ex Hieronymo et Paulinum. Pluribus quoque eam celebrat Ioannes Boccacius libro de claris mulieribus.

q) Illius primae editionis titulus ita refertur a C. V. Michaële Maettario in Annalibus typograph. pag. 98. *Ausonii Peonii Poëtae disertissimi Epigrammaton libri:* Probae Centonae clarissimae foeminae excerptum e Maronis Carminibus ad testimonium Veteris Novique Test. *Ovidii Consolatio ad Liviam: Calpurnii Bucolicum carmen: Publ. Greg. Tiferni hymni et alia Poëmata,* Venet. 1472. fol.

verpiensi per Gerardum Leonis 1489. quam editionem evolvit Henricus Stephanus, et Brixiae 1496. 8. Deinde ab Aldo una cum Sulpicio Severo, Homerocentonibus, quos Probae imitatione deinde composuit Eudocia Augusta, Iuvenco, etc. Venet. 1501. 4. a qua ἐκδόσει plurimum differt altera itidem in quarto, circa idem, ut videtur, tempus sine loci et anni notatione vulgata. Praeterea prodierunt Daventriae 1505. 4. Paris. 1509. 4. apud Ioannem Petitum, et Lugd. 1516. 8. cum Mantuano et aliis per *Stephanum de Basignana Gorgonium* Carmelitam Doctorem Theologum, *Probae Centonae vatis clarissimae a Divo Hieronymo comprobatae de Fidei nostrae mysteriis e Maronis Carminibus exceptum opusculum*: et Oppenhemii anno 1517. Francof. 1541. 8. curante *Petro Brubachio*, una cum Homerocentonibus et Nonno. Tum Paris. apud Franciscum Stephanum a. 1543. 8. et apud *Henricum Stephanum r*) 1578. 12. cum Homerocentonibus *s*) Eudociae et Nonni paraphrasi Evangelii Iohannis. Praeterea curante *Iulio Roscio* Rom. 1588. 12. qui ex Codd. Vaticanis et Hortano castigavit, praefationemque Probae restituit, quam Sedulio alii perperam tribuere, commentarios etiam pollicitus, sed qui lucem nunquam viderunt. Nec non cum Capiluporum et *Henrici Meibomii* aliorumque Virgiliocentonibus, curante eodem Meibomio, Helmstad. 1597. 4. Omitto editiones alias, ut Coloniensem 1601. 8. et quae in Bibliothecis Patrum occurrunt. Sed prae caeteris laudandum studium *Io. Henrici Kromayeri*, qui centones hos notis et indice ornatos vulgavit Halae 1719. 8. signatis accurate ad singulos versus versibus Virgilii, quibus centones illi constant. In *Laurentii Legati*, Cremonensis, primitiis musei poëtriarum editis Bononiae 1668.

r) Casp. Barthius ad Claudianum p. 47. ubi de Proba Falconia: *Teritur manibus editio Henrici Stephani, qui non aeque bene ac de aliis de hoc libello meritus est: illud vero facinus commisit illaudabile, quod notas librorum Virgilianorum marginibus depulit, unde sales argute traductorum in Centones versuum et hemistichiorum memoria eximuntur.* adde eius Adversaria XV. 15.

s) De Homerocentonibus Patricii, Eudociae, Pelagii dixi lib. 2. Bibl. Graecae c. 7. §. 4.

1668. 4. de Aelia Eudocia Augusta, de Proba Valeria Falconia, et de Sulpicia, earundemque vita, carminibus et opusculis differitur, consultis etiam Inscriptionibus antiquis. MStos quosdam Codices Oxoniae, Lugduni Bat. et Londini obvios notat Oudinus T. 1. pag. 900. seq. Iam pridem Probae centones una cum Tancredo Philippi Beroaldi, Gallice convertit *Richardus le Blanc* Paris. 1553. apud Robertum Messalinum, teste Crucimanio pag. 440. Bibl. Gallicae. Sic quoque et quidam *Pomponius* ex eodem poëta inter cetera stili sui otia Tityrum (carmen bucolicum) in honorem Christi composuerat, ut refert Isidorus lib. 1. Originum cap. 38. sed Pomponii illud carmen non tulit aetatem.

Ausonii Cento nuptialis itidem e Virgilio est expressus. Recentiores vero in hoc genere elaborarunt multi, ut *Albertinus Musatus* Patavinus, qui saeculo XIV. claruit, et saec. XVI. ut *Laelius Capilupus* Mantuanus in Virgiliocentonibus de vita monachorum scriptis a. 1535. quos post Flacium in poëmatibus de corrupto Ecclesiae statu, Basil. 1557. 8. pag. 355. Io. Wolfium T. 2. lect. memorabilium p. 407. et Henr. Meibomium, recudi nuper curavit nobilissimus Vir, Albertus Henricus de Sallengre in libro Gallico, memoires de litterature Tom. 2. p. 191. seq. Exstant etiam eiusdem Laelii Virgiliocentones de lue, quam Hispanicam alii, alii Gallicam appellant, Fracastorius poëmate pulcherrimo Syphilidem. *Iulius* porro *Capilupus*, qui superioris nepos fuit, sex Centones varii argumenti ad Vincentium Gonzagam Mantuae ducem scripsit, ab Antonio Possevino ad editionem paratos Romae anno 1550. *Fulvius Vrsinus* tunc admodum iuvenis adiunxit Virgiliocentonem in laudes Benedicti Aegii Spoletini. v. Menagiana T. IV. p. 231. *Saulus Mercerus* sive, qui transpositis litteris sub hoc nomine latet, *t*) *Marcus*

t) In Velseti operibus editus est hic Proteus Norimb. 1682. fol. curante Christoph. Arnoldo. In hoc Proteo inter alias habes etiam argumenta librorum Aeneidos singulis versibus Virgilii expressa.

cus Velserus in Proteo Virgiliano, *Henricus Meibomius* avus in Virgiliocentonibus, quos cum hactenus laudatis iunctim edidit, subiunctis *Iul. Roscii* Hortini contexendorum centonum praeceptis, Helmstad. 1597. 4. His addere licebit *Ottonis Gryphii* vitam Christi Virgilianis versibus scriptam Ratisbonae 1594. 4. et *Alexandri Rossaei* Aberdonensis, S. I. Psychomachiam Virgilianam, et libros XIII. Christiados, sub titulo Virgilii Christiani et Evangelici sive Evangelisantis editos Lond. 1638. 8. et Lipsiae 1733. 12. cum praef. Io. Erhardi Kappii, *Christophori Dieterici Steinmanni* Ierxheimensis centonem de Nativitate Servatoris, Helmst. 1670. 4. *M. Samuelis Pomarii* centonem Virgilianum de lapsu generis humani, nec non de agone et captivitate Christi, Magdeb. 1581. 8. *Aegidii Bavarii* Belgae S. I. Musam Maronis Catholicam, seu Catechismum, versibus Virgilianis, Antverp. 1622. 12 Eiusdem Passionem Christi, versibus Maronianis similiter descriptam: *Bernardi Ramazzini*, Carpensis, Medici Centonem e Virgilio de bello Siculo ad Regem Galliae Ludovicum XIV. Mutinae 1677. 4. *Ioannis Czernoviceni* Pragensis centonem de Imperatoribus Austriacis: Menapii Centonem Virgilianum et Ovidianum de fratribus roseae Crucis etc. *Laurentius* vero *le Brun* e Soc. Iesu, in Virgilio suo Christiano Paris. 1660. 4. et Dilingae 1696. 8. edito, perinde ut in sex libris Christiados *Hieronymus Vida*, Virgilii scitum imitatorem, non centonum συῤῥαπτάδην se profitetur. Verum Laurentius non Christi, sed Ignatii sui Lojolae gesta in poëmate illo persequitur. *Ioannes Baptista Spadius*, Placentinus, ordinis Dominicani sive Praedicatorum Monachus, varios centones Virgilianos concinnavit, Placentiae et alibi editos. *u*) Laudatur inprimis vita S. Raymundi Pennafortii, Ordinis Praedicatorum Magistri generalis, Virgilianis versibus ab eodem con-

u) Aub. Miraeus de Scriptoribus saeculi XVII. pag. 275. edit. me curatae. Iacobus Quetif et Iac. Echard in Bibliotheca scriptorum Ordinis Praedicator. Tom. 2. pag. 598.

conſcripta, et Papiae 1606. fol. edita *Sibylla Capitolina*, Publii Virgilii Maronis poëmation libris IV. interpretatione et notis illuſtratum a S. L. Oxonii e theatro Sheldoniano 1726. 8. nihil aliud eſt quam ſatira in Clementis XI. Bullam *Vnigenitus*, verſibus compoſita Virgilianis. New memoirs of literature T. III. p. 278.

XIII. Ex Quintiliano conſtat Rhetores olim *declamationum* argumenta depromſiſſe e Virgilio et in ſcholiis ſuis propoſuiſſe. Sic *Titianus* et *Catulinus* ſ. *Calvus*, themata ex Marone elicuerant et conformaverant ad dicendi uſum et in exempla controverſiarum diduxerant, ut refert Servius in X. Aeneidos, v. 18. qui ab *Avieno* iambis etiam ſcriptas Virgilii fabulas auctor eſt ad X. 272.

Neque Zoilos ſuos Virgilio defuiſſe conſtat, de quibus, ne memorem, quae in Marone reprehendit *Polycarpus Lyſerus* ὁ μακαρίτης in proluſione v) de acuminibus ſpuriis in arte poëtica vitandis, Helmſt. 1725. 4. ac ne aliis recentioribus exemplis inſiſtam, conſulenda Virgilii vita lectu inprimis digna, quae Tiberio Donato tribuitur. In ea memoratur etiam *Aſconii Pediani* liber adverſus Virgilii obtrectatores ſcriptus, quorum unus Carvilius Pictor ſcripto ſuo titulum praefixerat, *Aeneidomaſtix*. De Zoilis Virgilii Servius ad Eclogam VII. *Multi volunt in hac Ecloga eſſe allegoriam, ut Daphnis ſit Caeſar, Corydon Virgilius, Thyrſis qui vincitur Virgilii obtrectator ſcilicet, aut* Bavius, *aut* Anſer, *aut* Maevius, *peſſimi Poëtae.* Item in Georgic. I. *Sane reprehenſus Virgilius dicitur a Bavio et Maevio hoc verſu: Hordea qui dixit, ſupereſt ut tritica dicat.* In vita Virgilii a Tib. Donato ſcripta inter eius obtrectatores etiam refertur *Cornificius*, qui ut Zoilus Homeri in proverbium abiiſſe videtur. Petrus Bleſenſis Epiſt. 92. *Scio*, inquit, *unde ſpiritum elationis conceperit, et quare ve-ſter Cornificius intumeſcat.* Sed omnium Virgiliomaſtigum frontem magis ferream habere ſe *Iohannes Harduinus*

v) Annales Academiae Helmſt. ſemeſtri XI. p. 55.

duinus testatus fuit, cum scripsit Aeneidem ab inimicis Religioni Christianae nebulonibus suppositam fuisse a. C. 1239. Vide eius Opera *x*) varia Amst. 1733. f. edita p. 282. sed eum bene refutarunt *Mathurinus Veissierius de la Croze* in Vindiciis vett. scriptt. adv. Harduinum et Cl. *Christoph. Sapius* peculiari disputatione.

Alii vicissim Virgilium coluere ad superstitionem usque, uti rarus solet esse in plerisque mortalibus vel amoris et admirationis vel odii modus. Sic iam olim non defuit scriptor Anonymus in Edmundi Martene nova collectione veterum monumentorum T. 3. p. 905. qui *inconvincibilem reprehensionibus* contendit Maronem: perinde ut Patrum nostrorum memoria Franciscus Macedo Mantuae defensitavit publice, nihil omnino exstare in Virgilio quod reprehensionem admittat, *che nulla v'era di riprensibile nel poëma sobrumano di Virgilio.* Idem addidit, sese argumenta opponentibus extemplo responsurum quocunque vellent carminis genere. *Et quicquid pergam dicere versus erit.* Fecitque id versibus heroicis, sapphicis, adoniis, asclepiadeis aliisque. Vide Sancassani continuationem Bibliothecae volantis Cinellianae T. 19. p. 44. Quis vero non miretur ex Virgilii poëmatis velut ex oraculis sortes lectas in rebus maximi momenti, cuius rei plura exempla collegit Antonius van Dalen de Oraculis p. 301. seq. edit. sec. Sed omnem admirationem superant recentia Christianorum hominum exempla, quae leguntur in Memoriis Iacobi Welwoodi. Nam illud quidem fabulis adscripserim, quod Lojola dicitur malum daemonem ab homine expulisse pronunciato versu Virgilii IV. Aeneid. 165.

Speluncam Dido, Dux et Troianus eandem
Deveniunt — — —

In praefatione ad Scaligerana a. 1667. edita legas: *Virgilii speculum, et quidem intra sacra monumenta, Dionysiani in agro Parisiensi Monachi non sine risu visendum prae-*

x) Bibl. raisonnée Tom. XI. pag. 452.

praebent. Sic Italos Petrarchae sui non modo tumulum, aedesque, sed et urceum et sedile, imo et domesticae felis sceleton cadaver, aliasque, nescio quas, eiusdem farinae quisquilias magna pompa peregrinantibus ostentare refert Iac. Philippus Thomasinus libro, quem de divini Poëtae rebus composuit. E recentioribus Virgilium adversus insectatores defensitavit praeter Iovianum Pontanum Angelus Decembrius libro secundo politiae literariae, et Franciscus Campanus in quaestione Virgiliana Bononiae Mediolani et Parisiis 1581. 8. edita, per quam absolvitur Poëta a negligentiae crimine, quod Varus, Tucca aliique ei olim impegerunt. Virgilius defensus, qui lucem vidit Leodii 1685. 8. *y*) complectitur defensionem certaminis Aeneae cum Turno, Mambruno oppositam. Tarquinii Gallutii S. I. Virgilianae vindicationes, cum diss. de Tragoedia, Comoedia et Elegia Rom. 1621. 4. Penitus edidicisse eius poëma Adamus Sasbouthus traditur, ita ut totos XII. Aeneïdos libros a capite ad calcem posset citra haesitationem e memoria reddere. Sic Tacitum saepius lectitando familiarem sibi reddiderat Lipsius, T. Livium Buchananus, de quo supra p. 277. Natalium Virgilii recentiore memoria celebratorum vestigia, ne de Sannazario, A. Naugerio, *z*) Lotichio et C. Kinschotio iam memorem, exstant in poëmatibus Eobani Hessi pag. 468. et 497. et in Nic. Heinsii adoptivis p. 114. nec non in poëmatibus Davidis Hoogstratani p. 249. qui a. 1707. cum Francisco Hesselio et Cornelio van Arckel Latino carmine, ut Belgico I. Sudermannus et I. de Haes, genethliacon Maronis condecoravit. De veterum Poëtarum studio consimili testantur haec Martialis XII. 68. *quae magni celebras Maronis idus*, et illa Plinii 3. Epist. 7. ubi de Silio: *Virgilii natalem religiosius quam suum celebrabat.*

XIV. Fuit

y) Nouvelles de la Rep. des lettres 1685. p. 559.

z) Naugerius dicitur recurrenti Virgilii natali, velut eius manibus inferias, infice torum quorundam Poëtarum carmina infelicibus ustulanda flammis immolasse.

XIV. Fuit et Virgilius quidam Tragoedus sub Nerone Imp. cuius meminit Scholiastes Persii ad Sat. V. 9. Sed et Virginius Romanus Poëta Comicus, sub Traiani Imperio clarus, cuius apud Plinium lib. VII. Epist. 21. mentio occurrit, a Lilio Gyraldo, Petro Crinito, Glandorpio et Vossio Virgilius appellatur. Virgilii *Arelatensis* Episcopi meminit Hincmarus Remensis Tom. 2. p. 731. De illo Acta Sanctorum V. Martii Tom. 1. p. 398. seq. Virgilii Hiberni Episcopi *Salisburgensis*, qui a. C. 785. obiit, Epitaphium habes apud Mabillonium T. IV. Analect. p. 527. Glossarium eius et liber de antipodibus memoratur a Iacobo Waraeo. De illo Virgilio Carinthiae Apostolo plura apud H. Canisium Tom. 2. Antiquar. Lect. pag. 257. seq. Marium Hansizium S. I. tomo 2. Germaniae sacrae pag. 77. seqq. Iac. Vsserium in Epistolis Hibernicis ad Epist. XVI. Baelii Lexicon Tom. 3. pag. 2977. Thomasische Bibliothec Tom. 1. p. 944. etc. Fuit et *Ioannes de Virgilio*, Bononiensis, circa a. C. 1314. cuius Chronicon regni Catholici Ecclesiae Rom. memorari video. Praeterea recentiores, ut *Polydorum Virgilium Vrbinatem*, libris VIII. clarum, quos scripsit de rerum inventoribus, et historiae Anglicae libris XXVII. qui a primis gentis temporibus in obitu Regis Henrici VIII. a. C. 1509. desinunt, *Marcellum Virgilium* Florentinum, interpretem Dioscoridis, *Benedictum Virgilium* Aprutinum, poëmatis Italici de Ignatio Lojola auctorem, Alexandro VII. Pontifici acceptum, *Antonium Virgilium*, ICtum Siculum, *Virgilium Ceparium* S. I. qui a. 1631. Romae diem obiit, et de quo Sotwellus p. 783. *Virgilium Gleissenbergium* Poëtam, cuius Boleslaidem supra memoravi.





CAPVT XIII.

DE

Q. HORATIO FLACCO.

I. *Horatii aetas.* II. *Poëmata.* III. *Scholiastae vett.* IV. *Editiones cum veterum commentariis.* V. *Editiones sine notis, et cum notis atque commentariis virorum doctorum recentioris aetatis.* VI. *Versiones et scripta quaedam Horatium spectantia.*

I. Q. *Horatius Flaccus*, a) Venusii Apuliae natus est VI. Id. Decembr. b) L. Aurelio Cotta et L. Manlio Torquato Coss. anno V. C. 689. ante Christum 65. *Lyricorum fere solus legi dignus*, iudice iam olim Quintiliano, cum plures huius generis Poëtae c) exstarent Titius, Caesius, Bassus et alii, quorum scripta quod abolita sint, huic Quintiliani censurae tribuendum putant Barthius LVI. 11. Adverf. eiusque familiaris Christianus Daumius libro erudito de amissione latinarum radicum p. 61. Vita decessit Horatius Epicuri favens d) dogmatis, at non ineptus morum scriptorumve Censor, Maecenati atque inde Augusto mire probatus, eodem quo Maecenas e) anno V. C. 746. C. Marcio Censorino et C. Asinio Gallo Coss. anno aetatis 57. ante Christum 8. viginti ante mortem Augusti Imp. Sed de universis Poëtae rebus carminumque plerorumque, quo scripta sunt tempore, accuratiorem noti-

a) *Φλάκκος ὁ ποιητὴς* Plutarcho in Lucullo, p. 518. ubi respicit haec Horatii I. Sat. VI. — — — *chlamydes Lucullus, ut aiunt, si posset centum coenae praebere.*

b) Vide antiquum vitae Horatii scriptorem, quae ad Svetonium auctorem vulgo refertur. Venusia *ἐυτείχιςος* dicitur Polybio III. 90. *Venusium* vocat scholiastes Horatii vetus ad lib. 2. Sat. 1. alii *Venusiam*.

c) De his aliisque Lyricis latinis Vossius III. 15. Institut. Poëtic.

d) Addictus nolui dicere, quia lib. 1. Epist. 1. se ipse dicit Nullius addictum iurare in verba Magistri. Confer D. Rappoltum in Horat. p. 27. 36. etc.

e) Maecenas decedens prior Horatium Augusto commendavit his verbis: *Horatii Flacci ut mei esto memor.*

notitiam lector petet ex Horatii vita Chronologica, quam in lucem dedit antiquitatis ac rei Chronologicae, ut insignibus speciminibus demonstravit, haud vulgariter peritus *Ioannes Massonus*, praemissa Horatii effigie, quam exhibet quoque Iac. Gronovius T. 3. thesauri Antiqu. Gr. litter. *sss*. Exstat quoque effigies Horatii in duplici numo apud Sigebertum Havercamp. diss. de numis contorniatis p. 152. Vitam Horatii, quae *Svetonio* auctori tribuitur, ex Codice MS. vulgavit *Petrus Nannius* cum castigationibus suis Miscellaneor. III. cap. 2. (Tom. 1. Lampadis Artium Gruterianae pag. 1261.) Vita Horatii a *Ioanne Masson f*) scripta prodiit Lugd. Bat. 1708. 8. Videndus etiam de Horatio Tan. Faber. lib. 2. Epist. 47. Idem Massonus in Historia Critica Reipubl. literar. quam Gallice edidit Tom. V. p. 51. seq. defendit carmina in libris Odarum, Satyras et Epistolas singulas ab Horatio, prout ferret occasio, fuisse scriptas vario tempore separatim, et deinde ab eodem in libros redactas: neque adeo videri credibile, quod eruditissimo Bentleio persuasum fuerit (v. praef. eius ad Horatium ab ipso curatum) nihil nisi satyras primo libro comprehensas scripsisse Horatium anno 26. 27. 28. aut librum secundum satyrarum anno 31. 32. 33. Epodon librum anno 34. 35. librum primum Odarum a. aetatis 36. 37. 38. secundum 40. et 41. tertium anno 42. 43. Epistolarum librum primum, anno 46. 47. librum quartum Odarum Carmenque saeculare 49. 50. et 51. Librum secundum Epistolarum et artem Poëticam nulli certo tempori idem Bentleius assignavit.

De Philosophia Horatiana extant diatribae *Io. Guil. Bergeri*, Viteb. 1704. 4. et *Henningi Forelii*, Vpsal. 1706. 8. *Dan. Heinsii* de Satyra Horatiana liber saepius editus, nec minus dignae lectu et amoenae *Io. Iacobi Mascov* exercitationes binae ad Satyras Horatii, Lips. 1714. 1716. 4.

 Ad

f) History of the woorks of the learned a. 1708. p. 280. Bibl. choisie de Mr. le Clerc Tom. XIV. pag. 223. Boekzaal van Europe 1707. II. pag. 288.

Ad locum vero Odae 34. libri I. ubi palinodiam canentis in modum, Epicuro videtur renunciare et retrorſum vela dare ab inſanientis illius ſapientiae erroribus, conferre licebit diſſertationem Georgii R. ICti adverſus Maſſonum, inſertam Novae Biblioth. librorum Halenſi P. 19. p. 789. ſeq. Horatius dulci maieſtate ſua Pindari *g*) imitator, unde *Pindaricum* appellat Venantius Fortunatus lib. 5. carminum cap. 6. Idem IX. 7. *Pindarus Graius meus, inde Flaccus.* Iulius vero Caeſar Scaliger VI. Poëtic. pag. 811. 812. Horatium praefert Pindaro, et aliquas illius Odas (ut lib. 4. Od. 3. *h*) et libri 3. 9.) ita miratur, ut malit tales a ſe compoſitas, quam Pythionicarum multas Pindari et Nemeonicarum: *quarumque ſimiles*, inquit, *malim compoſuiſſe, quam eſſe totius Tarraconenſis Rex.* Confer Menagii anti-Bailletum cap. 27. et Petri Francii Orationes p. 601. ubi Horatium *Iuvenali* praefert. Iſ. Caſauboni liber *de Perſiana Horatii imitatione*, commentario eius in Perſium ſubiicitur. Pariſ. 1605. 1615. 8. Franciſcus Petrarcha *i*) vir ſui ſaeculi doctiſſimus dicere ſolitus eſt, ſe ex nullo Poëta Latino evaſiſſe meliorem, quam ex Horatio.

Horace k) nous inſtruit comme un ami commode
Sans trop s'aſſujettir à l'art, à la methode.
Son tour vif et naif enchante ſes lecteurs,
Et leur fait mepriſer ſes fades traducteurs.

Qu' Horace l) connut bien l'elegance Romaine!
Il met le vrai dans tout ſon jour,
Et l'admiration eſt toujours incertaine
Entre la penſée et le tour.

Sublime,

g) Vide infra, ubi de Franciſci Blondelli et Hurtadi de la Motte ſcriptis, quibus Pindarum cum Horatio conferunt.

h) In libri IV. Oda 3. ſonus mutis piſcibus dandus intelligendus eſt de teſtudine, ut probe obſervavit Thom. Molyneux, Medicus Dublinenſis, Novell. Reip. literar. a. 1703. menſe Sept. pag. 256. ſeq.

i) Georg. Fabricius praefat. ad Horat.

k) Mr. Pope Eſſais ſur la Critique, chant. 3.

l) Poëſies de Mr. Houdart de la Motte, Tom. 2. p. 82.

Sublime, familier, solide, enjoué, tendre
Aisé, profond, naif et fin,
Digne de l'Univers, l'Univers pour l'entendre
Aime à redevenir latin.

Horatii *m*) carminum lectione delectati sunt duo Imperatores sapientissimi, Augustus et Severus. Est vero, in Odis praesertim elaboratissimus, sublimis, suavis, emendatissimus, et in epithetis deligendis, ut Petronii verbo dicam, curiosa eius felicitas: praecipuus in satyra, doctor in poëtica arte unice audiendus: eximius philosophus in Epistolis. In carmine elegantiam et peritiam numerorum ei tribuit Ovidius, in argumentis sapientiam et calliditatem Persius, diligentiam elucubratam Iuvenalis, sublimitatem auctor vetus sed non nominatus, iucunditatem, gratiam, varietatem Quintilianus, sollertiam Apuleius, in sermone puritatem et nitorem idem Quintilianus: in Satyris eum esse emendatissimum Lactantius. Imitatus est in Odis potissimum cum Pindaro Alcaeum et Sapphonem: epitheta sumsit ab Homero et Sophocle. In libro Epodon secutus est Archilochum, in Satyris Romanos illos Ennium et Lucilium. Sed Horatio *n*) nihil hoc in genere praestantius est, qui ut omnes vitae rationes in Satyris suis complexus fuit, ita flosculos suppeditat, quibus mirum in modum ornare sermonem nostrum possumus. Ego certe Satyras eius omnes memoriae mandari velim, tum in vita ipsa, tum in sermone usui futuras. Elegantissima omnia sunt, dictio nitida, et, si numeros tollas, sermoni soluto apta. Vrbanitas in eo mira, sales candidi, ex abdito erutae sententiae, argutiae non coactae, merae Charites, omni occasioni aptae. Summum in illo Viro ingenium fuit, nec immerito Augusto et Maecenati in deliciis, cuius genium satyricum nemo ex antiquis, nemo e recentioribus, ulla imitatione assecutus est. Ioannes Caselius in Νέῳ suo, Horatium vitae magistrum com-

m) Bibl. Schraderiana n. 1885. in fol.

n) Morhofius Polyhist. lib. 3. c. 6. p. 634. Tom. 1.

mendans: *Affirmare non dubitem*, inquit, *qui in hoc Poëta multum operae posuerit, eamque ita perdidicerit, ut eius versus non in ore natos aut extemporales ut putatur, non memoria teneat (nec vero non sunt, qui hoc praestiterint,) sed probe intellectos ad usus vitae transferat: hunc posse rebus suis suorumque recte in omnibus aliquid boni consilii invenire: nec minus idem patriae recte consulat, praesertim si et ad historiam se conferat, spectans id, quod potissimum ostendimus.* Clariss. Bentleio in notis pag. 64. Horatius dicitur *magnus novator*, quod ex Graecis in Latinam linguam felici audacia alia transtulit, alia ut *male feriati* vocabulum ipse primus effinxit. Confer Iac. Frid. Reimanni historiam vocabulorum Latinae Linguae p. 43. seq. Alius Horatius, de quo Martialis IV. 2. Sed longe plures hoc nomine commemorat Io. Glandorpius in Onomastico Romano p. 402. seq. De *Titio* Poëta Lyrico Brockhusius ad Tibullum p. 92. sq. De *Caesio Basso* Scholiastes Persii ad Sat. VI. 1.

II. Scripta Horatii ita recenset Sidonius Apollinaris Carmine IX. v. 218.

> *Non quod per Satyras Epistolarum*
> *Sermonumque sales, novumque Epodon,*
> *Libros Carminis ac Poëticam artem*
> *Phoebi laudibus et vagae Dianae*
> *Conscriptis voluit sonare Flaccus.*

Haec universa Horatii hodie exstant.

Carminum sive Odarum libri IV. ad C. Cilnium Maecenatem, licet primam Odam libri primi (uti non paucos Virgilii versus) pro spuria habuit Franciscus Guietus, doctus, sed nimis delicati fastidii Aristarchus. Librum quartum ex longo intervallo addere iussit Augustus, ut in vita Horatii Svetonius memoriae prodidit.

Epodon liber unus, perinde ut libri carminum, vario genere versuum proodico et epodico scriptus, de quibus consulendus Aldi Manutii tractatus de XIX. generibus metrorum Horatii.

Epodon

Epodon libro subiicitur *Carmen saeculare*, quod Horatio componendum iniunxit Augustus anno V.C. 736. aetatis Horatii XL. Meminit auctor vitae, et Sidonius innuit per *Phoebi laudes et vagae Dianae conscriptas*. Sunt quibus carmen saeculare videtur etiam lib. 1. Oda 21. et libri IV. Oda 6. Vide Petri Taffini lib. 1. de ludis saecularibus cap. 16. et 17. in Tomo 8. thesauri Antquitatt. Romanar.

Sermonum libri IV. ad eundem Maecenatem, epico carmine conscripti, quorum duo priores complectuntur *Satyras*, o) ab argumento, posteriores duo ad docendum et instruendum facti, *Epistolarum* vulgo veniunt nomine, quorum in altero Ethicum Philosophum, in altero Criticum profitetur. Alter constat Epistolis viginti, alter vero tribus, una ad Augustum p) de Poëtis, praecipue Romanis: secunda ad Iulium Florum, tertia ad Pisones patrem et filios a Charisio diserte Epistolae nomine memorata, quae vulgo, ut Sidonii etiam aetate factum, seiuncta a reliquis, Fabii auctoritate III. 8. Inst. Or. inscribitur *Liber de arte Poëtica*, in quem Porphyrio observat, Horatium congessisse praecepta Neoptolemi Pariani de arte poëtica, non quidem omnia, sed eminentissima. Haec Epistola si cum duabus prioribus iungatur, mole et versuum numero fere aequabunt priorem Epistolarum librum, aut certe parum inter se uterque different, ut pridem notavit Dan. Heinsius. Horatii *Satyras* Fulvius Vrsinus in Virgilio cum Graecis scriptoribus collato p. 3. veteris Codicis Vaticani fidem secutus, *Eclogas* appellat. Sic quoque Cruquius, haud improbante Barthio ad Statium T. 1. p. 351. Liber satyrarum secundus Trebatio in qui-

o) Nonnullas Satyras ante Carmina quaedam in Epodon libro, scriptas ab Horatio esse disputat Samuel Petitus lib. 1. Observationum capite IX.

p) Svetonius in Horatii vita: *Sermones vero lectos quosdam nullam sui mentionem factam ita est questus Augustus.* Iratum me tibi scito, quod non in plerisque eiusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris ne apud posteros infame tibi sit, quod videaris familiaris nobis esse. *Expressitque eclogam, cuius initium est:* Cum tot sustineas et tanta negotia solus.

quibusdam Codd. inscribitur. Compositae sunt carmine epico, sed sermoni propiore, ut ipse lib. I. Sat. IV. 41. scribit:

— — neque si quis scribat uti nos
Sermoni propria, putes hunc esse poëtam.

Ab his Satyris *mordacem* vocat Flaccum Sidonius: Petrus Blesensis subinde *Ethicum*, ut Epist. 150. et alibi. Quid ecloga, quid satyra exigat, eleganter tradit Io. Antonius Campanus lib. V. Epistola 24. Versus quatuor et quinquaginta ex Epistola ad Florum a versu 87. ad 140. in alteram ad Augustum transferendos, non post v. 219. ut Dan. Heinsius, sed post 117. collocandos esse, singulari diss. in Academia Inscriptionum Parisiensi a. 1702. 15. Nov. probatum ivit Vir Clariss. *Ioannes Boivinius*. Versus octo in quibusdam Codd. et editionibus praefixi lib. I. Satyrae X. et a Gyraldo dialog. IV. de poëtis, Guil. Cantero aliisque pro Horatianis habiti: *Lucili quam sis mendosus teste Catone* etc. tanquam spurii a Criticis reiiciuntur. Vide H. Stephanum, Laevinum Torrentium, alios. In libri secundi Epistola secunda transpositi versus a 87. ad 140. ut praeter Danielem Heinsium in notis, *Io. Boivinius* diss. in memoriis litterariis Trevoltinis a. 1703. Sept. p. 268. seqq. Salmasius in Solinum pag. 5. Horatii nomine laudat hunc versum:

Nulla dies abeat, quin linea ducta supersit.

sed non est Horatii, nec alterius veteris Poëtae Latini, ut notatum Carolo Dati in vita Apellis p. 107. Bibl. Aprosiana p. 273. Sermonum libros, Horatii exemplo, praeter alios scripsit Petrus Scholirius eques et senator Antverpiensis a. 1635. defunctus, quos commentariis etiam illustravit Albertus le Roy, q) Eremita Augustinianus, Herbipoli 1683. 8.

Ars Poëtica scripta ad Pisones, Patrem et filios, hos enim alloquitur versu 24.

— — Pater, et iuvenes patre digni.

Sveto-

q) Acta Erud. 1684. p. 262.

Svetonius in vita teſtatur, veniſſe in manus ſuas et *Elegos* ſub Horatii titulo, et *Epiſtolam* proſa oratione, quaſi commendantis ſe Maecenati. *Sed utraque*, inquit, *falſa puto. Nam elegi vulgares, Epiſtola autem obſcura; quo vitio minime tenebatur.* Auctor libri de Orthographia, qui Bedae vulgo tribuitur pag. 2800. edit. Putſchii: *Nonnulli veterum ipſa carmina ſoles nominare, ſicut Horatius in principio cuiuſdam voluminis, quod ita exorſus eſt:* Soles meos omni Eccleſiae (Barthius LII. 4. legit *Eteſiae*) veſtrae commendo. Et *Maro:* ſaepe ego longos cantando puerum memini me condere ſoles.

III. Multos Grammaticos veteres interpretes nacta ſunt Horatii Carmina, ſed quorum aetas definiri non poteſt. Primo loco ponitur in edd. *Acron*, cui praefert interpretandi ſolertia *Porphyrionem* Vavaſſor de vi et uſu verborum quorundam. H. Stephanus teſtatur in MS. *Pomponium Porphyrionem* appellari. Ceterum ſunt magis excerpta ex eorum commentariis, quam commentarii ipſi, iique etiam, ut in aliis quoque factum, interpolati ab iis, qui iſta excerpſere. Porphyrionis quidem Scholia ſe longe pleniora habere ſcripſit Emendationum L. I. c. 14. eaque ſe editurum promiſit. Scholia autem Anonymi edidit primus Cruquius in ſua Horatii editione. Ea ſimilia ceteris iudicat Barthius Adverſ. XLII. 22. nec magni faciebat T. Faber Epp. I. 2. II. 54. habent tamen non pauca, quae in ceteris ſcholiis antiquis non reperiuntur et tamen ad intelligendum Horatium utilia. Scholia inedita extant in Bibliotheca Franequerana, teſte Gutberletho de Saliis p. 9. Graevius etiam in Lect. Heſiod. c. 17. affert locum e Scholiaſte ſuo inedito. Quae in edd. Baſil. addita ſunt veterum Grammaticorum Scholia: ea ſunt excerpta et collecta e libris Grammaticorum ſuperſtitum.

IV. Inter editiones Horatii eas primo loco referam, quae commentarios veterum adiunctos habent. Cum commentariis *Helenii Acronis* et *Pomponii Porphyrionis* ex emendatione Raphaëlis Regii fol. ſine loci nota lucem vidit

vidit Horatius a. 1481. et per Anton. Zarotum Parmensem, Mediolan. 1485. fol. atque additis etiam Antonii Mancinelli et Christoph. Landini scholiis Venet. 1492. fol. per Petrum Ioannem de Quarengis, et 1495. fol. nec non Brixiae 1501. f. et Venet. 1514. fol. Cum iisdem commentariis et Mancinelli, et Iodoci Badii Ascensii, recensente eodem Badio Paris. 1519. fol. Cum commentariis Acronis, ad voluminis calcem, Basil. 1527. 8. Cum Acronis et Porphyrionis commentariis, Basil. 1545. 8. cum iisdem, admixtis *C. Aemilii*, *Iulii*, *Modesti*, et *Terentii Scauri* annotatiunculis, emendante G. Fabricio, Basil. 1555. fol. Cum enarrationibus *commentatoris veteris* e MSto recensiti auctique ac Iacobi Cruquii Messenii commentario, atque notis et succidanea appendice Iani Dousae, Patris, Antverp. apud Plantin. 1578. 4. et 1611. 4. quae editio propter illum ante ineditum Scholiastem inter principes est numeranda. Cum commentariis vel notis XL. Grammaticorum, in quibus familiam ducunt veteres Acro, et Porphyrio, Basil. 1580. fol. cum scholiis perpetuis veteribus (selectis quidem illis, passim emendatis atque ab interpolatione purgatis) notisque suis Guilelmus Baxterus Lond. 1701. 8. edidit: de qua editione post dicetur.

INDEX SCRIPTORVM
IN COMMENTARIIS VETERIBVS AD HORATIVM CITATORVM.

ad paginas editionis Iac. Cruquii a. 1611. 4.

Aeso-

Divus

Crispi-

Metius

V. Ceterae editiones, sine veterum commentariis, hae fere sunt. Pro editione Horatii antiquissima habet Mich. Maettarius, quae in 4. sine loci et temporis aut typographi nota est p. 72. Annal. typograph. putatque curante Antonio Zaroto Parmensi impressam Mediolani circa a. 1470. de qua editione vide notam Gesneri in capite ed. Baxterianae ab eo repetitae, qui eius textum e MS. ductum, sine ullius correctione, iudicat, eamque adeo parem Codici scripto auctoritatem habere. Praeterea memorat Maettarius p. 108. edit. Mediolanensem 1474. f. eiusdem Zaroti cura, et Ferrariensem eiusdem anni in 8. cum hoc tetrasticho:

Ferrariae impressit regnante sub Herculi divo
Regia quo gaudet nunc Leonora viro.
Carnerius puer Augustinus, cui dedit almam
Bernardus lucem Bibliopola bonus.

Has secutae Mediolanenses 1476. et 1477. fol. per Philippum de Lavagnia cum praefatione Al. Minutiani, unde quaedam excerpsit Gesnerus l. c. item quarta 1502. splendida apud Al. Minutianum et 1508: porro Tarvisina 1477. f. quae omnes praecesserunt Venetam r) anni 1477. f. per Philippum Condam Petri, quam pro prima omnium laudat Bentleius p. 8. 58. 73. 87. 101. etc. Cum *Christophori Landini* interpretationibus, vidit primum lucem Horatius Florentiae 1482. fol. apud Antonium Miscominum, cum hac bella Angeli Politiani oda:

Vates Threicio blandior Orpheo
Seu malis fidibus sistere lubricos
Amnes, seu tremulo ducere pollice
Ipsis cum latebris feras.
Vates Aeolii pectinis arbiter:
Qui princeps Latium sollicitas chelyn,
Nec segnis titulos addere noxiis
Nigro carmine frontibus:
Quis te a barbarica compede vendicat?
Quis frontis nebulam dispulit: Et situ
Deterso levibus restituit choris
Curata iuvenem cute?
O quam nuper eras nubilus: et malo
Obductus senio! quam nitidos ades
Nunc vultus referens docta fragrantibus
Cinctus tempora frondibus!

Talem

r) Vna eademque videtur esse quae p. 127. et 133. a Maettario memoratur Horatii editio Veneta a. 1477. et 1478. utraque apud Philippum Condam Petri, utraque die XV. Septembris finita. Nec fortasse diversa quam p. 137. refert Venetam ex eiusdem Philippi officina a. 1479. finitam tamen die XVIII. Sept. Notus est typographorum dolus, qui eorundem librorum, ut recentes appareant, exemplis quibusdam licet ante excusorum numeros aliis proximi, aliis secundi, aut tertii post anni inscribunt.

Talem purpureis reddere solibus
Laetum pube nova post gelidas nives
Serpentem positis exuviis solet
Verni temperies poli.
Talem te choreis reddidit et Lyrae
Landinus Veterum laudibus aemulus,
Qualis tu solitus Tibur ad uvidum
Blandam tendere barbiton.
Nunc te deliciis, nunc decet et levi
Lascivire ioco, nunc puerilibus
Insertum thyasis aut fide garrula
Inter ludere virgines.

Hanc inter principes recte ponit Gesnerus: eius exemplum ipsi habemus. Ea anno post repetita est Venet. 1483. fol. per Ioannem de Forlivio et socios, et 1486. f. per Bernardinum de Tridino ex Monteferrato. Alia facta est cum commentariis *Ioannis Arriabeni*, Venetiis a. 1490. fol. Horatii Epistolae separatim Cadomi a. 1480. cuius editionis exemplar membranaceum habuit V. C. Thom. Galeus. Horatius per *Iacobum Locherum* Poëtam laureatum et Professorem in Gymnasio Friburgensi, Bentleius *Loscherum* dicere solet, cum argumentis, scholiis, glossa interlineari et iconibus ligno mira simplicitate incisis, prodiit Argentorat. 1498. fol. apud Ioannem Reinhardum, cognomento Gruninger, opus dicatum Carolo Marchioni Badensi, cuius textum valde laudat Rich. Bentleius, ut e MS. libro eoque bono ductum, cum Italicae editiones fere altera alteram expresserit, ut ea quoque editio inter principes et ad crisin utiles numeranda sit: eius exemplum nos quoque habemus. Est et alia editio vetus in 4. sine notatione anni locique, quam non vidimus. Prodiit praeterea Lipsiae in 4. 1498. et alia antiqua editio ibid. in 4. sine anno Cl. Schoetgenio inspecta: qui etiam notavit Epistolas Horatii separatim editas Lipsiae 1498. f. et 1512. 4. atque iterum anno non addito in 4. Satyras itidem Lipsiae in 4. sine anno, et additis Epistolis. Carmina sive Odae Lipsiae

in 4. ſine anno. Epodon liber, ibid. 1488. 4. et 1498. 4. Carmina et Epodos Lipſ. 1492. 4. Carmen ſeculare cum Io. Sentini de quibuſdam Lyricis carminibus tractatulo Lipſ. 4. ſine anno, et ibid. 1498. 4. Odae cum argumentis et tabula legum Carminis Pariſ. 1498. 4.

Seculi ſequentis, ſexti decimi, prima eſt *Aldina* litteris, quas vocant Italicis ſive currentibus a. 1501. 8. atque iterum emendatius et ratione metrorum demonſtrata an. 1509. 8. ad Iafredum Carolum Regii Senatus in urbe Mediolano moderatorem, et 1519. 1527. 1559. 8. Cum commentariis *Antonii Mancinelli* et *Badii Aſcenſii*, ut ceteri ſunt illius, levibus et parum accuratis Pariſ. 1503. 1516. f. Cum notis Badii Aſcenſii, Pariſ. 1506. 4. cum *Antonii Boſinii* commentariis, iudice quidem Adr. Iunio, Animaderſ. IV. 6. ineptis et inanibus, Rom. 4. et ex editione Aſcenſiana, Pariſ. a. 1519. fol. Habemus etiam editionem, quam non vidimus ab aliis memoratam a. 1511. 8. ſine loci nota, literis currentibus. Literae ſunt ſimiles Lugdunenſibus in ed. Plauti Carpentariani et Quintiliani Lugduni factis, itemque habet idem inſigne in capite. Praefixa eſt praefatio Aldi ex ed. Aldina. In ea editione Carm. I, 25. extr. editum eſt *dedicet Euro:* quod omnes latuit: unde raritas huius editionis apparet. — Ex hac ductam putamus editionem Argentinenſem a. 1516. quam laudat Cuninghamius ad Carm. I, 25. quod in lectione illa *dedicet Euro* cum ea conſentit; nobis quidem viſa non eſt. *Epiſtolarum* libri II. prodierunt ſeparatim Lipſiae apud Iacobum Thanner 1517. 4. in fronte libri legas hos verſus:

Iam cenſura gravis me caſtigavit ad unguem:
Criſpantes naſos tutus adire queo.

Ars poëtica quibuſdam locis, ut habet titulus, emendata, Daventriae in 4. ex officina Iacobi de Breda, ſine anni notatione.

Friburgenſis editio 1533. 8. cum notis *Henrici Glareani* et a. 1540. 8. cum Nic. Perotti libello de metris Odarum

rum Horatii, qui exſtat etiam in edit. Aldina a. 1519. 8. *Rob. Stephani* editio Pariſ. 1539. et 1544. 8. cum Perotti libello de metris Horatianis, et 1545. 12. Exſtat et altera cum ſcholiis et argumentis *H. Stephani*, et diatribe duplici ſine notatione anni, 8. et ſecunda editio a. 1588. 8. tertia Genev. 1600. 8. cui additae pag. 151. ſeq. emendationes et acceſſiones ex veteri MS. ad *Porphyrionis* in Poëtam commentarios. Lugdunenſes editiones apud Gryph. ſunt a. 1535. 1542. 1559. 1567. 8. etc. Editionem Pariſienſem nitidam ex officina Vaſcoſani, Odarum quidem et Epodon anni 1545. Epiſtolarum a. 1549. Satyrarum et de Arte Poëtica a. 1551. 4. cum Codice MS. Io. Iacobi Mentelii 600. annorum, qui olim Lambini fuit (licet Lambinus ad lib. 1. Sat. 10. ſcribat nullum fere exſtare librum MS. qui annos 400. ſuperet) collatam habuit Marqu. Gudius. Cum commentariis, et obſervationibus Eraſmi, Politiani, Sabellici, Rhodigini, Pii, Criniti, Aldi Manutii etc. prodiit Venet. 1553. fol.

Cum *M. Antonii Mureti* commentariis, Venet. apud Aldum iun. 1552. 1555. 8. additis ſcholiis *Io. Mich. Bruti* ad libros Odarum et Epod. id. 1561. 1564. 1570. et 1582. 8. Cum notis *Ioannis Hartungi*, Baſil. 1555. f. *Franciſci Irenici*, Lugd. 1567. 8. et Dillingae 1585. *Antonii Sebaſtiani Minturni* commentarius in Horatium, Venetiis editus. Horatius e decem codicibus emendatus cum commentariis eximiis *Dionyſii Lambini*, Lugduni 1561. 4. et Venetiis 1566. 4. *s*) apud Paulum Manutium, tum magnis acceſſionibus locupletatus, Pariſ. 1568. 1579. 1587. fol. Francof. 1577. fol. apud Wechel. et 1596. 4. et cum indice omnium verborum Treteriano 1600. 8. Genev. 1605. 4. Francof. 1612. 4. et Pariſ. 1605. fol. in qua editione accedunt notae Turnebi et *Theod. Marcilii*. Ex caſtigatione *Theodori Pulmanni*, a. 1566. apud Plantin. minore forma, et 1577. et 1580. cum Pulmanni et Manutii notis.

s) In hac nitida nec ubique obvia editione adiunctae ſunt doctae *Io. Mich. Bruti* ad IV. libros carminum et Epodon librum notae.

Notae *Iani Dousae* patris, et eius appendix ad commentariolum Horatianum separatim prodiere 1582. 12. Cum *Adr. Turnebi* in lib. 1. Carminum et in loca obscuriora Paris. 1577. 8. cum Mureti et Manutii in Horat. notis *Georgii Fabricii*, Lips. 1578. 8. 1588. 8. 1605. 8. cum castigationibus *Georgii Fabricii*, et indice adagiorum, quibus Horatius usus, aut ad quae allusit, vel quae deinde in proverbii formam abierunt, mille et quadringentorum. Hunc indicem, in quo multa, quae proverbia non sunt, castigatum et interpolatum in haud paucis H. Stephanus suo Horatio subiunxit.

Horatius *Petri Gualteri Chabotii* Pictonis Sanlupensis Paris. 1582. 8. et Basil. 1589. 8. et cum eiusdem uberioribus commentariis, Dialectico, Grammatico et Rhetorico, absoluto a. 1587. et edito Basileae 1594. fol. ac post auctoris fata iterum (circa a. C. 1597. enim e vivis excessit) recensente *Iac. Grassero* a. 1615. fol. quae locupletior est editio, non emendatior. Absurde quibusdam Chabotius Torrentii commentaria compilasse dicitur, cum Torrentio longe prior scripserit, ut probe animadversum Baelio est T. 1. Lexici p. 888. Chabotium laudat Bentleius p. 13. Cum notis *Guil. Xylandri*, Neostad. 1590. 8. Heidelberg. 1575. 8. Epistolarum libri duo, et in eas praefationes, Paris. 1585. 4. Cum erudito commentario *Laevini Torrentii*, Episcopi Antverpiensis, bonis Codd. MSS. usi. ex officina Plantin. a. 1608. 4. Additae sunt et *Petri Nannii* Alcmariani in artem Poëticam notae.

Horatius cum scholiis *Greg. Bersmanni* prodiit 1602. Lipsiae 8. cum notis *Dan. Heinsii t*) ap. Rapheleng. 1610. 8. et 1612. 8. addito libro eiusdem Heinsii de satyra Horatiana, una cum fragmentis satyrarum *Lucilii*, qualia Rob. Stephanus in fragmentis latinor. Poëtarum dederat, et fragmentis Graeci Sillographi *Timonis*, petitis e Poësi Philosophica H. Stephani. Tertia Heinsii editio, Lugd. Bat.

t) Bentleius solitam Dan. Heinsii infeliciter corrigentis περιεργίαν et loca incrustantis sincera arguit pag. 22.

Bat. 1629. 12. et quarta sine notis Amstelod. 1676. forma minore. Editionis nitidae Sedinensis cum novis argumentis, et vita Horatii Svetoniana ex Petri Nannii recensione, apud Ioannem Iannovium 1627. forma minore commemoratur Augusto Beyero in memoriis librorum rariorum p. 233. Cum notis *Iani Rutgersii* prodiit Paris. 1613. 12. apud Rob. Steph. Rutgersium ingeniosissimum appellat Bentleius pag. 11.

Horatius ab omni obscoenitate Romae expurgatus, editus est Colon. 1616. 8. in quem *Iodoci Maresii (Desmarez)* Antverpiensis, e Soc. Iesu brevis commentarius extat, Duaci 1636. 8. Cum notis suis brevibus et perspicuis edidit ad usus tironum, *Ioannes Bond.* Lond. 1606. 8. Hanov. 1621. 8. Amst. 1630. 12. 1636. 1643. 1650. 12. et saepius deinde alibi repetitum. De hoc Bondio vide Antonium Wood T. 1. Athenarum Oxoniensium p. 379. edit. secundae.

Horatius e typographia Regia, Paris. 1642. fol. typis luculentis. Cum commentariis selectis *Variorum* et scholiis integris Ioannis Bond, curante *Cornelio Schrevelio*, Lugd. Bat. 1653. 1658. *u*) 1688. et 1670. 8. in qua editione praefatio promittit Rutgersii Venusianas lectiones in Horatium, sed has postea demum integras e Bibliotheca Nic. Heinsii edidit Clariss. Burmannus. Cum notis *Io. Minelli*, Roterd. 1668. 1673. 12. Cum castigationibus *Tan. Fabri*, Salmur. 1671. 12. Cum Minelli notis, commentarioque D. *Frid. Rappolti*, et supplemento *Ioachimi Felleri*, Lips. 1675. 8. duobus volum.

In usum Delphini, at privato ausu, Horatium non integrum (quae moribus enim nocere visa sunt, omissa) illustratum edidit *Petrus Rodellius* e Soc. Iesu, cum paraphrasi ac notis, Tolosae 1683. 8. Paris. 1686. 8. et Lond. 1690. 8. Postea auspiciis Regiis idem fecit *Ludovicus Desprez*, Paris. 1691. 4. in qua editione exstat etiam index

u) Editionem variorum Lugd. Bat. a. 1658. 8. pluribus MSS. notis *Phil. Munkeri*, et alteram anno 1663. 8. non paucioribus Thomae Munkeri refertam servare se testatur Thomas Crenius XVI. animadvers. Philolog. pag. 243. quod exemplum quo venerit, ignotum est.

dex omnium verborum. Recuderunt Desprefii Horatium Londinenses a. 1694. 8. et omissa adulatoria praefatione, adiecere vitam Horatii; Andreae Dacerii notis illustratam, eiusdem Chronologiam Horatianam et dissertationem de origine ac progressu satyrae Romanae ex Gallico latine versam. Eam ed. saepe post Londinenses repetiere, quintum 1711. 8. In Amstelodamensi editione a. 1695. 8. ad Londinensem expressa, omissus est index omnium verborum.

Horatii carmina expurgata, cum notis eruditis et eleganti interpretatione *Iosephi Iuventii* S. I. edita sunt Paris. 1696. 8. et Rothomagi 1711. *Quod spectat*, inquit, *ad rationem, quam in interpretando secutus sum, nolui eam esse nimis exsanguem et ieiunam, qualem cernere est in iis commentariis, quae haud ita pridem exierunt, in quibus interpretatio fere est horrida, et hirsuta, dum verbum verbo religiose ac putide potius reddit: amoenitatem quandam sectatus sum in explicando amoenissimo poëta, et malui ut ubertas quam inopia culparetur.*

Cum scholiis suis etiam dedit ad tironum usum *Eduardus a Zurck*, scholae Harlemensis Rector, Harlem. 1697. 8. Lond. 1702. 8. Cum lectionibus Venusinis *Iani Rutgersii*, Petrus Burmannus Traiecti Bat. 1699. 12. *Guilelmum Baxterum* qui a. 1701. Horatium Lond. 8. illustravit, virum reconditae eruditionis appellat Bentleius p. 9. not. ad Horat. Ea repetita est Lipsiae 1752. 8. per *Io. Matth. Gesnerum*, addita varietate Lect. et notis suis eruditis atque egregiis, in quibus, quod ad criticam rationem attinet, textum vulgatum saepe a Bentleii correctione vindicat, ceterum intelligentiam Horatii plurimum iuvit; estque adeo haec editio inprimis studiosae cognoscendi Horatii iuventuti commendanda.

Perquam nitide porro ad optimorum exemplarium fidem excusus, cum castigationibus quibusdam et variis lectionibus notatu dignioribus *Cantabrigiae* a. 1699. 4. editus

editus est, atque iterum minoribus typis a. 1701. 12. curante *R. Bentleio*, sed maxime et proprie *D. Iac. Talbotio*, quem laudibus effert Bentleius p. 28. 53. etc. Sed huius seculi clarissima est editio et splendidissima cum notis eruditis et emendationibus novis (ad 800.) *Richardi Bentleii*, Cantabrig. 1711. 4. dicata *x*) Roberto Harleio, recusa, haud minus pulchre ac nitide Amstelod. 1713. et 1728. sed ita ut ad usum longe praestet haec posterior editio, perinde etiam emendata: nam et notas Bentleii singulis paginis statim substratas offert, non ut Cantabrigiensis, ad Voluminis subiectas calcem: deinde, qui in hac desiderabatur, locupletissimum exhibet indicem omnium Horatii verborum, Tretero-Avemannianum, sed observationibus variis ad latinitatem pertinentibus, et locis plus quam mille et quingentis auctum atque emendatum ab *Isaaco Verburgio*, insertis etiam variis lectionibus Bentleianis. Cantabrigiae 1713. 8. Horatius Bentleii repetitus est, sed notis eius in compendium missis, a fratris filio *Thoma Bentleio*. Editio Bentleiana, qua textum, a multis eruditis viris et severioris Criticae fautoribus reprehensa est, audaciae nomine, in textu ex ingenio nimis saepe mutato, nec modo obiter, sed etiam libris propriis, quo pertinet 1. *Aristarchus ampullans in curis Horatianis Philargyrii Cantabrig.* Lond. 1712. 8. cuius auctorem nescimus. 2. *Rich. Iohnsoni* Aristarehus Anti-Bentleianus, Nottinghamae 1717. 8. de quo libello, si tanti videtur, adiri Diaria, illius temporis, Act. Erud. Clerici Bibl. a. et m. item Rochii Bibl. Angl. possunt. Sed eruditissime in eo castigando versatus est *Alex. Cuninghamus* in Animadversionibus in notas eius Lond. 1721. 8. subiectis textui a se facto cum var. lect. quarum lectionem studiosis artis criticae, coniunctam cum lectione notarum Bentleianarum, valde commendamus. Sed plane probamus eorum iudicium, qui eum

x) Dedicatio Bentleii separatim lucem vidit cum Anglica versione Lond. 1712. 8. praemisso eiusdem Dodecasticho ad Carolum Halifaxiae Baronem.

eum Criticorum principem appellant, et eius, quam vocant, audaciam longe meliorem esse aliorum indocta modestia, in his Sam. Clarkii ad Hom. Il. T. 1. p. 165. ed. min. Anno 1713. 12. Amst. Horatius minoribus typis prodiit, curante *Petro Burmanno*, castigatus ad Codices MSS. et ad Bentleii editionem, a qua tamen subinde recedere non dubitat, quando ille non ex Codicum auctoritate, sed suopte ingenio nonnulla audacius mutavit. Novam editionem novis *Alexandri Cuninghami* curis expolitam et illustratam exspectare iussit Pancratius Masvicius praefat. ad Virgilium a. 1717. editum, cuius prodromus videtur esse ea, quae ante commemorata est Hagae Comitis 1721. 8. Quae Londini 1736. 8. facta est auctorem habet *Io. Iones*, qui se dicit MSS. quibusdam usum, cum notis suis, coniecturis virorum doctorum et var. Lectt. Tum alteram anno 1749. 8. apud Guil. Sandby similis Virgilianae apud eundem, i. e. plus splendoris inanis quam utilitatis propriae habens. Etiam Berolini ab aliquo tempore *Rosellus de Baumon* in Horatio nova luce perfundendo et ad examen revocandis Bentleii emendationibus operam posuit; de quo vide sis Diarium Hagense, Journal literaire T. 2. p. 232. et Io. Massoni Hist. Criticam Reip. litterariae, editam Gallice Tom. 8. p. 118. 215. T. 9. p. 64. 187. 269. T. 14. p. 84. seq. 211. seq. et T. 15. p. 111. seq. ubi observationum eius sunt specimina, quemadmodum, multis ante Bentleii editionem luci datam annis, in Diario Berolinensi, Journal de Berlin a. 1697. p. 219. seq. Non omittendum etiam, quod *Lambertus Bos* in specimine animadversionum ad scriptores Latinos Franeq. 1714. 8. editis nonnulla Horatii loca adversus Bentleium vindicat illuminatque, laudans passim Codicem MS. insignem Bibl. publicae Franequeranae, et pag. 38. 39. 43. 44. et 47. Commentatorem veterem ineditum, et ubi explicationes quae habentur inter versus, saepe sunt vocum lectionis diversae ab iis, quae ibidem occurrunt in textu. id. pag. 49.

Horatii

Horatii Carminum libri V. ex recensione *Georgi Wade*, qui ad certissimas Criticae artis regulas quamplurimis in locis ea ex vetustis exemplaribus editionibus et commentariis emendasse se profitetur. Lond. 1731. 8. de qua v. Journal des Sav. 1731. Aout. p. 561. seq. Nobis ea visa non est. Memorabilis est etiam editio Horatii carmina ad editionem Talbotianam a. 1701. 12. aere nitidissime descripta exhibens, odasque singulas et carmina singula ornata iconibus aptis ad argumentum, repetitis ab antiquis monumentis affabreque sculptis graphio *Piniano*, Ioannis Pinii, 2. Volum. in 8. Lond. 1733. sed in ea splendor modo est, nihil alius utilitatis. Omisimus alias minores etsi nitidas editiones textus Horatiani, ut *Maettarii* Lond. *Steph. Andreae Philippi* Paris. ad crisin et exegesin textus nil profuturas, item Minellianas et similes pueriles, quas hic commemorare non attinet: quamquam ex hoc genere etiam est *Bondiana* et *Zurkiana*. Ceterum ex hac recensione facile cuilibet apparebit, qui de textus Horatiani integritate. et de interpretatione eius optime meriti sint, ut delectus edd. Horatianarum non difficilis esse possit.

VI. In *Artem Poëticam* separatim scripsere plurimi, quorum nonnullos annotavit etiam Adrianus Bailletus, in iudiciis eruditorum de scriptoribus huius argumenti, singulari volumine recensitis, *Vitus Amerbachius*, Argent. 1543. 8. *Franciscus de Cascales*, Valentiae 1659. 8. *Nicol. Colonius*, Bergomi 1587. 8. *Thom. Corraeus Lusitanus*, Venet. 1587. 8. *Trypho Gabriel*, Paris. 1544. 8. *Henricus Glareanus*, Paris. 1533. 4. apud Rob. Steph. *Iac. Grifolus*, Florent. 1550. Paris. 1552. et Venet. 1562. 8. cum apologia adversus Iasonem de Nores: *Franciscus Luisinus*, Vtinensis, Venet. 1554. 4. apud Ald. Manut. *Vicentius Madius* Brixianus, Venet. 1550. fol. cum commentario eiusdem et Barth. Leonhardi in Poëticam Aristotelis: *Aldus Manutius* iunior ibid. 1576. 4. *Hercules Manzonius*, Bergomi 1604. 4. *Petrus Nannius*, ad calcem edit. Horatii

ratii cum Torrentii commentario, Antw. 1608. 4. *Iason de Nores*, Cyprius, Parif. 1544. 8. Venet. 1553. *Ianus Parrhasius*, Neap. 1531. 4. Parif. 1553. Lugd. 1536. Venet. 1553. *Io. Piscator*, Spirae 1595. 8. *Francisci Robortelli* commentaria cum eius explicationibus de Satyra, Epigrammate, Comoedia, salibus et Elegia, Florent. 1548. fol. *Francisci Sanchez* annotationes, Salmanticae 1591. 8. Antverp. 1592. 8. *Achillis Statii* notae, Antw. 1553. 4. *Io. Sturmii* commentarius, Argentorat. 1576. 8. quem Ioan. Henr. Ackerus iterum subiici praelis curavit Rudolst. 1716. 8. *Iod. Willichii*, Francof. 1539. 8. *Io. Bapt. Pignae* Poëtica Horatiana Venet. 1561. fol. etc. Omisimus Analyticos, Rhetoricos et Paraphrastas, ut in ceteris partibus: quos nemo hodie quaerit.

In *Epistolas Claudius Minos*, Parif. 1584. 4. *Ioan. Amarito*, ibid. 1553. 12.

In *Satyras*, *Iacobi Cruquii* notae excusae separatim 8. apud Plantin. *Iulii Aurelii Haurechi* commentarius in satyras duas primores, Antverp. 1541. 8. *P. Oudini* in Satyram VI. libri I. etc.

In *Odas* et *Epodon librum*, *Io. Mich. Brutus*, de quo supra: *Hermannus Figulus*, Francof. 1546. *Bernhardinus Parthenius*, Venet. 1584. 4. *Philippus Eugentinus*, *Io. Thom. Freigius* etc. In librum I. Odarum *Adr. Turnebus*, Parif. 1577. et 1586. 8. una cum animadversionibus ex eiusdem Adversariis in varia Horatii loca, notisque Mureti et Manutii in Horatium. *Pauli Franci* commentarii Horatiani praemetium in I. et II. librum Odarum, Francof. ad Viadrum 1521. 8. *Ioannes Caesarius* in Odas triginta duas libri primi, Rom. 1566. *Hugolinus Martellus* Episcopus, in Odam 2. libri IV. de Pindari laudibus, Florent. apud Iuntas 1579. 4. *Iulianus Aurelius* Lessignienfis Belga, in Odam 1. et 2. cum paraphrasi earundem, Antverp. 1541. *Blasius Bernardus* de laudibus vitae rusticae ad Horatii 2. Epodon. Florent. 1613. 4. *Aldus Manutius* de eodem argumento, Venet. et *Ioan. Weitzius*,

Weitzius, Francof. 1625. 8. *Iac. Cruquii* notae in Epodon librum excusae separatim apud Plantin. *Philippi Bebii* e Soc. Iesu commentarius in Lyrica Horatii ab obscoenitate expurgata, Colon. 1633. fol.

Carmen seculare, separatim cum aliis Odis quibusdam, velut, in iisdem ludis secularibus, distinctis temporibus dierum cum illo, quod carmen sec. vocamus, decantatis edidit sub titulo: *Partis sextae operum Horatii*, ex antiquissima recensione *Sidonii Apoll.* Carm. IX, 218. f. notisque criticis et philol. illustravit *Io. Petrus Ancherson* Hafn. 1752. 8. Simile quid in mentem venerat ante *Sanadono*. vid. *Gesnerum* in praef. ad Carm. sec. cuius iudicium de eo invento probamus.

Christoph. Augusti Heumanni quaedam in Horatium observationes, insertae Miscellaneis Lipsiensibus Pezoldi T. IV. p. 137. seq. His iunge eius Parerga. Crit. p. 138. sq. et audaces Galli cuiusdam emendationes in Horatium, in Memor. Trevoltinis a. 1715. p. 968. et in Ephemer. literar. Paris. a. 1716. pag. 515. seq. Item Observationes Misc. Dorvill. Voll. II. p. 88. seq. 381. seq. et Vol. IV. etc.

Ineditum *Zachariae Lundii* commentarium copiosum in Artem Horatii, una cum aliis viri illius docti lipsanis servat Hafniae Vir Nobilissimus Fridericus Rostgaard: In Odas quoque et Epistolas Commentarius eiusdem Lundii venit una cum aliis quibusdam illius monumentis in Bibliothecam Iohannis Moth, potentiss. Regis Daniae a Consiliis. *Io. Vlrici* commentationes in Horatium memorat Io. Frid. Gronovius Epistola ad Casp. Hofmannum a. 1633. inter Epistolas G. Richteri pag. 563. Commentarios suos ipsius *Hadrianus Iunius* IV. 6. animadversionum. Vide sis et eiusdem Iunii Epistolas pag. 3. seq. et 280.

VII. Codices MSSti Horatiani non tam insignes quidem et clari extant, quam Virgiliani; sed tamen non pauci, aut contemnendi. Codicem optimae notae commemorat Barthius Adv. XXXV, 2. Bentleius Reginensem

pag. 13. 16. etc. Leidensem 800. annorum, Cantabrigiensem 600. item alium Galei, v. et Burm. praef. ed. 1713. 12. MS. Bibl. Hanov. scripturae Longobardicae minoris, item Gottingensis recentiorem habent. Habent et Bibl. Lips. Sen. et Vinar. MSStos, quorum omnium, aliorumque excerpta Gesnerus habuit. Plures reperiet, qui volet, in Montefalconii Bibl. MSS. etc.

VIII. Horatii versiones vernaculae multarum linguarum extant. 1. *Gallice* Ars Poëtica per *Iacobum Pelleterium*, Paris. 1540. 8. et 1545. apud Vascosan. Idem Pelleterius et ipse artem Poëticam condidit ex ingenio suo, duobus libris distinctam et excusam Lugd. 1555. Satyrae, et Epistolae quaedam *Francisco Haberto* interprete Paris. 1551. 8. quinque libri Odarum versibus Gallicis redditi a *Iacobo Mandoto* ibid. 1579. *Martignaci* versio cum notis, Paris. 1596. et 1678. 2. volum. *Portaesi* (de la Porte) id. 1584. 12. Fratrum Roberti, et Antonii *Chevallerii Agnelli* (de Chevallier d'Agneaux) id. 1588. 8. Beneventani (*Bienvenu*) Paris. 1633. 8. *Michaëlis de Marolles*, id. 1652. 8. duobus vol. et 1660. Odae Horatii, versibus Gallicis, ludicris, auctore quodam Beisio, inter Comicos actores in scena Parisiensi saepius spectato, Paris 1652. 4. Lugd. Bat. 1653. Libre version des Odes et des epodes d'Horace, commencée a l'age de 80. ans, et finie en deux mois par *Pierre de Marcassus* Paris 1664. 8. Dubito an edita sit Metaphrasis Odarum Horatii Gallica, de qua non adeo praeclare sentit Bernhardus Moneta, y) qui communicanti eam secum amico, auctoris propinquo, reddidit cum hocce tetrasticho:

Il faudroit, soit dit entre nous,
A deux Divinitez offrir ces deux Horaces:
Le Latin à Venus la maîtresse des Graces,
Et le François à son epoux.

Sed edita est Metaphrasis Epistolarum et libri de arte poëtica auctore du *Mey*, Lugdunensi. Sed istae evanuerunt, nec

y) Tom. IV. Menagianorum pag. 356.

nec requiruntur. Clara autem est etiam nunc *Andreae Dacerii* z) versio Horatii sermone soluto, illa aetate elegante, hodie, iudice Voltario, rudiori, et animadversionibus doctis, quibus et sensus Poëtae, et qua occasione, quove tempore, quaeque scripserit, diligenter et copiose exponuntur, Paris. 1681. et Amstel. 1691. 12. decem voluminibus. Ceterum sensum Horatii subinde non assecutum recte a multis notatum est, et notae quoque eius reprehenduntur subinde a Iohanne Masson in vita Horatii, et a Petro Burmanno ad Petron. p. 605. 614. etc. Massono respondit Dacerius in libro cui titulus: nouveaux eclaircissemens sur les oeuvres d'Horace Paris. 1708. 12. Dacerio Massonus, Hist. Critique de la Rep. des lettres T. 2. p. 167. seq. Sub idem etiam tempus Horatium suum Dacerius curavit recudi, Paris. decem Voluminibus, qua nova editione et interpretationis suae Gallicae loca non pauca emendavit, et animadversiones auxit correxitque. Denique Horatius cum duplici versione, *Dacerii* et *Sanadonis*, notisque utriusque integris nitide atque emendate in lucem datus est Amst. 1735. 12. 10. Vol. Editorum iudicio p. XV. praef. *Mr. Dacier exact et laborieux, ne veut pas que l'on perde une seule parole d'Horace: le P. Sanadon vif et delicat, en cherche et en saisit avec grace les plus grandes beautés. Le premier s'applique a lui donner par tout de bon sens: et le second s'occupe à la faire parler en homme d'esprit. L'un le traduit fidelement, et l'autre le fait avec noblesse et avec elevation. Enfin celui là, simplement traducteur, se borne à le faire entendre d'une maniere qui ne choque pas les oreilles Françoises: et celui-ci Poëte lui-même, a voulu faire admirer en France, ce que Rome admira dans le siecle d'Auguste.* Sanadoniis versio ante edita est Paris. 1728. 4. hic correcta ab ipso. v. praef. citatam. Satyras, Epistolas, artemque Poëticam ad exemplum editionis latinae Ios.

 Iuven-

z) Haec editio omnium optima esset iudice Io. Clerico part. I. Artis Criticae p. 81. si notae latinae abessent, firmarenturque veterum testimoniis plurima, quae sine argumentis proferuntur: et inutilia circumciderentur.

Iuvencii rescissis locis, quae pudori obesse videbantur, Gallica prosa scite etiam expressisse putatur *Tarteronus* S. I. Paris. 1685. 12. Odarum enim versionem dignam prosariam dari posse vix ac ne vix quidem tunc sibi persuaserat. Interiecto tempore tamen manum admovit operi, atque Odas quoque et Epodon librum vertit, ediditque anno 1705. Epistola secunda, Tarteronus Odis in editione secunda emendatiore Odarum (satyrarum quinta) Paris. anno 1709. praemissa et Costeo haud visa, interpretationem locis quibusdam corrigit. Hinc Amstelodami a. 1710. 12. Horatius latine excusus est posita e regione Tarteroni versione, substratisque passim eruditis *Petri Costei* ad versionem animadversionibus, de quibus Epistola Tarteroni inserta est Ephemeridibus literariis Parisiensibus a. 1711. pag. 145. Denique a. 1713. 12. Parisiis Tarteronus paraphrasin Horatii novo a se recensitam studio, et singulis fere paginis emendatam publicavit. Confer easdem Ephemerides an. 1713. Nevemb. p. 504. Odas et Epodon librum *Bellegarde*, quae interpretatio et ipsa male ad Tarteronum refertur in edit. Paris. a. 1704. Ars Poëtica Gallice versa est a *Brueso* a. 1684. eademque et lib. 1. Sat. 4. et 10. atque Epist. 1. libri 2. una cum selectis Poëtarum locis Gallico reddita carmine a Praepetito *de Grammont* Eloquentiae Professore Paris. 1711. 12. cum notis et diss. de scriptoribus antiquis et recentibus et de Gallica poësi. Odae versibus Gallicis ab Abbate *Pellegrin* expressae felici vena et elegante, additis notis et dissertatione de Horatii poësi, aliisque auctoribus poëmatibus. Paris. 1715. 8. Sed Odarum clarissima versio est *P. Sanadonis*, de qua supra de edd. Horatii diximus.

Italice prodiit Horatius cum commentario *Io. Fabrini*, Venet. 1573. 1584. 4. laudaturque a Rich. Simone T. 1. Bibl. selectae Gallice editae p. 345. Odae et Epodon liber ex paraphrasi *Friderici Nomi*, Florent. 1672. 1675. 12. Ars Poëtica, praeter *Ludovici Dulcis* et *Antonii Mariae Salvini* metaphrases, versibus Italicis reddita a *Iulio Caesari*

sare Grazzini, Academiae Intrepidorum, quae Ferrariae est, a secretis Ferrar. 1698. 4. et a *Pandulpho Spannochii*, Senae 1715. 8 Prosa et versibus solutis, cum notis Criticis a *Sertorio Quatrimani* Neapolitano, Neap. 1714. 8.

Hispanice, *Villeno de Bidma* interprete, Granat. 1599. f. *Vrbano Campo*, Legione 1682. 8. Vertit etiam Horatium in Hispanicam linguam *Matthaeus Alemannus*, Philippi II. a secretis, edita vita Gusmanni Alsaravii notissimus.

Anglice Odas versibus reddiderunt *Thom. Haukinus* et *H. Riderus*, Lond. 1635. 1638. 8. Artem Poëticam carmine reddidit *Benjamin Iohnson*, et prosa, *Roscommonius* Comes, Lond. 1695. 8. Odae et satyrae quaedam Anglico carmine a viris illustribus redditae, *Rocestrio*, *Rosocommonio*, *Couleo*, *Otwaeo*, *Congrevio*, *Priore*, *Maynwaringo* et aliis: ars item Poëtica a *Rosocommonio* Lond. 1715. Satyrae et Epistolae prosa Anglica redditae una cum Arte Poëtica, auctore *S. Dunstero* a) Lond. 1712. 8. latinis e regione positis, obscoenisque rescissis: secunda editio. Odarum, Epodon et carminis saecularis versionem Anglicam memoravi supra. *Oldhamum* quoque interpretibus Horatii Anglicis accensent Acta Eruditor. a. 1713. p. 369.

Graece pari tum numero carminum, tum metro Horatii Odas reddidit *Ioannes Benedictus*, ob quam Metaphrasin, sed, quod sciam, ἀνέκδοτον, ab If. Casaubono commendatus Philippo Mornaeo du Plessis, Cathedram Salmuriensem obtinuit, ut refert Thom. Bartholinus pag. 135. libri de Medicis Poëtis.

Belgice prodiit Horatius, latinis e regione positis, interprete *Io. van Vondel* Amst. 1654. 12. Artem Poëticam Versibus reddidit *Adrianus Pels*, Amst. 1677. 8. et tertium Amst. 1705.

Germanice Iacobus Rhodius Poëseos Prof. in Academia Basil. (a. 1703. denatus) 1671. 8. *Germanica* Metaphrasis

a) Acta Erud. 1713. p. 369.

phrasis lib. I. Odarum Artisque Poeticae, auctore *Andrea Henrico Buchholtzio*, Rintel. 1639. 8. Odarum vero omnium *Gothelf Flaminio Weidnero* interprete, Lipſ. 1690. 8. quam et nunc ut terſam atque efficacem laudant. Quatuor quoque Odarum libros carmine Germanico pridem tranſtulit *Iohannes Bohemus*, Scholae Dreſdenſis Rector a. 1656. 8. *Antonii Guerneri Cunonis* Metaphraſis lucem an viderit dubito. Ars poëtica Germanico carmine, a *M. Carolo Henr. Langio*, Lubecae 1730. 8. et *Gotſchedio*.

Denique in *Ruſſorum* idioma Horatium convertiſſe ac typis mandaſſe traditur *Elias Kopyewitz* in Memoriis liter. Trevoltinis a. 1711. p. 1658.

IX. Scripta varia Horatium illuſtrantia haec fere ſunt. *Thom. Treteri* Poſnanenſis index omnium vocabulorum in Horatio, prodiit Antverp. 1576. 8. et Francof. 1600. 8. cum Romae in adornando Horatiano indice adiuverat Polonum Polonus Stanislaus Drozinius in aedibus Hoſii R. E. Cardinalis. Ille index ad paginas eſt editionis Lugd. 1576. adornatus. *Ioannis Petri Tanii*, Romani, Soc. Ieſ. Index in Horatium et Boëthium, Mediolan. 1610. 8. *Dan. Avemanni* Brunopolitani Hodegeta Horatianus, non ad paginas ſingularis cuiuſdam editionis, ut Treteri, ſed ad libros et verſiculos, atque adeo quaſcunque Horatii editiones accommodatum omnium vocabulorum *Indicem* exhibet, Brunſv. 1667. 8. Ex utroque compoſitus eſt in ed. Bentleiana Horatii, ut ſupra notatum eſt. *Iodoci Deſmarez* Horatius in uſu, ſive Horatianae Phraſeos puritas, copia, elegantia, Colon. 1648. 12. *Andreae Crameri* praxis Horatiana laudatur a Chriſtiano Daumio in Epiſt. ad Graeſium Rectorem Scholae Altenburg. *Io. Baptiſtae Maſculi* Lyrica ſive Odae cum argumentis odarum, et ideis Horatianis, Duaci 1635. 12. In locos communes Horatium, utili poëſeos ſtudioſis conſilio, digeſſit *Ioſephus Langius*, Lugd. 1604. 12. uti Virgilium Mich. Coiſſardus e Soc. Ieſu, Pariſ. 1683. 12. Emblemata Horatiana cum elegantiſſimis iconibus aere deſcriptis edidit Otto Vaenius

Vaenius pictor ab a. 1610. frequenter recusa, nec Latino modo, sed Gallice quoque et Germanice edita, nec non Belgice et Hispanice, ac denique Italice, interprete Petro de Benedictis, Ligure. Cum *Pindaro* Horatium contulit *Franciscus Blondellus* singulari dissertatione vulgata Gallice, Paris. 1673. 12. atque inde Amstelodami, docetque Horatium magis usum iudicio, Pindarum Enthusiasmo poëtico plus indulsisse. Vide etiam, si placet, egregii Poëtae *de la Motte*, dissertationem eodem idiomate editam de ratione et virtutibus Odarum.

Parodias Horatianas ediderunt Casp. Cunradus, Io. Otto Mariana, Melch. Adamus, H. Meibomius, Thom. Sagittarius, et novissime Ioachimus Henningius. E veteribus huc spectat aliquo modo *Metellus* Tegerseensis Monachus in Bavaria, qui circa a. C. 1160. metris Horatianis scripsit Quirinalia in laudem S. Quirini martyris, Episcopi Laureacensis, edita ab Henrico Canisio append. T. I. lect. antiqu. T. III. edit. Basn. Laudat hunc scriptorem, pro saeculi, quo vixit, barbarie, non inelegantem, et Odas nonnullas ex eo refert Petrus Taffinus de anno Saeculari part. I. cap. VIII. et part. II. cap. ult. *Parodias* Horatianas praeterea vulgarunt *Io. Morellus*, Musei Rhemensis Parisini Gymnasiarcha, Paris. 1608. 8. *Iustinus Bertuchius*, Gymnasii Portensis Rector, et *Dav. Hoppius* Scholae Regiomontanae Prorector, Brunsv. 1690. 8. In *Io. Iac. Hofmanni* Poëmatibus, excusis Basileae 1684. 12. liber primus integer Proteum Horatianum complectitur, sive Odas Horatii selectas, quas exhibet redditas vario carminis genere, Alcaico, Anacreontico, anapaestico, Asclepiadeo, choriambico, elegiaco, epico, iambico, Phalaecio, Sapphico. Paraphrasin heroicam aliquot odarum Horatii habes etiam in poëmatis praeclaris *Iacobi Wallii* S. I. Antverp. 1656. 8. P. *Aloysii Hardevyst* S. I. Paraphrasis heroica odarum XXIV. libri primi Horatii Antverp. 1711. 8. Omitto Caroli Ruaei, aliorumque similes venae poëticae exercita-

 tiones.

tiones. Italice *Laurentii Matthaei*, Reatini, Metamorfosi lirica d'Oratio trasportato et moralizato in tutte le sue Odi et Epodi, con discorso proemiale di quanto sia difficultosa et altretanto profitevole l'imitation Oratiana à Rieti, 1679.

Metrorum Horatianorum rationem explicarunt, ex antiquis Diomedes III. artis Grammat. pag. 517-528, e recentioribus Nic. Perottus et Aldus Manutius, quos iam supra memoravi, tum Franciscus Patricius, cuius liber scriptus fuit in Bibl. Heinsiana, ut Dan. Bambergium aliosque omittam.

Horatium a Iul. Caesaris Scaligeri censuris defendit Bernhardus Parthenius Spielebergius in commentario ad Odas. Novo Censori Anglico Horatii, qui dissertationes suas Poëtae illi parum aequas, quae vocat scrutinia, opposuit, respondit alius, nescio quis, eodem idiomate, an answer to the scrutiny etc. Lond. 1708. 8. Vide Ephemerides Paris. anni 1709. mense Febr. pag. 256. seq. Consulenda etiam Poëtae Galli insignis, Mottii (de la Motte) dissertatio Odis ipsius praemissa de Poësi Lyrica, Paris. 1709. 12. et quam laudabam supra, exercitatio Ioan. Guilelmi Bergeri, Professoris Vitebergensis de Philosophia Horatii, a. 1704. edita, qua Eclecticum eum fuisse, et ab quorumcunque Philosophorum disciplina, quae ipsi probarentur, cum iudicio delibasse disputat.



CAPVT

CAPVT XIV.

DE
CORNELIO GALLO, ALBIO TIBVLLO, ET SEXTO AVRELIO PROPERTIO.

I. *Cornelii Galli nomen et aetas.* II. *Sex elegiae Maximiani falso illi tributae.* III. *Alia sub eius edita nomine.* IV. *Scripta deperdita.* V. *Ciris Virgilii a quibusdam relata ad hunc Gallum veluti auctorem.* VI. *De Tibullo.* VII. *Eius editiones.* VIII. *De Propertio.* IX. *Eius editiones.*

I. CORNELIVS GALLVS Forojuliensis, Orator et Poëta clarissimus, cui Virgilius Eclogam X. et Parthenius Graecus scriptor Erotica sua inscripsit, a Strabone Lib. XVI. p. 780. vocatur *Aelius Gallus*, ad quem locum vir summus Is. Casaubonus: *Hic est Gallus ille Poëta egregius, qui Euphorionem latinis versibus expresserat, Virgilio apprime charus, ut testatur ecloga postrema, et ibi Servius. Fuit et Augusto aliquando carissimus, a quo primus omnium constitutus est* ὕπαρχος Αἰγύπτου, *qui vocatur praefectus Augustalis, eiusdemque iussu suscepit expeditionem, quae hic a Strabone describitur. Postea in odium Augusti ita venit, ut coactus sit ipse suis manibus se interficere,* a) *ut testantur Eusebius in Chron. et Suetonius ac Dio, qui modo eum Gallum Cornelium appellat, ut Suetonius Cornelium Gallum, modo Aelium Gallum,* b) *ut Strabo et Iosephus. Eusebio dicitur Cajus Cornelius Gallus, aliis, ut Eutropio,*

 Cnejus

a) Hoc factum est anno V. C. 728. ante C. N. 26. Vide Dionem. lib. LIII. p. 512.

b) Aelium Gallum a Cornelio manifeste apud Strabonem XVII. et Dionem. LIII. distingui, notavit Io. Otto Menckenius p. 211. et 215. Bibl. virorum militia et scriptis illustrium qui de hoc scriptore videndus.

Caejus Cornelius Gallus. Historiam huius expeditionis refert Dio libro LIII. Alia de hoc Gallo lectorem docebit doctissimus et humanissimus vir Iustus Fontanini in libro de Scriptoribus Foroiul. et Hist. liter. Aquileg. L. I.

II. Praesenti quidem loco memorandus nobis venit Gallus iste propter *Elegias VI.* sub eius nomine editas, et in quibusdam Catulli, Tibulli ac Propertii editionibus, et in poëmatis veteribus a P. Pithoeo collectis, atque inter Catalecta Ovidii a Goldasto vulgata obvias, sed in quibus nihil observarunt viri docti antiquo illo Poëta illustri dignum. *Miratus sum quorundam impudentiam*, inquit Gyraldus, *ne dicam amentiam, qui tralatitios quosdam et ementitos versus sub Galli Poëtae nomine ediderunt, cum in iis neque phrasis nec tempus Gallo conveniant, qui tertio et quadragesimo aetatis suae anno sua sibimet manu mortem sibi accersit, in iis autem se senem describit. Sed nec in plerisque versibus purus et sincerus est sermo latinus, quin et syllabarum morae et tempora, metri leges nonnunquam excedunt.* Maximiani c) *vero nugatoris cuiusdam et nebulonis potius eorum versus plurimi sunt. Et si hoc avetis nosse, et vetustioribus adhuc quibusdam exemplaribus d) est videre, in quibus Maximiani ipsius nomen legitur, illius inquam Maximiani, cuius et insignis Grammaticae nugator Alexander nugas irridet: quod nomen in editis, et excusis nuper libellis per fraudem est praetermissum.* Add. Fontanin. l. c. c. 3.

III. Addit Gyraldus: *Vnam vero vel alteram elegiam ipsius Galli esse non abnuerim.* Quibus verbis respexit forte ad Elegiam a prioribus diversam, quam sub Galli nomine cum tribus Epigrammatibus separatim deinde

c) Cornelium Maximianum Gallum Etruscum intellige, qui sub Anastasio Imp. floruit, et cuius nomine saepius deinde editae sunt hae sex Elegiae. Eius carmina super senectute, regulam metricam, carmen de virtute et invidia, ira et patientia atque avaritia memorat Labbeus Bibl. nova MS. pag. 63.

d) Librum MStum eiusmodi memorat etiam Aldus, et Vossius p. 25. de Poëtis latinis. Adde plurium virorum doctorum testimonia apud Bailletum iudic. de Poëtis parte 2. pag. 126.

de Florentiae vulgavit Aldus Manutius Pauli F. cuius hoc est initium:

Non fuit Arsacidum tanti expugnare Seleucen,
Italaque ultori signa referri Iovi.

Sed et hanc elegiam Gallo abiudicant P. Pithoeus, et alii viri docti, quemadmodum et carmen lyricum, quod incipit: *Lydia bella puella candida;* et decastichon ad Augustum de morte Virgilii, cuius hic primus est versus: *Temporibus laetis tristamur maxime Caesar.* Omnia haec leguntur in collectionibus P. Pithoei et Goldasti, et in editionibus quibusdam Catulli, Tibulli, Propertii, ut illa, quam Simon Abbes Gabbema adornavit.

IV. Allegatur Gallus a Vibio Sequestre libello de fluminibus p 333. *Hypanis Scythiae, qui ut ait Gallus,*

Vno tellures dividit amne duas.

Asiam enim ab Europa separat. Fugiebat hic locus elegantissimum Brouckhusium, cum in praeclaris illis suis ad Propertium notis p. 209. scriberet, ne unum quidem Galli fragmentum exstare hodie apud Grammaticum ullum, Ita enim ille ad haec Propertii II. 25. v. 91.

Et modo formosa qui multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lavit aqua.

Ex Euphorione Chalcidio expressa notat eruditissimus Schottus lib. 2. Observ. human. c. 26. cuius Poëtae scripta interciderunt, quamvis eum latinum e) fecisset hic ipse Gallus, qui nec in suis quidem carminibus mitiorem habuit sortem. Adeo enim funditus perierunt omnes viri eximii lucubrationes, (nam praeter Euphorionem Latio donatum quatuor Amorum libros laudat Servius ad Eclog. 10.) ut ne unum quidem inde fragmentum exstet hodie

e) Servius in Eclog. VI. *Hoc autem Euphorionis continent carmina, quae Gallus transtulit in sermonem latinum.* Et in Eclog. X. *Hic est Caius Asinius Gallus Orator, Asinii Pollionis filius, qui ante omnes primus Aegypti praefectus fuit, eximius poëta: nam et Euphorionem, ut supra diximus, transtulit in latinum sermonem, et amorum suorum de Cytheride libros scripsit quatuor.* Probus Grammaticus: *Euphorion elegiarum scriptor Chalcidensis fuit, cuius in scribendo colorem secutus videtur Cornelius Gallus.*

hodie apud Grammaticorum ullum. Quod valde mirum videri potest, quum in magno pretio fuerit, etiam post mortem. Nam ne famae eius obfuisse putes indignationem Augusti, satis superque evincunt luculenta testimonia magnorum hominum, qui cum Augusto vixerunt. Itaque nihil nobis restat de Cornelio Gallo praeter solam memoriam. Nam libellus ille, qui vulgo sub eius nomine circumfertur, auctorem habet nescio quem Maximianum, scriptorem barbarum, lutulentum, ac tantum non stercoreum. Primus fucum studiosis hominibus facere ausus est sub nomine tam bono Pomponius Gauricus, et successit ei mangonium, quamquam contra starent viri eruditissimi, applaudentibus insiceti vulgi suffragiis. Verum quum lucem claram ferre non posset foetus hic nocturnus, prodiit paulo post alia elegia auctorem ementita Asinium Gallum, cuius hoc est initium: Non fuit Arsacidum etc. *Edita autem fuit Florentiae ab Aldo Manutio P. F. De ea quid senserit iam tum Iosephus Scaliger, notum est, et plus quam verum. Quid igitur sibi voluit homo multi nominis Renatus Rapinus, qui post composita nescio quam feliciter tot paria summorum ex antiquitate virorum, praeferre ausus est Cornelium Gallum (in elegia ne erres) Catullo ac Maecenati? Ecce eius verba:* Il nous est resté quelques Elegies de Catulle, de Mecenas, de Cornelius Gallus, qui sont d'une grande pureté, et d'une grande delicatesse: mais le vers de Catulle et de Mecenas est d'une trop grande molesse, et d'une negligence trop affectée: celui de Cornelius Gallus est plus rond, et il soutient mieux. *O iudicium! et tamen haec qui libenter legunt, multum sibi proficere videntur.* Quintilianus lib. I. Instit. Or. c. 5. *In Oratione Labieni, sive illa Cornelii Galli est, in Pollionem, casnar, assectator, e Gallica ductum est.* Servius ad Eclog. X. testatur, Virgilium multos versus de *Galli* translatos carminibus Eclogae illi inseruisse. Donatus vero in Virgilii vita, cum *Euphorionem* a Gallo redditum latino carmine,

et

et *libros quatuor amorum de Cytheride* (quae ipsi Lycoris *f*) scriptos ab eo narrasset, subiungit, eum valde dilectum a Virgilio, ut liber quartus Georgicon, a medio usque ad finem, laudes eius continuerit: sed illo apud Augustum postea adducto in suspicionem coniurationis *g*) et occiso, Virgilius, iubente Caesare, Galli laudes in Aristaei fabulam commutavit. Galli *commentarios de expeditione Arabica* memorat Plinius VI. 28. Hist. *Cornelianam chartam* a Cornelio Gallo, Aegypti praefecto, primum confectam tradit Isidorus VI. 19. Originum. In versibus, Propertio Ovidioque duriorem iam olim iudicavit Quintilianus X. cap. 1. Dionysius Nestor in dictionario edito Argentorati a. 1507. fol. 113. hoc Galli citat: *Praxitelis manibus vivo iterum Niobe*, cum quo Bernardus Moneta confert hoc Epigramma Graecum Antholog. IV, 9.

Ἐκ ζωῆς με Θεοὶ τεῦξαν λίθον, ἐκ δὲ λίθοιο
Ζωὴν Πραξιτέλης ἔμπαλιν ἐργάσατο.

Ibidem c. 8. exstat epigramma Galli graecum in Tantalum, sed alius a nostro Galli, quem in Anthologia inedita video *Iustum Gallum* appellari. Laudantur et Galli quaedam a vetere interprete, qui commentarium in Ovidii Ibin scripsit, a Boessio editum. Sed nescio quid illi Grammatico venerit in mentem, ut tot versiculos ineptos sub clarissimis nominibus, non Galli modo, sed Lucretii, Tibulli, Propertii, aliorumque, sive comminisceretur ipse, sive a nescio quo effictos, commentariis suis insereret. Elegiam, quae incipit, *Non fuit Arsacidum* etc. Gallo esse suppositam contendit etiam Barthius ad Statium T. 1. p. 449. Eam a. 1590. primum, duodequadragesimo post Gyraldi mortem, Aldus nepos publicavit. Illum, ad quem Galli Elegiae VI. tanquam auctorem referri solent, Ianus Brouckhusius p. 29. ad Tibullum vocat *Longinum Maxi-*

f) Ovidius lib. 1. amor. elegia 15.
Gallus et Hesperiis, et Gallus notus Eois,
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

g) Confer Io. Conradum Dietericum in vita Augusti Imp. p. 125. Petrum Crinitum de Poëtis latinis cap. 48.

Maximianum, malorum temporum haud omnino pessimum nugatorem. Primus eius meminit Alexander de Villa Dei, in Grammatica versibus scripta leoninis: *iamque legent pueri pro nugis Maximiani.* Plura de hoc Maximiano, Daumius ad Reinesium Epist. 80. Barthius ad Claudianum pag. 1053. et ad Statium silv. 1. 2. 3. 4. et praecipue Bernardus Moneta observationibus, et Menagianis T. 3. p. 242. seq. et Polycarpus Lyserus in historia Poëtarum medii aevi. Elegiae sex sub Galli nomine primum editae sunt a Pomponio Gaurico Venet. 1501. 4. inde Argentorati 1509. 4. cum Georgii Tiphernatis et aliorum carminibus, et Paris. 1523. 4. Aliam editionem Parisiensem in 4. sine anni nota, memorat Bernardus Moneta Tom. 3. Menag. pag. 245. Franciscus a Cruce Cenomana pag. 216. Bibl. Gallicae: *Jean de Chevigny, natif de Beaune en Bourgogne, Poëte Latin et François, a traduit de Latin en François la Vie de Cornelius Gallus, excellent Poëte latin, la quelle n'est encore en lumiere.*

V. Cirin Virgilianam ad Cornelium Gallum veluti auctorem referre non dubitat Barthius ad Statii 2. Thebaid. p. 527. levi coniectura ductus, quam ipse rectius ad Maronem retulerat: sed idem defendit Fontaninus l. c. c. 2. §. 5. s. Vide, si placet, quae notavi de hoc poëmate supra c. XII. §. 8.

VI. ALBIVS TIBVLLVS h) Eques Romanus mirae suavitatis tersaeque elegantiae Poëta, qui triginta minimum annis Ovidium aetate antecessit, non multo post Virgilium tempore ereptus e vivis. Si Ioannem Massonum V. C. in Ovidii vita p. 83. seq. audimus, a. V. C. 735. cum Ovidius vix 24. annos natus esset. De vita Tibulli et Messalae, lucubratio Christophori Friderici Ayrmanni prodiit Vitebergae 1719. 8. Horatii, a quo saepius laudatus fuerat, in iis quidem, quae exstant, nusquam facit Tibullus

h) Huic inscripsit Horatius lib. I. Odam 33. et libri I. Epist. 4. De aetate Tibulli consulendus Ianus Dousa in schediasmate succidaneo ad Tibullum, quod suae editioni subiunxit Clariss. Broukhusius.

nullam mentionem, *temporum opinor iniuria*, inquit cultissimus Tibulli interpres Brouckhusius p. 242. *non negligentia aut tepore amoris Albiani.* *Epistolas amatorias* prosa a Tibullo scriptas, idem vir doctissimus sibi persuadebat, licet non Poëtis etiam, et iis quibus negavit natura, amor versiculos dictare soleat. Et versiculis magis duci Glyceram suam vel Neaeram sperabat Tibullus:

Ad Dominam faciles aditus per carmina quaero,
Ite procul, Musae, si nihil ista valent.

Idem Brouckhusius non dubitat III, 5, 17. *Natale nostrum primum videre parentes*, pentametri loco, qui in veteribus libris excidit, librarios laciniosum Codicem vendere desperantes male ingessisse, supplevisseque alienum huncce ex Ovidio: *Quum cecidit fato Consul uterque pari.*

Exstant eius *Elegiarum libri IV.* in quibus *Panegyricus ad Messalam*, qui est in limine libri ultimi, Heroico carmine decurrit. Librum quartum, excepto iam dicto in Messalam Panegyrico, Barthius LIX, 16. suspicatur esse non Tibulli, sed *Sulpiciae*, eiusque mariti *Caleni*. Sulpiciae etiam tribuit doctissimus Brouckhusius. Verum nulla ex parte tribui debere *Sulpiciae*, probat *Io. Antonius Vulpius*, qui Catullum, Tibullum et Propertium insigniter illustratos edidit Venet. 1710. 4. pag. 306. seq. Amores Deliae suae (sive Planiae libertinae) vel Nemesis, vel Neaerae denique, ubique spirat hic poëta, unde Antonius Possevinus ad eius lectionem accessurus flexis genibus orabat Deum, ne suavitate versuum ipsius ad libidinem moveretur, ut refert Menagius in Anti-Bailleto Tom. 2. p. 333. Charisius e Tibullo duobus locis affert hemistichion: *implicuitque femur femini*, quod in elegiis, quas habemus, non legitur, etsi simile quid I, 9, 26. occurrit. Forte exstitit in Epistolis eius brevibus amatoriis, quas auctor vitae eius commemorat. Ratione modulationis in Carmine, quam rudem adhuc duramque Graecorum magis quodammodo quam dulcem Ovidii in Tibullo et Propertio licet observare, Tibullus tamen inter Ovidium ac

Proper-

Propertium medius i) a viris doctis ponitur. Elegiacum vero carmen, quod tristibus argumentis dicat vulgaris sententia, Blaneus k) querulo potissimum amori fuisse proprium Tibulli etiam exemplis docuit. De propria Tibullo structura pentametri, v. Brouckhus. p. 280.

VII. Saepissime Tibullus una cum Catullo ac Propertio editus, primum 1472. et a variis hominibus eruditis illustratus est, uti supra c. V. diximus. Est vero editus etiam aliquoties separatim: ut primum Romae 1475. 4. cum Bernardini Veronensis, vulgo Cyllenii, Commentario, quae editio est in Bibl. Dresdensi Electorali. v. Cl. Heynii praef. ad Tib. p. 44. Venet. 1481. f. Cum comm. Achillis Statii Venet. 1567. 8. ap. Manutium. Perquam emendate et nitide, cum commentario *Ian. Brouckhusii*, paulo post defuncti, Poëtae non minus quam Critici et interpretis Poëtarum felicissimi Amstelod. apud H. Wetsten. 1707. 4. ex pluribus Codd. MSS. castigatus, additis praeter variar. lect. libellum notis Nic. Heinsii et indice omnium vocabulorum. Post eundem edidit cum Commentario copioso et erudito is, qui Catullum edidit *Vulpius*, Patavii 1744. 4. denique Lips. 1755. 8. *Christ. Gottl. Heyne*, nunc Prof. Goetting. Cl. edidit Tibulli Carmina, textum quidem secundum Vulpii recensionem, additis notis brevibus, sed eruditis et utilibus. In praefatione diligenter MSS. et edd. enarrantur. De MSS. bene monet, omnes recentes esse, non antiquiores Sec. XIV. si Excerpta Scaligeri cum fragmento Cuiaciano excipiamus, atque etiam omnes ex uno exemplo ductos videri.

Petri Francisci Toccoli annotationes in Tibullum, quarum spem facit Federicus Cerutus praefat. commentarii in M. Aemilii Lepidi Cos. Orationem ex Sallustio petitam, et *Georgii Frid. Thryllitii* in Catullum, Tibullum, Propertium, de quibus in Diario Lipsiensi (Newen Bucher Saal

i) Mem. de Trevoux 1730. p. 260.
k) Mr. le Blanc discours sur l'Elegie Paris 1731. 8. avec les elegies de l'auteur.

Saal LVIII. p. 737.) non viderunt lucem. In Obſ. Miſc. Dorv. T. II, p. 239-249. ſunt emendationes quaedam Carm. Tibulli. Tibullus Anglice verſus a Creechio memoratur in Diario Londinenſi, compleat library, a. 1694. p. 43. Les amours de Tibulle, par Mr. de la Chapelle, Paris 1713. 12. et Amſt. 1616. 12. tribus Voluminibus. v. Journal des Savans 1713. Mars p. 269. et Octobr. p. 443.

VIII. SEXTVS AVRELIVS PROPERTIVS *l*) Vmber, non minorem laudem ſcriptis elegis apud Latinos conſecutus, quam apud Graecos Callimachus, Couſque Philetas, quos aemulatum eſſe ſe ipſe praedicat; uti Propertium, a quo genus ducebat, Paſſienus Paulus, cuius elegos (ſed pridem deperditos,) opus terſum, molle, iucundum, et plane in Propertii domo ſcriptum laudat Plinius Epiſt. VI, 15. et IX, 22. Floruit poſt Tibullum, eodem, quo Ovidius, tempore, ante Ovidium ſodalem ſuum defunctus, ut hic teſtatur Triſt. IV, 10.

Succeſſor fuit hic (Tibullus) *tibi, Galle: Propertius illi.*

Quartus ab his ſerie temporis ipſe fui.

Exſtant

l) *Sextus Propertius* quidam occurrit ap. Cicer. pro Dom. cap. 19. In MSS. Beroaldus, et poſt eum alii, offenderunt Propertii nomini additum alterum cognomen *Nautae*, pro quo *Nattae* malit Lipſius Lib. III. Var. Lect. c. 23. Sed uti Martialis *coquus*, Plautus *Aſinius* quibusdam librariis audit, (v. Barthii lib. VI. c. 1. Adverſar.) ita etiam Propertius *nauta* dictus eſt ex male lecto verſu 24. Elegiae 19. lib. II. *quamvis navita dives eras*, pro quo, Scaliger et ante eum Beroaldus, et apud Alexandrum Alexandrinum lib. 2. dier. genial. c. 1. Sannazarius docuere, legendum: *non ita dives eras.* Vmbrum ſe teſtatur ipſe Propertius IV, 64. *Vmbria Romani patria Callimachi.* Fallitur enim Blondus, qui de alio quodam loqui exiſtimavit. v. Broukh. At num Mevania, an vero Aſſiſium, vel Amelia Propertium protulerit, de eo vide Scaligerum ad IV. 1. Thaddaei Donnolae ICti Hiſpellatis divinationem editam Fulginiae 1629. 4. Rufini Bini Aſſiſiatis diſſertatio, qua Propertium Aſſiſiatem fuiſſe adverſus Menavanates diſputavit, memoratur a Labbeo Bibl. nov. MSS. p. 68. Felix Ciattus Peruſinum faciebat. v. Auguſtinus in Athenaeo Auguſto, ſive Peruſino p. 100. A. 1722. repertum traditur Propertii ſepulchrum apud Hiſpellates; vide Mem. de Trevoux a. 1723. p. 840. ſeq.

Exstant Propertii *libri* m) *IV. Elegiarum*, lascivi passim, quibus n) caelebs ipse Cynthiae, sive Hostiae nuptae, blanditur, ceterum Tibullianis non concedentes lepore et elegantia, eruditione vero illos etiam antevertentes: unde et *doctus* appellatus est.

Amicam illam Propertii male *Hostilam* pro *Hostia* appellat Passeratius, ut notatum Bentleio p. 73. ad Horatium: ubi notat Poëtas nomina amasiarum suarum eodem numero eademque quantitate litterarum permutasse: ut Horatius pro Terentia dixit Licymniam, Catullus pro Clodia Lesbiam, Ticidas pro Metella Perillam, Tibullus pro Plania Deliam, sic Propertius pro Hostia Cynthiam, Gallus pro Lycoride Cytheridem. Ad hanc Cynthiam est Monobiblos Propertii, quam Martialis memorat, quamque cum Scaligero ac Io. Antonio Vulpio libenter de libro primo intellexerim. Itaque ad eundem respicit libro 2. eleg. XVIII, 81.

Tu loqueris, cum sis iam noto fabula libro,
Et tua sit toto Cynthia lecta foro.

Sed parum mihi videtur credibile, quod est eidem clarissimo Vulpio persuasum, quod Propertius ab Horatio perstringatur sub importuni et garruli persona lib. I. Satyra 9. *Propertium* obiisse anno aetatis Ovidii 31. ab V. C. 742. coniicit Ioannes Masson in Nasonis vita p. 99. De Propertio ac Tibullo, quos erudite inter se confert elegantissimus Muretus praefat. in Propertium, hoc exstat iudicium Vincentii Gravinae lib. 1. de ratione poëtica p. 101. *Properzio ha novità d' espressione, fantasia veramente lirica, ed è atto non meno alle cose grandi, che agli amori: ma in Tibullo per avventura è naturalezza maggiore.*

IX. Io-

m) Apud Martialem in Apophoretis Epigr. 189. Codices MSti exhibent tituli loco *Propertii Monobiblon*, quem libro primo Scaliger, Lipsius lib. I. c. 16. Var. lect. contendit competere libro quarto, ut de tribus prioribus accipiatur hoc Propertii II, 10. 25. *Sat mea sat magna est si tres sint pompa libelli, quos ego Persephonae maxima dona feram.*


n) Vid. Broukhusium ad II, 6.

IX. Iovianus Pontanus apud Alexandrum ab Alexandro lib. II. Genial. dier. cap. 2. refert, Propertii elegias se adolescentulo primum in lucem prodiisse, cum antea inscitia temporum incompertae fuissent et incognitae, opusque oblitteratum et longissimo aevo absumtum corrosis et labentibus litteris in cella vinaria sub doliis inventum apparuisse, et cum libelli vetustate verbis et nominibus absumtis longo situ et senio, quod in diuturna obscuritate latuerat, veram lectionem assequi nequirent, effectum, ut mendosi inde codices prodirent, paulatimque discuti errores et corrigi coeptos, nec tamen effici quisse, ut posteris omnino integri inoffensique darentur. Editus fuit Propertius primum a. 1472. cum Catullo et Tibullo, de qua et ceteris editionibus, quae horum Carmina iuncta habent, dictum est in cap. de Catullo, eamque sibi plurimum profuisse ait Vulpius. Itaque hoc loco tantum addemus de editionibus, quae eum separatim habent, quae sunt perpaucae. Edita igitur sunt separatim e recognitione *Guil. Canteri* in officina Plantiniana a. 1569. Novam vero et eximiam huius Poëtae editionem e MSS. emendatam diligenter, et animadversionibus eruditis atque ingeniosis illustratam dedit, qui omnes eius Veneres imbiberat, elegantissimus *Ianus Brouckhusius*, Amstel. 1702. 4. subiuncto indice omnium vocabulorum; quae novis eiusdem Brouckhusii curis 1727. 4. repetita est. Ad extremum a. 1755. *Io. Ant. Vulpius* edidit Propertium cum Passeratii et Brouckhusii notis selectis et erudito commentario suo. 4. Voll. II. simillimo iis, quos in Catullum et Tibullum dederat.

Nic. Heinsii notae in Propertium, saepe laudatae Broukhusio, lucem viderunt ad calcem Adversariorum Heinsianorum, a P. Burmanno sec. editorum p. 693. seq. Loca quaedam Propertii emendata vel illustrata in Miscellaneis observationibus Dorvill. pluribus voluminibus I. pag. 131. s. 291. s. 429. s. II. p. 98. III. in auctar. p. 433. s. V. pag. 113. s. 297. s. et T. III. p. 1. Traiectiones, quas in Pro-

pertio obſervaſſe ſibi viſus eſt Ioſephus Scaliger, nolim veras praeſtare, et ſubſcribo Salmaſii iudicio in Obſervationibus ad ius Atticum ita ſcribentis pag. 408. *Nihil mutandum eſt in ſcriptis auctorum, nec transponendum ſine magna cauſſa, praecipue ſi Veterum librorum auctoritas non ſuffragetur. Vidi multas Criticorum pares transpoſitiones in aliis auctoribus ſimiliter hariolantium, quos omnes falſos eſſe mihi conſtat, in Horatio, in Manilio, in Propertio et aliis.* Idem Salmaſius de Helleniſtica pag. 142. *Propertius totus ſcatet Helleniſmis. Praeter infinita dicendi genera ex Graeco expreſſa, non dubitavit dicere Dryaſin pro Dryadibus, Thyniaſin pro Thyniacis, Hamadryaſin pro Hamadryadibus. Nec Ovidius timuit Troaſin dicere pro Troadibus in Epiſtola quadam:* Troaſin invideo. De Pentametrorum clauſulis polyſyllabis, eorumque ratione adi Cl. P. Burmannum ſec. in praefatione erudita ad Lotichii Poëmata, ubi et p. 8. qualis commentarius in Propertium optandus ſit, diſputat, item an Propertius ſit Elegiae princeps? In ipſis ad Lotichium notis ſaepe Propertium vel emendat vel illuſtrat.

Gallica verſio Propertii proſaria auctore *Michele de Marolles* prodiit Pariſ. 1655. 8. Proxime prodiit alia, melior ſermonis ingenio, nec tamen melius exprimens ingenium orationis Propertianae.



CAPVT

CAPUT XV.

DE

OVIDIO NASONE.

I. *Ovidii aetas et vita.* II. *Scripta quae exstant.* III. *Deperdita.* IV. *Supposititia.* V. *Editiones.*

I. P. Ovidius Naso *a*) ex Ordine Equestri natus Sulmone in Pelignis a. V. C. 711. Hirtio et Pansa Coss. 13. Cal. April. Vitam suam ipse describit IV, 10. Tristium. Propter ingenium miramque versus suavissimos, elegiacos *b*) praesertim, effundendi facilitatem, de qua v. D. Heinsium de tragoed. Const. c. 13. universis gratus et acceptus, soli Imp. Augusto invisus, qui de sollicitata sub Corinnae nomine lascivis versibus Iulia sua suspectum, et alio praeterea nomine *c*) exosum, Tomos ad

 laeva

a) Ex huius Nasonis posteris fuit Nasonius Ambrosius, qui sepulchrum Nasonum in via Flaminia Romae exstrui curavit, si credimus Ioanni Petro Bellorio in descriptione eius sepulchri a Petro Sancto Bartholo delineati T. XII. thesauri Antiqu. Roman. p. 1041. M. Actorii Nasonis mentio apud Sveton. Caesare. c. 9. Axii Nasonis apud Carolum Patinum in numo p. 4. famil. Rom. Alius Q. Ovidius, ad quem Martialis X, 44. At in versione veteri Iosephi initio lib. XII. Antiqu. et apud Freculphum pro Ovidio Sabatareide legendum Cnidius Agatharchides, ut Meursio in Bibl. Graec. pag. 1200. observatum. Ovidii vita scripta a Bono Accursio fuit in Bibl. If. Vossii. Apud Capellam lib. VIII. p. 273. *Pelignus iuvenis*, intelligitur Ovidius.

b) Ovidius de se lib. I. de remedio amoris extrem.

Tantum se nobis elegi debere fatentur,
Quantum Virgilio nobile debet opus.

Poëmata illius ipso etiamnum superstite decantari solita observat Salmasius ad Solin. p. 601. Versus unus Ovidii omnium durissimus et iudice Francisco Vavassore p. 38. libri de Epigrammate vix excusandus hic est: *Vix excusari posse mihi videor.*

c) Ovidius Trist. II, 207.

Perdiderunt cum me duo crimina, carmen et error.
Alterius facti culpa silenda mihi est?

Idem alibi:

Inscia quod crimen viderunt lumina, plector.
Peccatumque oculos est habuisse meum.

Confer

laeva maris Euxini relegavit, d) a. aetatis, ut creditur, 51. in eoque decessisse anno 60. qui fuerit Christi decimus septimus. Ita quidem Iohannes Masson in vita Ovidii. Ipse de se Poëta Trist. II, 103. 104.

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi est?

Vnde incestum Iuliae cognitum Ovidio causam veram relegationis eius fuisse coniiciunt Antonius Mancinellus lib. I. serm. 14. et Lezeau in Ovidii vita. Getam ab illo exilio vocat se ipse IV, 13. e Ponto:

Carmina quae faciam paene Poëta Getes.

Et lib. I, I.

Naso Tomitanae iam non novus incola terrae etc.

Adde III, 9. Trist. Τομεντῶν, Ovidiano exilio celebris civitatis, numum exhibet Hoeschelius ad Photii Bibl. p. 962. Alios memorat Harduinus in numis Vrbium illustratis. Neque vero ex eo, quod nulli exstant Tomitani numi Augustorum honori percussi ante Traianum, recte colligas Tomitanos non paruisse Imperio Romano Augusti tempore, cum ablegatum illo ab Augusto Ovidium ipse Poëta non patiatur nos dubitare. Exilium vero ipsum indignius fert Baudius e) in farragine carminum pag. 631. quam ipse tulit Ovidius. Eo enim iudice

Nulla potest tantam feritatem obvolvere causa,
Nullus patricia fictus ab arte color.
Seu quod amare doces, summotus ab Vrbe Quirini es,
Sive quod arcanum videris horribile.

Nam

Confer Savaronem ad Sidonium Apollinar. lib. 2. Epist. 10. p. 155. et ad carmen 23. pag. 186. seq. et Baelii Lexicon in *Ovide* nota A. Ab illo exilio autem Ovidius *Geta* quandoque cognominatur a librariis.

d) Ovidius ipse edicti mentionem faciens lib. 2. Trist. 137.

Quippe relegatus, *non* exul *dicor in illo.*

Relegatis bona non fuisse adempta, sed deportatis et exulibus, notarum Nic. Antonio lib. 2. de iure exulum cap. 24. itaque et Ovidius bona sibi relicta memorat. De Tomis vide Petrum Wesselingium notis ad Antonini itinerarium p. 227.

e) Baudio iungendus Gallus scriptor M. Deslandes in libro Parisiis et Amst. 1715. 12. edito, *l'art de ne point s'ennuyer* cap. 5.

Nam quod te memorant sobolem deniervisse Tyranni,
Suspicio in mores non cadit ista tuos.
Nec reor: esto tamen, fuerit tibi Iulia cordi,
Iulia tam multis nobilitata procis, etc.
Idcircone Tomos transmitti Romula Siren
Debuit, et Latios deseruisse lares?
Nec venia dignus fuit inter probra tot, unus,
Et vates, et amans, et generosus eques? etc.

Aliud visum auctori hexastichi quod infra adscripsi:

Tu qui virgineos temerasti carmine vultus,
Deme tuis lauros serta pudica comis.
Ista decent castos Heliconia signa Poëtas,
Sarmatis herba caput cingat amara tuum.
Cedat Pegasidis Ponti mittendus ad undas,
Ingenio periit qui malus ipse suo.

Quae de calamo *f*) eius argenteo et sepulchro in Moscia reperto feruntur, ea fabulis per me lector adscribet, perinde ut quod nuper scripsit Mironius, *g*) relegatum in Ca-

 la-

f) De calamo Ovidii haec Hercules Ciofanus in Ovidii vita: *Isabella Pannoniae Regina circiter annum 1540. Ovidii calamum ex argento Taurini quae est urbs inferioris Pannoniae, ostendit Petro Angelo Bargaeo, qui hoc ipsum mihi narravit, cum hac inscriptione:* Ovidii Nasonis calamus, *qui non multo ante id tempus sub quibusdam antiquis ruinis fuerat repertus. Eum Regina ipsa plurimi faciebat, et veluti rem sacram carum habebat. De eodem calamo Caelius Calcagninus qui et ipse in Sarmatia fuit in elegia qua Scytharum mores describit* etc. Tumulum Poëtae post inventos scilicet Ciceronis de Rep. libros, de quibus supra p. 127. in media Moscia repertum narrat Isaacus Bullartus in Academia scientiarum et artium T. I. p. 87. in vita Ioannis Zamoscii, tumuloque inscriptum carmen:

Hic situs est vates, quem Divi Caesaris ira
Augusti Latia cedere iussit humo.
Saepe miser voluit patriis occumbere terris,
Sed frustra: hunc illi fata dedere locum.

Idem tetrastichon refert Sim. Starovolsius in monumentis Sarmatarum, Cracov. 1655. fol. p. 304.

g) Voyage du Levant par Mr. de Mirone a Liege 1781. 8. T. I. pag. 127. *prés du rivage de la mer noire de côté de l'Europe, on voit deux vieilles Tours presque ruinées qu'on appelle les Tours de Leandre. Quelques-uns prétendent qu'elles ont servi de prison à Ovide, quoique l'Histoire assure qu'il fut rélegue en Calabre.*

labriam. vid. Bellorii Descriptionem sepulcri Nasonum T. XII. Thes. Ant. Graev. p. 1038. Io. Antonius Campanus, Aprutinus Episcopus, libro septimo Carminum pag. 176. edit. Lips. Sulmonem Ovidii patriam ita de hoc cive suo gloriantem inducit:

Sim licet annorum tot millibus inclyta Sulmo,
Et Pelignorum gloria prima ferar,
Nil habui Ovidio maius Nasone Poëta,
Solus is immensas vel mihi praestat opes.
Aetates abeunt, labuntur regna, sed unus
Durat et in pretio est posteritatis honos.

Hercules Ciofanus, Sulmonensis, cuius exstant eruditae in Ovidium gentilem suum notae, descriptionem Sulmonis, vitae Ovidii praemisit, Aquilae 1578. 8. Confer Petrum Antonium Corsignanum de viris illustribus Marsorum cap. 2. Ovidii effigies (nisi Vedii Pollionis potius, ut ΝΑΣΩΝ legerint viri eruditi pro postremis litteris nominis ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ) in numo apud illustrem Spanhemium diss. 1. de usu numismatum p. 54. T. 1. edit. Londinens. vide et p. 719.

Primam in Ovidii nomine producit Guilelmus Brito, sed antiquiores Poëtae corripiunt, ut notatum Barthio in notis pag. 73. Ovidii filia *Perilla*, ipsa quoque a Patre edocta carmen componere, qui raras eius dotes et ingenium celebrat III, 7. Trist. Vitam Ovidii scripsere plures, sed diligentissime et secundum seriem annorum *Io. Massonus* Amst. 1708. 8. quam cum Vitis aliorum T. IV. Ovidii sui addidit P. Burmannus.

II. Exstant eius *Heroides* sive *Epistolae XXI. elegis versibus.* 1. *Penelope Vlyssi.* i) 2. *Phyllis Demophoonti.* 3. Briseis Achilli. 4. *Phaedra Hippolyto.* 5. Oe-

i) Hanc Epistolam Graeca elegia expressit Carolus Vtenhovius in calce libri I. allusionum p. 126.

5. Oenone Paridi. 6. *Hypsipile Iasoni.* 7. *Dido Aeneae.* 8. Hermione Orestae. 9. Dejanira Herculi. 10. *Ariadne Theseo.* k) 11. *Canace Macareo.* 12. Medea Iasoni. 13. Leodamia Protesilao. 14. Hypermnestra Lynceo. 15. *Sappho Phaoni.* l) 16. Paris Helenae. 17. Helena Paridi. 18. Leander Heroni. 19. Hero Leandro. 20. Acontius Cydippae. 21. Cydippe Acontio. Hoc scribendi genus m) tenerum, solers, eruditum primus invenit Ovidius, atque ut ipse ait III. artis amatoriae v. 346.

Ignotum hoc aliis ille notavit opus.

Penelopes ad Vlyssem, reliquasque, quarum titulos simili charactere exprimi curavimus, ipse agnoscit, Am. II, 18. 21. Ex ceteris quaedam forte Epistolae auctorem habent *Aulum Sabinum*, quem eodem loco Naso laudat, et sub cuius nomine tres Epistolas habemus, Ovidianis respondentes, et inter Ovidii poëmata post edition. Venet. 1485. et Parmensem 1489. saepius vulgatas, 1. *Vlyssis ad Penelopen.* n) 2. *Demophoontis ad Phyllidem.* 3. *Paridis ad Oenonen.* Non nos fugit Vossium, patrem in lib. de Poëtis latinis, eas Sabino indignas iudicare: sed malumus sententiae aliorum virorum doctorum subscribere, quibus genuinae Sabini videntur; in his Nicolai Heinsii, qui etiam notis illustravit. In duos libros divisas fuisse, tradit Auctor Vitae, quam e MS. Farnes. edidit N. Heinsius.

k) Epistolam Ariadnes Hispanice vertit illustravitque Stephanus Pietres. Madriti 1732.

l) Vide Fulvii Vrsini carmina IX. foeminarum, ubi haec elegia cum variis lect. exhibetur.

m) Imitati sunt istud Epistolarum Heroicarum genus e recentioribus multi, ut *Latine* Io. Meursius, *Germanice* Hofmannus ab Hofmannswaldau, Poëtarum nostrorum nuper Princeps. *Anglice* auctor libri, cui titulus: *Ovidius Britannicus*, or love Epistles in imitation of Ovid being an intrigue betwen two persons of quality, to which are added Phaon's answer to Sappho, and Theseus answer to Ariadne, which are wanting in Ovid's Epistles, Lond. a. 1703.

n) Hanc Epistolam e MSto, in quo sine nomine auctoris Ovidianis adiuncta erat, recenset et illustrat Eustachius Swartius Analect. I, 11.

Heroides Ovidii, quarum MS. Codex non contemnendus exstat in Bibl. Gothana, prodierunt primum Romae cum aliis poëtae 1471. fol. curante Io. Andrea Episcopo Aleriensi apud Conradum Sweinheim et Arnoldum Pannartz. Cum commentariis *Antonii Volsci*, et in Epistolam Sapphonis notis *Georgii Merulae* Alexandrini Venet. 1481. fol. additis de culice, de remedio amoris, de medicamine faciei et de nuce. Cum commentariis *Domitii Calderini* Venet. 1483. fol. ad calcem Statii. Heroides et Ibis cum commentario Volsci etc. Venet. 1487. fol. Ovidii et Sabini Epistolae Heroides Lips. 1499. 1501. 4. Cum commentariis Ant. Volsci et Domitii Calderini, curante Antonio Lucensi, Venet. 1502. fol. Lips. 1503. 4. Cum commentariis Volsci et *Vbertini Clerici* Crescentinatis, aliorumque Venet. 1543. fol. Exstant et notae *Iani Parrhasii* Romani, *Ioan. Scopae*, *Aaronis Bataki*. *Baptistae Egnatii*, *Iodoci Badii*, ne dicam illorum, qui totum Ovidium illustrarunt, ut *Gregor. Bersmanni*, *Iac. Mycilli*, *Herculis Ciofani* etc. Cum *Morilloni* scholiis et argumentis Ovidii et Sabini Epistolae prodierund Lugd. 1535. 8. Colon. 1560. 8. et Lugd. 1567. 8. additis Nizolii et Egnatii annotationibus. Exstat et editio Paris. 1536. 8. 1580. 12. et cum Io. Thomae Freigii argumentis et annotationibus, Basil. 8. Epistolae XII. cum interpretationibus Caes. Ferrarii, latine editis Rom. 1552. 4. Cum *Dan. Crispini* interpretatione et notis, in usum Delphini, recusae separatim sunt Londini 8. Cum *Francisci Dini* o) responsionibus ad Heroides Ovidii Venet. 1704. 8. Sic Didonis ad Aeneam Epistolae respondit Nic. Heinsius p. 211. poëmatum; Phaedrae ad Hippolytum Sidronius S. I. *Epistola Vlyssis ad Penelopem* praeter rem pro inedita venditatur in Catalogo Bibl. lectissimae Sarrazianae n. 1770. in quarto p. 175.

Graeca Maximi Planudae versio prosaria Heroidum Ovidii adhuc inedita memoratur ab illustri Huetio, lib. de

o) Galleria di Minerva Tom. V. p. 27. 88.

de claris interpretibus. *Gallica* Octavii Gelasii (*de Saint Gelais*) Episcopi Angolismensis, Paris. in 4. a. 1510. et minore forma a. 1541. prodiit. Magdalenam inde Albaspinam Ovidii Epistolas carmine Gallico reddidisse, testatur Crucimanius Bibl. Gallicae pag. 497. Primas decem Epistolas a. 1556. interpretatus est Carolus Fontanus Parisiensis. Paridis et Helenae, Leandri ac Heronis, Mr. de S. Ambroi et Mr. de S. Romat. Les epitres heroiques XXI. d'Ovide, traduites en vers François et quelques unes en prose par Mademoiselle *l'Heritier*, Paris 1732. 12. *les contr'epistres d'Ovide* sive Epistolae ad Ovidianas responsoriae, auctore *Michaële Amboisio*, Paris. 1541. Sed optime Heroides Ovidii et Sabini Gallicis versibus reddidit, atque erudito commentario illustravit, *Caspar Bachetus Meziriacus*, primum Burgis 1626. 8. quae versio cum commentario *p*) aliisque lucubrationibus, praeposita et Meziriaci vita, recusa Hagae Comitis 1716. 8. Video etiam laudari versionem septem Epistolarum, quam Gallicis versibus adornavit et a. 1670. edidit Franciscus Thomas Cornelius, Petri frater, et Dni. de la Mare, et praesidis pridem Carnotensis Nicolii, ineditas. Ne dicam de prosaria versione Abbatis Marollesii, qui totum Gallice vertit Ovidium, aut de singulis Epistolis, quas versibus interpretati sunt Cardinalis Perronius, Ogerius, Nic. Remonardus, Philippus Portaesius, Brosseus, Coletetus, Delingendes, Hedelinus, Bellofloris Percheronius etc. ad calcem amorum Ovidii a. 1621. Ovidii et Sabini Epistolae *Anglicis* versibus auctore W. S. *q*) qui veniam pro laude petere se profitetur, editio secunda Lond. 1636. 8. cum figuris in aes incisis. Per Franciscum Quarles Lond. 1673. 8. Alia Metaphra-

p) Acta Erud. 1716. p. 447. Nouvell. rep. lettr. p. 327. Journal des Savans 1716. Novembr. pag. 552. et Decembr. pag. 609. Hist. Critique de la Rep. des lettres Tom. 1. p. 94. Quintam Epistolam transtulit frater Casparis natu maior Guil. Bachetus.

q) Wye Saltonstall. Ovidius ipse in remediis amoris v. 157.

Eloquar invitus, teneros ne tange Poëtas,
Summovea dotes impius ipse meas.

taphrasis Anglica vidit lucem Lond. 1680. non memini, quo auctore. *Germanico* carmine reddidit *Casp. Abelius*. Exstat et *Italica* metaphrasis duplex, versibus solutis altera, altera strictiore lege rhythmorum: nec non *Hispanica*, et *Belgica* auctore r) *Io. Vondel*, Amst. 1716. 4. cum Epistolis Sabini Belgico redditis carmine a Davide Hoogstratano. *Danica Christiani Rose*, totidem versibus Danicis, additis notis summariisque, Hafniae 1704. 8. Epistolas Heroidum, Ovidii exemplo effinxere praeter eos, quos supra memoravi, *Latino* quidem carmine, Eobanus Hessus, Balduinus Cabiliavius S. I. et in sacrarum Heroidum libris Claudius Espencaeus p. 991. sq. Operum: *Gallico* Croisillius, Malvillius, aliique in Epistola Caroli Ogerii, versioni prosariae Gallicae Epistolarum Ovidii Marollesianae praemissa laudati: *Anglico* Ovidii Britannici auctor David Craufordus: *Germanico* Caspar Abelius a. 1704. et 1723. *Belgico* Ionas-Cabeliau, Roterd. 1657. P. van *Haps*, brieven van minnars en minnaaressen, Amst. 1705. 8. v. Boeksaal von Europe 1705. Tom. II. pag. 168. Leandri ac Heronis Epistolas mutuas nuper suis et clarissimi Heumanni notis illustravit Io. Henricus Kromayerus ad calcem Musaei, Halae 1720. 8.

2. *Amorum libri III.* memorati Ovidio Art. III, 343.

Deve tribus libris, titulus quos signat Amorum,
Elige, quod docili molliter ore legas.

Hinc patet falli Hermolaum Barbarum, qui illos libros laudat sub titulo *Corinnae* Ovidii: vel auctorem glossarum veterum, quas servo MSS. et Ieremiam de Montagnano, qui in Epitoma Sapientiae Venet. 1505. 4. edita vocat *Ovidium sine titulo*. Quinque primum libros Naso illius argumenti scripserat, sed duos sustulit, ut apparet ex hoc epigrammate ipsius praefixo:

Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli,
Tres sumus, hoc illi praetulit auctor opus.

Vt

r) Mem. de Trevoux 1716. pag. 357.

Vt iam nulla tibi nos sit legisse voluptas,
At levior demtis poena duobus erit.

De iisdem videtur intelligendus auctor Vitae, quam e Codice Farnesiano edidit Nic. Heinsius: *Scripsit inde Epistolas quasdam ad Tiberii filiam, sub falso nomine ac ficto Corinnae inscriptas, quae propter crimen laesae maiestatis combustae fuerunt. Inde et exsilium meruit.* Superstites caeteros iussu Alberti III. Archiducis Austriae in prosam Germanicam conversos servat Bibliotheca Caesarea Vindobonensis. Vide Lambecium lib. II. p. 985. Hos libros una cum ceteris Ovidianis illustrarunt Bartholomaeus Merula et Domitius Marius Niger, Iac. Micyllus etc. Morollesius, qui Gallica prosa vertit totum, Metamorphosi excepta, Ovidium, notisque illustravit a. 1661. memorat prosariam interpretationem Gallicam *Bellefiori Perchetonii* Paris. 1621. 8. et *Nicolii*, praesidis Carnotensis metaphrasin XVII. elegiarum ex XLIX. quibus libri tres amorum constant, carmine Gallico Paris. 1657.

3. *Artis amatoriae libri totidem*, sic enim vetustissima exemplaria inscribunt hos libros, teste Salmasio de usuris p. 280. Eos anno aetatis XLI. scripsit Ovidius, ob quos exilio damnatum ab Augusto legas apud Aurelium Victorem in vita Augusti et Freculfum VIII, 10. Chronici, atque docet ipse Ovidius Trist. III, 14, 6. *Artibus, artifici quae nocuere suo.* De iisdem intelligenda, quae mox quum scriptis suis reliquis fugam sive exilium dictum negasset, subiungit: *Tres mihi sunt nati contagia nostra secuti.* Prodierunt separatim cum Catulli Epithalamio Lips. 1492. 4. et 1500. 1503. 4. et Bartholomaei Merulae commentariis illustrati, una cum libro de remediis amoris, Venet. 1494. 1506. 1516. fol. et Lugd. 1497. 4. Mediolan. 1510. fol. etc. Eosdem Gallice vertit teste H. Stephano Octavius Gelasius, Episcopus Angolismensis, licet id commentum esse videtur Bernhardo Monetae Tom. 3. Menagianor. p. 318. De hoc Gelasio vide, si placet, Franciscum a Cruce Cenomana p. 364. et Anton. Verderium p. 928. Bibl. Gallicae

licae. The Art of Love, Artem amandi, Anglico carmine, Nasonis imitatione et castis non indignum auribus scripsit D. W. King, ICtus Oxoniensis Lond. 1714. Carmine autem Latino elegiaco Thom. Ravasinus s) Parmensis libros duos de arte amandi S. Mariam, Mutinae 1706. 4. Ab Ovidio titulum mutuatus Petrus Iacobus Martellus Bononiensis, qui carmen edidit Italicum tribus distinctum cantibus, de arte amandi Deum, l'arte de l'amar Dio.

4. *Remedia amoris liber I.* singula genere carminis elegiaco. Cum commentario Barthol. Merulae Lugdun. 1497. 4. et Guil. Ramusaei, 1526. 4. Codices quidam MSS. et antiquae editiones, ut Argentinensis, Schureriana 1520. 4. dividunt in libros duos, ita ut secundus incipiat a versu 397. Prodiit etiam separatim Lipsiae 1488. 1498. 1503. 4. apud Iacobum Thanner sive Abiegnum Herbipolensem, et cum Barthol. Merulae commentariis, additis libris amatoriae artis: et cum commentario Guil. Ramusaei, Lugd. 1526. 4. Gallico carmine reddidit Carolus Fontanus, qui circa a. C. 1550. floruit, et novissime Sanjorrius (Mr. le Chevallier de Saint Iorri) T. 1. oeuvres melées, Amst. (Paris) 1734. 12. Hispanice illustravit Didaeus Svarez de Figveroa, Madrid 1732.

5. *Metamorphoseon t) libri XV.* carmine heroico: quod opus merito praeclarissimum vocat Lactantius, in quo historia fabularis, eleganter nexis inter se partibus omnibus, expressa est; id quod in hoc opere legendo inprimis observari debet. Ipsum huic operi plurimum, et principatum operum suorum tribuisse, patet e conclusione. Vltimam illi manum auctor haud imposuit, ut ipse refert Trist. II, 555. Confer Trist. I, 6. et III, 14. Illosa se scriptos esse testatur ipse Ovidius Trist. I, 1. 117.

Sunt quoque mutatae ter quinque volumina formae.

Non

s) Memoires de Trevoux 1707. pag. 59.

t) Metamorphoseon Scriptores Graecos retuli lib. III. Bibl. Graecae c. 27. §. ult.

Non facile vero aliquis credat, quod in mentem venit ingeniosissimo Viro Roberto Hoockio, *a*) qui in operibus postumis Lond. 1705. fol. vulgatis Ovidium contendit in Metamorphosi sua sub fabulis illis describendas sibi proposuisse varii generis mutationes, quae telluri contigerunt, et systema quoddam Historiae Naturalis tradere voluisse. Non magis ad liquidum perduci poterit, quod V. C. Hermannus ab Hardt in ranis Ovidii lib. VI. Metamorph. detectis ac demonstratis Helmst. 1711. 8. vetustissimam Graecorum historiam in fabulis Nasonis latere, sibi persuasit, licet Graecos potissimum poëtas et scriptores metamorphoseon secutum in illis fuisse Nasonem non sit dubium. Graeca prosa reddidit *Maximus Planudes*, sed quae lucem non adspexit, exceptis paucis locis, quae ex ea produxit in praeclaris notis suis *Nic. Heinsius*. Eius mentionem facit et Volaterranus Comment. Vrban. XVII. Scripsit praeterea in hoc opus commentaria *Iac. Pontanus*, Antw. 1618. f. tum brevia et apta tironibus scholia *Thom. Farnabius*, Amstel. 1630. 1639. 1649. in 12. ut *Minellii* similes notas pueris scriptas omittamus. Metamorphoseon cum libris fastorum, consolatione Liviae, in Ibin et Philomelam, extat editio antiqua sine loco et anno, in fol. deinde duae Parmenses altera a. 1479, altera 1480. f. cuius anni est etiam Vicetina per Celsanum nitidissima 1480. f. Eod. anno prodiit Pinerolii per Rubeum Gallum. Deinde cum commentariis *Raphaelis Regii*, Venet. 1495. 1497. 1517. et 1553. fol. apud Hieron. Scotum, additis observationibus *Iacobi Micylli*. Prodiere et saepius Metamorphoses Ovidii cum figuris in aes eleganter incisis, ut Paris. 1637. fol. et cum indice omnium vocabulorum, auctore Pompejo Pasqualino, Rom. 1614. 8. Exstat et editio Lugdunensis 1501. 4. cum Scholiis Regii, et Argentoratensis 1510. fol. 1519. 4. atque Veneta 1509. fol. et 1530. 12. apud Stagninum, et 1534. 8. Florentina 1522. 8. Aldina 1525. et 1534. 8. Parisiensis 1536. 8. et Lugdunenses apud Gryph. 1536. 8. 1547.

a) Vide Acta Erud. anno 1707. pag. 155.

1547. 12. 1559. 1563. 8. Coloniensis 1534. cum Glareani notis; 1546. 1551. 1556. 8. Anno 1566. porro prodiere e recensione *Vict. Giselini*, qui in Dedicatione libri scribit Georg. Fabricio, se plures MSS. libros habuisse, in his duos antiquissimos, quos e Germania nactus sit, item exemplum Gryphianum, a *Carolo Langio* cum aliquot MSS. antiquissimis collatum: sed propter brevitatem temporis ad emendandum textum uti non potuisse, sed Aldinum secutum esse, additis paucis et brevibus Scholiis, Donati argumentis atque *Gisb. Longolii* et *Henrici Glareani* notis: et ex Iac. Micylli recognitione, Francof. 1582. 8. tum Plantiniana 1561. 12. et quae notas variorum adiunctas habet Lavinii, Raph. Regii, Phil. Beroaldi, Io. Baptistae Pii, Iani Parrhasii, Coelii Rhodigini, Iacobi Bononiensis, Baptistae Egnatii etc. Lugd. 1527. 4. Venet. 1586. fol. Georgii Sabini interpretatio fabularum Ovidii prodiit Regiomonte 1559. 8. Cantabrig. 1584. 8. *Hercules Ciofanus* Metamorphosibus recensendis consuluit XVIII. primum MStos Codices, deinde XXIII. Viderunt primum lucem notae illae Venetiis 1575. 8. Cum interpretatione *Dan. Crispini* in usum Delphini separatim recusi Metamorphoseon libri Oxonii, 1696. 8. recensente Ioanne Friend. Cum *Iosephi Iuvencii* x) S. I. notis, Romae primum, et deinde vulgatis Rhotomagi 1717. 8. editione auctiore et emendatiore. Vtrique iuncta est appendix de Diis et Heroibus Poëticis. Excerpta ex Metamorphosibus Fastisque Ovidii cum notis *Thom. Iohnsoni*, Lond. 1714. Laudanda etiam *Pompeji Pasqualini* industria, in concinnato indice omnium vocabulorum in Metamorphosibus Ovidii, Rom. 1614. 8. Argumenta antiqui Grammatici, *Lactantii Placidi* nomine, occurrunt in editione Veneta a. 1553. 8. aliisque. *Donato* tribuuntur in edit. Coloniensi, et Nic. Heinsius testatus est, se in Bibl. Laurentiana vidisse MStum chartaceum, cuius titulus esset: *Donati abbreviatio fabularum Ovidii*. Forte referri debet ad *Tiberium*

x) Mem. de Trevoux 1717. pag. 1915.

Tiberium Donatum, a quo Maronis descriptam habemus. Prodierunt etiam separatim, primum Viennae 1513. 4. edente Ioach. Vadiano, sub titulo: *Donati* sive, ut alii volunt, *Lactantii* argumenta compendiaria in Fabulas potiores Ovidianae Metamorphoseos. Ipse Vadianus nec Donati nec Lactantii esse putabat. In aliis editionibus, ut Lugd. 1510. fol. cum Petri Lavini notis et Raph. Regii, et Basil. 1543. cum eiusdem Regii et Iac. Micylli notis, habentur sub nomine *Lactantii Placidi*. In antiquis Codicibus MStis et editione Veneta anni 1486. argumenta libri XV. desiderantur. Ioannes itaque Raenerius, uti multa alia addidit, ita libri XV. argumenta supplevit ex Regii commentariis: quo nomine laudatur a Barthio VIII, 17. Adversar. quia putabat, Regium sua ex integrioribus Lutatii exemplaribus hausisse. Sed Victor Giselinus et Thom. Munkerus Raenerium reprehendunt, quod aliena Lutatianis admiscuerit. Sed illa argumenta reperiuntur in ed. Parmensi ed. 1480. unde Regius sumsit. Idem Munkerus, collatis Giseliniana, Hervagii, Birkmannorum, Raenerii et Coloniensi editionibus, sed inprimis secutus primae Venetae et Florentini Codicis fidem, argumenta librorum XIV. emendavit, notisque illustravit, et librum XV. ex editione Raeneriana addidit in tomo posteriore Mythographorum latinorum, Amst. 1681. 8. Exstant quoque *Bolognini* et *Nigri* Epitomae Elegiacae et *Quintiani Stoae* disticha, Basil. 1544. 8. et *Visiti Mauritii Piceni* Epitome in Ovidii Metamorphoses per singulas fabulas, carmine hexametro et pentametro descripta, Arimini. 1562. 8. *Io. Posthii* tetrasticha et *Virgilii Solis* icones in Metamorphoses, Francof. 1596. 4. Icones a *Cypriano Passaeo* cum epigrammatibus Latinis, et Germanicis *Antonii Guilelmi Salsmanni*, Arnhem. 4.

Ovidii Metamorphoses per *Hubertum Goltzium* quinquaginta duabus tabulis iconum illustratae, folio oblongo, fuere in Bibl. Menarsiana p. 52. Cum scholiis *Thomae Farnabii* et iconibus in aes incisis, Paris. 1637. fol.

ſumtu Aegidii Morelli, typis minoribus parumque nitidis. Etiam imaginibus aere deſcriptis illuſtravit illuſtriſſ. Baro *Io. Weichard de Valvaſor*, additis quavis pagina epigrammatis, Wagenſpergi 1580. fol. Eiuſdem Ovidius Satyricus MS. pluribus quam CLXX. iconibus ornatus memoratur in praeclaro eius opere vernaculo Ehre des Herzogthums Crain, lib. VI. p. 369.

Locum lib. VII. Metamorph. cum Apollonio Rhodio confert Iac. Tollius in guſtu Criticarum animadverſionum ad Longinum p. 354. ſeq. Locus de Phoenicis reparatione ex libro XV. cum notis G. B. Speltini, exſtat in huius poëmatum variorum collectione, edita Erfurti 1501. 4. Fabularum Ovidii expoſitio tradita in Academia Regiomontana a *Georgio Sabino*, Viteb. 1555. 8. 1559. 8. *Nic. Triveti*, Dominicani, commentarios in Senecam Tragicum, transformationes Ovidii, Boethium de Conſolatione Philoſophiae, Auguſtinum de civitate Dei, et in Valerium de non ducenda uxore, memorat Io. Lelandus de ſcriptoribus Britannicis p. 327. *Ioannem* item *Guallenſem* in fabulas Ovidii p. 307. Habuit etiam in Ovidii Metamorphoſes *antiqua ſcholia* Caſp. Barthius, quae editurum ſe recepit Tom. 2. in Statium p. 654. In memoriis litterariis Dombenſibus, ſive Trevoltinis a. 1705. menſe Maio p. 381. traditur cultiſſimus Poëta Iohannes Commirius S. I. cum Nicolao Heinſio emendationes ſuas in Naſonis Metamorphoſes communicaſſe. „Feu Mr. Bigot „a dit à des perſonnes dignes de foi, qu'il avoit communique à Nicolaus Heinſius des corrections de ce Pere ſur „ſes Metamorphoſes d'Ovide: celle-ci entre autres dant „l'onzieme livre des Metamorphoſes v. 764.

— *Alexirhoe Granico nata bicorni.*

„On liſoit dans toutes les editions: *Alexithoe gracili co*„*nata bicorni.*"

Latino ſermone ſoluto orationes Aiacis et Vlyſſis ex libro XIII. Metamorph. expreſſit Vitus Amerbachius 1545. 8. ad calcem enarrationis libror. Triſtium. *Gallica* verſione

multi

multi hoc opus Ovidii donarunt, prosa quidem *Thomas Waleys*, *y*) Brugis 1484. fol. apud Colartum Mansionem, et Paris. 1493. f. *Nic. Renouard* et *Ange de Massac*, cum observationibus moralibus. *Io. Baudoin*, Paris. 1614. 8. Rothomag. 1626. 8. *Martignacus*, et cum novis explicationibus Historicis, Moralibus et Politicis *Petrus Reyerus*, Paris. 1660. fol. et deinde saepius, nec non cum alterius scriptoris *z*) novis explicationibus, Hagae Com. 1728. et novissime *Bellegarde*, Paris. et Amst. 1693. 12. Nam a Marollesio, qui integrum praeterea Ovidium Gallica prosa donavit, metamorphoses, ne toties actum ageret, fuere omissae. Versibus Cyclicis universum opus Isaacus Benseradeus: cuius metaphrasis plus simplici vice prodiit, recusa etiam anno 1700. cum iconibus, Amst. 8. De illa vide si placet Menagiana Tom. 2. pag. 196. Exiguam partem ludicris *Ovide en belle humeur*, *Carolus a*) *Coypellus* a. 1655. 1668. (Charles Coypeau Sieur d'Assouci) ante eum et L. Richer, *Ovide bouffon*, libros quinque primores; optimis *Franc. Thom. Cornelius*, Paris. 1697. 12. 3. Voll. *Caroli Massaci* versionem cum observationibus moralibus Ioannis Balduini, editam plus simplici vice, laudat Nic. Borbonius p. 142. poëmatum. Nova Gallica versio prosaria Abbatis *Banierii*, *b*) ex Academia Regia elegantiorum litterarum Paris. cum notis Criticis et Historicis explicationibus a. 1727. et ex splendidissima editione Amst. 1732. fol. 2. Vol. et in 12. tribus Vol. cum iconibus aere descriptis a Picarto.

y) Titulus libri: *La Bible des Poëtes.* vid. Augusti Beyeri memorias librorum rariorum pag. 151. seq.

z) Mr. la Barre de Beaumarchais Bibl. Françoise T. 17. p. 308. Sed vide etiam Journal. lit. Tom. XX. p. 56.

a) Metaphrasis librorum duorum primorum Dassouciana perstringitur à Nicol. Bolaeo (Boileau Despreaux) in Arte poëtica p. 160.

Le plus mauvais plaisant eut ses approbateurs,
Et jus qu'à Dassouci, tout trouva des lecteurs.

b) Mem. de Trev. 1733. p. 649. Idem hic est *Banierius*, auctor libri excusi Parisiis 1711. atque inde Hagae Comitis 1714. 12. duob. Vol. *Explication historique des fables.*

Italice, le Metamorfosi d'Ovidio con le sue allegorie, Mediolani 1533. 4. additis iconibus. Metaphrasis *Francisci Turchi*, 1584. 4. et *Io. Andreae Anguillarae*, Venet. 1614. 12. 1561. 1543. fol. cum iconibus, et cum notis *Iosephi Horologgi* 1563. 4. 1613. 4. et epigrammatibus abbreviatum a *Gabriele Simeone*, Lugd. 1559. 4. Vidi etiam memorari Metaphrasin Ovidianam Italico carmine, interprete *Marreto* Senense, et libros duos primores Italicis versibus donatos a Clariss. viro *c*) *Antonio Maria Salvini*. *Hispanica* metaphrasis excusa Vallisoleti 1589. 4. Exstat et *Anglica* Metaphrasis Lond. 1632. fol. et Anglico carmine per *Georgium Sandys*, una cum commentariis, Lond. 1640. fol. 1673. 8. ac tandem novissime, Ovid's Metamorphoses ma de English by *Mr. Pope*, *Mr. Gay*, *Mr. Philips* and others, Lond. 1732. 12. editio secunda. *Suecica* Reenstiernii, additis iconibus, Holmiae 1709. 4. *Germanicis* rhythmis a. 1210. in gratiam Hermanni Landgravii Thuringiae reddidit Albertus *d*) Halberstadiensis, excusis Moguntiae 1545. fol. et ex recensione *Georgii Wickram* Colmariensis, et Anonymi, ap. Gotfridum Tampachium, cum Gerhard. Lorichii expositione fabularum, Francof. 1631. 1641. 4. Prodierunt etiam Ovidii Metamorphoseon libri Germanica prosa, versibus passim interpositis per I. G. S. *e*) ICtum Argentor. 1711. 8. Etiam Latine, addita Anonymi liberiore Metaphrasi Germanicis versibus, Norimb. 1679. 1688. fol. quae editio tabulis aeneis est exornata. *Belgice* prodiit Amst. 1588. 8. et per Carolum Manderum pictorem, Harlem. 1604. 4. et Amst. 1642. 1662. 12. denique Metaphraste *P. C. Hooft*. ib. 1662. 12. Ex Metaphrasi *Io. Vondelli*, Antverp. 1650. 8. et adiuncta habens P. Ryeri commentaria ex Gallico versa, Amstelod. 1703. fol.

6. *Fasto-*

c) Giornale d' letterati d' Italia Tom. 4. p. 133. Mem. de Trevoux 1729. p. 2090.

d) *Meister Albrecht*. Vid. Lipsiensis Societatis Germanicae Beyträge zur Critischen Historie der deutschen Sprache, Poësie und Beredtsamkeit p. 118. seqq. et p. 26.

e) Io. Georg. Schmidium.

6. *Fastorum f) libri sex priores* (totidem mensium festa et rationes e commentariis Pontificum repetitas complexi) qui soli ex duodecim aetatem tulerunt, inscripti Germanico Caesari, versibus elegis. Commemorat Ovidius ipse Tristium II, 549. atque in exsilio a Nasone recensitos notavit illustris Ezech. Spanhemius libro de usu numismatum p. 608. Nicolaum quidem Heinsium monuit Io. Frid. Gronovius, inspectam sibi fuisse in Norico vetustam Nasonis editionem, cui Celtes Protacius, qui primus post renatas litteras poësin in Germania instauravit, manu sua adscripsisset, reliquos sex fastorum libros servari apud Presbyterum in pago propè Vlmam, principiumque septimi libri in illo Codice tale exaratum fuisse.

Tu quoque mutati causas et nomina mensis,
A te qui sequitur, maxime Caesar habes.

Sed Heinsio videtur Celtes ab aliquo deceptus, qui visum sibi atque inspectum huiuscemodi codicem affirmasset. Nam Lactantius et alii veteres cum multa e Fastis Ovidii proferant in medium, e libris deperditis nihil prorsus producunt, ut certum sit, reliquam fastorum partem iam ante multa saecula intercidisse. Eos etiam in Bibl. Regis Galliae exstare falso scripsit Antonius Constantius de Fano. Atque eos ne intercidisse quidem, sed nunquam esse scriptos ab Ovidio, Ioannes Masson in eius vita p. 172. contendit ex his eius versibus Trist. II, 549.

Sex ego fastorum (scil. menses) *scripsi, totidemque libellos,*
Cumque suo finem mense volumen habet.
Idque tuo nuper scriptum sub nomine, Caesar,
Et tibi sacratum sors mea rupit (ne scil. absolverem) *opus.*

f) Vignolius Marvillius Tom. 2. Miscell. Hist. et litterat. pag. 306. *Les fastes d'Ovide renferment plus d'erudition qu'aucun autre Ouvrage de l'antiquité. C'est le chef d'oeuvre de ce Poëte, et une espece de devotion Paienne.* Scriptor XIII. Saeculi de mirabilibus Romae, quem nuper edidit Bernhardus de Montfaucon in Diario Italico cap. XX. pag. 293. appellat *Martyrologium Ovidii de fastis.*

Certe nemo veterum est, qui ex posterioribus libris ullum se vidisse testetur, vel verbulum ex illis referat. Fallitur Rabanus Maurus lib. V. de universo cap. 5. T. 1. Opp. p. 99. et Vincentius Bellovac. lib. I. speculi doctrinalis, qui secuti Isidorum lib. VI. cap. 8. Originum, aiunt, Ovidii *libros fastorum* dici, *quod de Regibus et Consulibus editi sint.* Ex Bibliotheca Gudiana cum pars Codicum MSS. *g*) per auctionem Hamburgi a. 1706. distraheretur, nactus sum parvum volumen in fol. minori charactere et frequentibus compendiis litterarum in membrana exaratum ante annos trecentos, in quo continentur glossulae super Ovidii Metamorphosin, de Tristibus, Epistolas, libros de fastis, de Ponto, et super Ovidium sine titulo, hoc est (ut supra monui) Amorum libros, nec non in Statii Thebaidem et Achilleidem, Claudianum et Avianum. Glossis in fastos, subiicitur Calendarium quale editiones exhibent. Auctor quisquis est glossularum, monet, Ovidium de fastis et nefastis diebus agere, ortus et occasus notare signorum, et Germanicum illius anni summum Pontificem instruere in sacrificiis. Vincentius Gravina V. C. libro I. de ratione Poëtica p. 101. *Ovidio se non si fosse lasciato portare dalla pienezza della sua vena, sfuggito avrebbe ogni emenda, siccome la sfugge ne i Fasti, ove non manca nulla di purità e di esattezza.* Giselinus habuit MSS. codices Fastorum octo, sed omnes trecentorum annorum aetatem non excedentes: nec in ullo erat versus Ennii a Fabricio e meliori libro restitutus: *Vnus erit, quem tu tolles in caerula coeli.*

Libri fastorum extant ex vetusta editione in 4. cum argumentis tetrastichis *Petri Aeolici*, sine loco et anno. Prodierunt etiam Lipsiae in 4. sine anni notatione. Et cum commentariis *Pauli Marsi*, Piscinatis, Venet. 1485. f. et 1492. 1520. fol. et cum *Antonii Constantii* de Fano sive Fanensis, et Marsi, Constantio doctioris, commentariis, Venet. 1502. 1508. fol. Mediolani 1510. fol. Prodierunt

g) Reliqua et maior pars asservatur in Bibliotheca Guelferbytana.

runt etiam separatim sine notis Paris. 1528. 8. per M. Guichardum Soquand. et 1554. 4. apud Vascosan. Ne dicam de scholiis brevibus *Melanthonis*, *Micylli*, *Bersmanni*, *Ciofani*. Commentariis eximiis illustravit *Carolus Neapolis*, *h*) qui Resuttanii in Sicilia principis frater fuit, et anno aetatis 21. illos absolvit, ac post auctorem anno 22. defunctum edidit Erycius Puteanus Antverp. 1639. fol. sub titulo Anaptyxeos ad fastos Ovidii Nasonis, praemissis antiquis Calendariis, quae una cum aliis recensui infra lib. IV. Quod enim in plerisque editionibus Ovidio praefigi solet Calendarium vetus Romanum, e Nasone ipso et aliis Calendariis antiquis aliisque monumentis suppleri et emendari desiderat non paucis in locis. Inter scripta Baptistae Guarini video etiam memorari commentarium in fastos Ovidii, sed nescio an editum.

Gallice primus vertit *Marollesius*, qui notis etiam illustravit, addita Dan. Heinsii elegia in Natalem Ovidii 13. Cal. April. Novam interpretationem prosariam cum notis Criticis et Historicis promisit *i*) *Lezaeus*, (Mr. Lezeau) qui librum primum cum praemissa Ovidii vita vulgavit Paris. 1714. 12. *Italicam* Metaphrasin dedit *Vincentius Cattarus* Venet. 1551. 8. Supplementum horum fastorum sive sex libros posteriores ex ingenio addidit *k*) *Claudius Barthol. Morisotus* *l*) Divione 1649. 4. Burgignonum Fastorum Ovidii continuatorem laudat Marollesius. *Ambrosius* quoque *Novidius Fraccus* *m*) similiter libros XII. sacrorum fastorum dicavit Paulo III. Pontifici,

 et

h) Laudatur ex merito in Sorberianis p. 242. Morhofio hic commentariis visus est sapere officinam Erycii Puteani.

i) Journal des Sçav. 1715. p. 134. Mem. de Trevoux 1714. p. 2078.

k) Nihil in Morisoto Poëtici spiritus se observasse profitetur Morhofius I. Polyhist. c. 24. p. 293.

l) De Morisoti supplemento Io. Ludovicus Praschius Satyra in poëtastros:

— — *aut simili Morisotum reddere facto*
Qui fastos Ovidi supplevit dispare versu.

Suorum in librum primum Commentariorum meminit Morisotus Centuria prima Epistolarum editarum Divione 1656. 4. Epist. 8. et 9.

m) Hic Fraccus dies hebdomadis a septem sacramentis, menses a duodecim Apostolis nuncupat. Confer Gisb. Voetium III. Select. pag. 433.

et vulgavit Romae 1547. 4. Denique *Hugo Vaillant* Ord. Benedicti Monachus libris XII. fastorum memoriam sanctorum per totum annum Epigrammatis celebravit, Paris. 1674. *Baptistae Mantuani* fastorum sacrorum libri XII. quos Ovidii imitatione composuit, saepius editi sunt, ut Paris. 1513. fol. Argentor. 1520. 4. Mediolan. 1540. Antverp. 1576. 8. Tom. 2. Opp. *Nicolai Andarti* fastos sacros his verbis inter alia laudat Iustus Lipsius:

Macte operis laudisque: olim Sulmone Poëtam
Carmine qui aequiparas, materie exsuperas.

7. *Tristia* n) sive *Tristium Elegiarum libri V.* Iosephus Scaliger, sub Yvonis Villiomari nomine latens, in locos controversos Rob. Titii p. 105. *Aristoteles, Titi, nunquam scripsit libros περὶ τῶν ἠθικῶν, περὶ τῶν πολιτικῶν, sed scripsit ἠθικὰ καὶ πολιτικὰ, ἠθικῶν καὶ πολιτικῶν libros. Eodem genio duce et Ovidii titulos corruperunt maiores nostri. Nam Tristia, de tristibus, et Pontum, de Ponto inscripserunt.* Hanc veram observationem perstrinxit Iacobus Duportus p. 187. Poem.

Libri Tristium et e Ponto cum commentariis *Barth. Merulae* Lipsiae, sine anno, Venet. 1489. fol. Mediolan. 1507. 1511. fol. prodiere. *Viti Amerbachii* enarratio Basil. 1548. 8. cum notis *Andreae Naugerii* Lond. 1583. 12. Notae Merulae, Amerbachii, *Micylli, Bersmanni, Ciofani* in edit. Francof. 1601. fol. iidem libri, praemissa Ovidii vita, Ingolstad. 1607. 8. cum *Dan. Crispini* interpretatione et notis in usum Delphini, indiceque vocabulorum recusi sunt Cantabrigiae 1705. 8. cum erudita praefatione, Scholiis perspicuis, tabula Geographica, vita Ovidii et Chronologia Epistolarum in his libris comprehensarum, indiceque copioso emendate editi a *Philippo Theodoro Verpoortenio*, Coburg. 1712. 8. ex recensione *Isaaci Verburgii* o) cum notis dictionem maxime illu-

n) *Tristia* potius quam de tristibus inscribendos esse hosce libros notaverat etiam Iul. Caesar Scaliger lib. 3. c. 126. sive ult. Poëtices.

o) Journal des Sav. 1713. Aout, pag. 220.

illustrantibus, Amst. 1713. 12. Denique nuper (hoc ipso anno 1772.) ex recensione P. Burmanni cum notis excerptis aliorum et suis eruditis *Theoph. Christoph. Harles* Erlangae: qui et MSS. duobus usus est. Taceo editiones Minellii et alias ad usum tironum.

Gallica versio *Binardi* vidit lucem Paris. 1625. *des regrets d'Ovide.* Exstat et altera *Marollesii*, cum notis, *les tristes.* Novissima prosaria cum Latinis Ovidii e regione positis excusa Paris. 1723. 12. *les elegies d'Ovide pendant son exil.* Mem. de Trevoux 1724. p. 434. *Germanica* Metaphrasi donavit Io. Henricus Seypius, cum notis, Darmstadt. 1664. 8. *Danico* carmine reddidit V. C. *Christianus Falsterus*, a. 1719. *Belgico Daniel Havart p*) a. 1696. cum Epistola consolatoria ad Liviam de morte Drusi. *Anglica* Metaphrasis *Zach. Catlini* prodiit Lond. 1639. 8.

8. *Epistolarum Ponticarum* sive *e Ponto* libri IV. versibus elegis. In hos quoque libros exstant collectanea *Ioannis Weitzii* viri docti et diligentis 8. et commentarii *Iacobi Pontani* S. I. in hos et Tristium libros. a. 1610. fol. *Libri quatuor e Ponto* an. 1508. 4. sine loci notatione. De commentario Bartholomaei Merulae et Phil. Theodori Verpoortenii notis aliorumque supra in libris Tristium iam dictum. Cum notis *Io. Henr. Kromayeri* ad modum Minellii libri e Ponto et Ibis prodierunt Lips. 1719. 12. E duobus MSS. Fabricii emendatiores reddidit Giselinus, sive Fabricius ipse. Metaphrasis Danielis Havartii, Med. D. *Belgicis* versibus, prodiit Vltraiect. 1702. 8.

9. *Ibis* sive *Dirae in Ibin q*) carmine Elegiaco versuum amplius sexcentorum. Coelius Rhodiginus XIII, 1.

p) Boeksaal van Europe 1696. T. 2. p. 548. Nova literaria Lips. a. 1719. p. 85.

q) Ibis avis Aegyptia κλυστῆρα μιμησαμένη, de qua Plutarchus de solertia animal. p. 974. Auctor Isagoges Galeno adscripta cap. 1. Tom. 4. p. 371. et Galenus de venae sectione contra Erasistratum cap. 6. Tom. 10. edit. Paris. p. 399. Confer Alciati emblema 87. et Aldrovandi Ornithologiam Tom. 3. lib. 20. c. 3. p. 129.

Antiquar. Lect. *Caecilius Minutianus Apuleius ait, Corvinum* (Boëssius et alii malunt Hyginum) *ab Ovidio Ibin appellatum esse ex avis foeditate, cui ventrem r) rostro purgare insitum sit, et hoc ex Callimachi imitatione.* Ovidius ipse v. 449.

Et quibus exiguo volucris devota libello est,
Corpora proiecta quae sua purgat aqua

De Callimachi poëmate adversus Apollonium Rhodium, cuius titulus erat Ibis, et quod pridem intercidit, dixi lib. III. Bibl. Graecae c. 19. p. 486. In Ibin Ovidii exstat *vetus interpres s)* Gyraldo et aliis laudatus, tum *Christ. Zarotti*, Venet. 1515. f. *Carmen* ipsum cum Metamorphosi et libris fastorum, editum extat sine anno et loco in fol. et Venetiis 1484. fol. ibid. 1495. cum *Domitii Calderini* Comm. nec non separatim cum *Fr. Sanctii* notis Salmanticae 1598. 8. Lipsiae s. a. in 4. et cum remediis amoris, nuce, pulice et philomela, Argentorati ex aedibus Schurerianis 1520. 4. Ibis Ovidii cum *Domitii Calderini* Veronensis commentario, et qui hunc sequitur *Iodoci Badii Ascensii* scholiis, Mediolan. 1517. fol. *Valent. Andreae Desselii* et *Sanctii* notae cum Iac. Pontani commentario in Metamorphos. editae Antverp. 1618. fol. denique eruditus *Dionysii Salvagnii Boessii* Equitis Delphinatis commentarius, Lugdun. 1633. 4. atque iterum 1661. 8. addito veteri interprete, qui in priore edit. desideratur. Is p. 3. 4. seq. de huius carminis editionibus et Interpretibus videndus est. Veterem interpretem alium ab edito evolvit Coelius Rhodiginus, atque Turnebus dolet luci non datum lib. IX, 25. Adversar. *quod et annotatum a veteri interprete fuerat, cuius scrinia alii interpretes com-*

r) Auctor Isagoges Galeno adscriptae c. 1. et Plinius VIII. 27. Hist. notant inde hanc avem ad clysteris usum inveniendum hominibus ansam praebuisse. Effigiem eius habes in thesauro Graeviano Antiquitatum Rom. T. V. p. 796.

s) Labbeus Bibl. nova MSS. p. 46. memorat Bernardi Moretti, qui Rhetoricam Bononiae docuit sub a. 1459. expositionem in Poëma Ovidii adversus Ibin.

compilarunt, et scripta etsi mendosa, unde tamen utilia odorari poteramus, suppresserunt. Fragmenta quaedam Grammatici veteris in Ibin prodierunt Paris. 1581. typis Dionysii Pratensis, sed integriora scholia illa ex duobus MSS. Codicibus vulgavit Boessius, ut ante dictum. Ac ne Andreae Naugerii, Baptistae Egnatii, Iac. Micylli, Herculis Ciofani et Guid. Morilloni notas memorem, Ovidii Ibin novissime cum libris e Ponto illustravit Io. Henr. Kromayerus, Lips. 1719. 12. *Gallicam* Abelis Foulonii metaphrasin memorat in Bibl. Gallica Crucimanius. Vertit et *Marollesius* prosa Gallica, et amplum commentarium, ex Boessio magnam partem mutuatus, subiunxit. *Anglica* Metaphrasis sine auctoris nomine prodiit Lond. 1577. 8.

INDICVLVS SCRIPTORVM
A VETERE INTERPRETE BOESSIANO IN IBIN LAVDATORVM.

Achaeus Poëta ab apibus acie oculorum privatus. ad vers. 543.

Anaxarchus Atheniensis. ad vers. 573.

Archilochus Iambici carminis inventor, cui maledicentia exitio fuit. 523.

Arion. 317.

Aristochius Poëta Tragicus. 527.

Battus. 261. 301.

Callimachus. 332. 353. 381. 453. 479. 503. contra suum Ibin. 316. 451. Epigramma in Menandrum Comicum submersum memoratur. 593.

Callisthenes. 275. ubi quatuor disticha sub eius nomine latine afferuntur.

Callisthenes historiae Alexandri Magni scriptor eius iussu cavea inclusus periit. 521.

Darius scriptor. 337.

Democritus. 295.

Empedocles pro vana gloria Aetnae insiluit. 599.

Ennius. 296.

Eupolis. 295. Atheniensis Comicus cum Medilla uxore, priusta

10. *Halieuticon*, sive de piscibus liber acephalos, versibus hexametris. Huius poëmatis mentio ap. Plin. XXX, 11. *His adiiciemus ab Ovidio posita nomina, quae apud neminem alium reperiuntur, sed fortassis in Ponto nascuntur, ubi id volumen supremis suis temporibus inchoavit.* Idem cap. 2. *Mihi videntur mira, quae Ovidius prodit*

piscium

t) Nescio unde hic scriptor acceperit versus, quos sub Lucretii et aliorum celebrium autorum nominibus citat, qui longe recentiorem et ignobiliorem sapiunt officinam, ut iam supra p. 347. notare me memini.

piscium ingenia in eo volumine, quod Halieuticon inscribitur. Primus huius libri fragmentum vulgavit e Sannazarii Codice *Georgius Logus* Silesius una cum Gratio et aliis Venet. 1534. 8. Illustravit etiam *Hercules Ciofanus* a. 1580. v. et Swartii Analecta I, 5. Emendavit et notis illustravit cum eodem Gratio Nemesiano et Calpurnio *Ianus Vlitius*, Lugd. Bat. 1645. 12. Exstat quoque in Poëmatis antiquis P. Pithoei. Vide et Vossii IV, 6. et 14. operis praeclari de Idololatria, ubi locis quibusdam Halieuticon lucem affert. Fallitur Barthius, qui Olympio Nemesiano hoc poëma adscripsit XLIX, 7. Adversar. nec minus Vlitius, qui Gratio. Initium vero Halieuticon, quod a Sertorio Quadrimano, tanquam e vetustissimo codice descriptum, accepit Hieron. Columna, et in doctissimis commentariis ad Ennii fragmenta p. 247. seq. edidit, merus est fucus. Gallica prosa vertit et cum notis edidit *Mich. Marollesius* ad calcem librorum de arte amandi, una cum fragmento *de medicamine faciei, nuce, philomela, pulice, somnio,* et *duobus epigrammatis.* Paris. 1660. 8.

11. *De medicamine faciei* fragmentum elegiaco carminis genere, quod citra caussam, Nasonis non esse videtur doctis quibusdam viris. Memorat Ovidius ipse artis amatoriae III, 205.

Est mihi, quo dixi vestrae medicamina formae,
Parvus, sed cura grande libellus opus.

12. *Nux* elegia utrum Ovidii sit nec ne, dubitant quidam eruditorum. Non tamen est, cuius Ovidium merito pudere possit. Hoc poëma post Dominicum Marium Nigrum illustravit Erasmus, Bas. 1524. et apud Gryph. 1546. 8. et Tom. 1. Opp. In *Nucem* Ovidianam Erasmi praefatio legitur inter eius Epist. XXIX, 26. qui poëmation illud Ioanni Moro Thomae filio dicavit. Observationes *Herculis Ciofani* prodierunt Sulmone 1593. 4. *Belgico* carmine una cum libris de Ponto donavit Daniel Havartus, Vltraiecti 1702. 8. *de klagende nooteboom.*

III. *De-*

III. *Deperdita* Ovidii scripta diligenter enumerat Gyraldus. In his sex libros postremos fastorum, de quibus supra, et *Medeam Tragoediam* Quintiliano X, 1. et dialogo de Oratoribus cap. 12. laudatam. Ovidius ipse Trist. II, 553.

Et dedimus Tragicis scriptum regale cothurnis;
Quaeque gravis debet verba cothurnus habet.

Versum hunc ex illa affert Quintilianus VIII, 5.

Servare potui, perdere an possim rogas?

quod Petrus Burmannus observat expressum ex hoc Virgilii in Ciri, vers. 275.

Vt me, si servare potes, ne perdere malis.

Seneca Pater suasoria tertia: *Hoc autem dicebat Gallio Nasoni suo valde placuisse, itaque fecisse quod in multis aliis versibus Virgilii fecerat, non surripiendi causa, sed palam imitandi, hoc animo, ut vellet agnosci. Esse autem in tragoedia eius: feror huc illuc ut plena Deo.* Quoniam diserte Seneca, iterumque affirmat, *plenam Deo* dictam esse imitatione Virgilii, non occurrit alius Maronis locus, qui huc faciat, quam tritus ille in Eclogis, *Iovis omnia plena*, quorum verborum non alia est sententia, quam haec, totus Deo plenus sum, illi mea carmina curae. Ex his ipsis porro Fabii et Senecae locis patet, aliam longe esse *Medeam Osidii*, de qua Tertullianus, carmine scriptam *heroico*, et ex meris Virgilianis versibus contextam, quam habuit Pirckhaimerus et Salmasius, a quo acceptum initium illius edidit P. Scriverius in fragmentis Tragicorum; aliam vero *Medeam Ovidii*, versu scriptam *Iambico*, et uno vel altero fortasse loco ad Virgilii dicta alludentem, pridemque deperditam. De eadem Ovidii Medea Auctor de caussis corruptae eloquentiae cap. 12. *Nec ullus Asinii aut Messalae liber tam illustris est quam Medea Ovidii aut Varii Thyestes.* Aliorum, quae scripserat Ovidius, hic est index: *Declamationes*, Controversiae ac suasoriae; quibus valuisse Nasonem testatur Seneca Controvers. 10. discipulum rhetoris Arellii Fusci,

et Porcii Latronis admiratorem. *Metaphrasis Phaenomenon Arati* Lactant. II, 5. et Probus in Georgica Virgilii. *Epigrammata*, de quibus vide Politianum cap. 59. Misc. et fragmenta Ovidii a Nic. Heinsio collecta. *Liber in malos Poëtas.* Quintilianus VI, 3. *Adiuvant urbanitatem et versus commode positi, seu toti ut sunt, quod adeo facile est, ut Ovidius ex tetrasticho Macri carmine* (i. e. Poëmate tetrastichis constante) *librum in malos poëtas composuerit. Triumphus Caesaris* Tiberii de Illyriis, III, 4. e Ponto. *Carmen de laudibus Augusti iam defuncti*, sermone Getico, Ovidius ipse IV, 13. e Ponto. *De bello Actiaco* ad Tiberium libri II. *Vaticiniorum liber.*

IV. *Supposita Ovidio.* 1. *Consolatio ad Liviam Augustam* de morte Drusi Neronis, quae sub Ovidii nomine prodiit Venetiis 1472. fol. cum Probae Virgiliocentonibus, atque Ovidio in variis Codd. MSS. tribuitur, *Pedonis Albinovani* est, ut dictum supra c. 12. Pedonem hunc aequalem suum Ovidius *sidereum* vocare non dubitat IV, 6. e Ponto. Consolationem hanc Ovidio praeter rem etiam adscripsit Passeratius, et Barthius LIII, 13. Adversar.

2. *Carmen Panegyricum ad Calpurnium Pisonem*, Lucano ab aliis tribuitur. Vide, si placet, quae dicta sunt supra in Catal. Virgil.

3. *Elegia de Philomela*, sive de vocibus avium ac quadrupedum, et verbis, quibus illae apud latinos denotantur. Non Ovidii, sed Grammatici utcunque veteris Christiani esse videtur Vossio lib. 1. de vitiis sermonis c. 14. et III. de Idololatria cap. 49. Confer A. Schotti observationes Poëticas cap. 52. Sub *Albii Ovidii Iuventini* nomine edidit Goldastus, subiecta Iulii Sperati V. C. elegia de Philomela. De eodem argumento diatribam se scripsisse testatus est If. Casaubonus, ad Antonium Getam Aelii Spartiani, qua opes Graeciae in huius generis vocabulis cum paupertate sermonis latini non segniter ait se comparasse.

paraſſe. Haec Caſauboni diatriba nunquam lucem vidit quod ſciam: ſicut intercidit Theophraſti liber περὶ ἑτεροφωνίας τῶν ὁμογενῶν ζώων, memoratus Laërtio V. Sect. 43. et Athenaeo IX. p. 390. ubi ex eo refert perdices aliis in locis κακκαβίζειν, in aliis τιττυβίζειν. Interim de vocibus animalium, et de verbis, quibus illae apud Graecos Latinoſque appellantur, conſuli poſſunt Ioach. Camerarius in commentariis utriuſque linguae p. 198. ſeq. Io. Textoris Officina p. 280. ſeq. Andreas Schottus II, 51. Obſervatt. Human. Iulius Caeſar Bulengerus de venatione Circi cap. 20. p. 76. ſeq. Samuel Bochartus in limine Hierozoici et Fridericus Hofmannus in Epigrammatis p. 158. ſeq. Graeca quaedam de vocibus animalium vocabula habes apud Caeſarium qu. LXXVIII. pag. 218. Latina apud Auſonium Epigr. LXXVI. Sed de vocabulis, quibus Graeci et Latini *u*) voces avium et aliorum animalium exprimunt, praeter ante laudatos, et Apuleium in Floridis, Vincentium Bellovacenſem XXII, 6. ſpeculi naturalis ex libro Papiae: Iac. Pontanum VIII, 2. φιλοκαλίας p. 164. ſeq. Chriſtophorum Becmannum in originibus Latinae linguae, vocabulo *murmur*; Gualterum Charletonum de differentiis et nominibus animalium (Oxon. 1677. fol.) illa parte qua piſces perſequitur p. 94-102. et Guilelmum Muſgrave in notis ad vitam Imp. Getae a Spartiano ſcriptam, operae pretium eſt conferre, quae ex Adverſariis Iſ. Caſauboni edidit Io. Chriſtoph. Wolfius in Caſaubonianis Hamburgi a. 1710. 8. editis p. 56. ſeq.

4. *De Pulice* Elegia, ſub *Ofilii Sergiani* nomine a Goldaſto vulgata, Ovidio certe indigna. *Gallica* metaphraſis *Pulicis* Ovidiani exſtat in libello parum ſerio et parum pudico, qui Amſt. 1720. 12. prodiit ſub titulo *les tetons*, p. 50. auctorque ait, ſe natum fuiſſe ſedecim annos cum illam componeret.

5. *Somnium*, quod incipit: *Nox erat et ſomnus* etc. in Goldaſti editione, *Ovidii iunioris ſomnus* inſcribitur. Hoc

u) Chaldaica vide in Targum ſecundo libri Eſther c. 1. 2.

Hoc Somnium cum Philomela et Pulice, quae in Heinsiana et Cnippingiana editione Ovidii frustra quaeres, exstat ad calcem Heroidum et Amorum ex postrema Iac. Micylli recognitione, Francof. 1582. 8. excusa etiam Venet. 1515. 8. cum Ovidii vita ab Aldo scripta, et Paris. 1536. 8. et apud Gryph. 1554. 8.

6. *Epigrammata scholastica de Virgilii XII. libris Aeneidos*, sive argumenta librorum Virgilianorum, etsi Ovidio in quibusdam manu exaratis codicibus adscripta, etiam in codice eximio et pervetusto membranaceo Virgilii cum Servii commentariis, quem laudavimus, Morgenvegiano: in cuius calce leguntur simili vetusta manu descripti Ovidii libri de Ponto, communi suffragio virorum doctorum existimantur alterius esse auctoris.

7. Nihil vero magis ridiculum sit, quam *libros tres de Vetula* x) genuinis Ovidii scriptis annumerare, qui hexametris versibus descripti cum praefatione Leonis (Protonotarii Sacri Palatii Byzantini sub Vatachio Principe) prodiere Coloniae 1470. Lubecae 1471. et inter Catalecta Ovidii editore Goldasto, Francof. 1608. 8. denique recensiti e MSS. una cum Nigelli Wirkeri y) Angli Bunello, sive Speculo stultorum editi, auspiciis Gloriosiss. memoriae Ducis Augusti Guelferbyti 1662. 8. Hoc ludicrum opusculum, ab infimi aevi Monacho (*Pamphilo* forte *Mauriliano* z) profectum, non evolverat Manutius, qui tanquam tria diversa memorat *de vetula*, *de quatuor humoribus*, *et de ludo latrunculorum*, cum de his universis agat hoc scriptum. Versus aliquammultos ex libro III. producit Thom. Bradwardinus in causa Dei adversus Pelagium p. 33. Rogerus quoque Baco, magnus Astrologiae Patronus, nullius fere libentius scriptoris testimoniis utitur, notante Ioan-

x) Beda in Boethium de Trinitate: *Extirpanda est haeresis vetularum, quae currunt per partes Dei.*

y) De hoc Nigello exstat erudita dissertatio Iacobi Thomasii Lips. 1679. qua inter alia observat eum claruisse circa a. C. 1200.

z) Vide Barthium ad Guil. Britonem p. 60. et 349.

Ioanne Pico lib. I. in Astrologos p. 284. Opp. Vide etiam Roberti Holkot lect. XXI. in lib. Sapientiae et Rev. D. Ioannis Friderici Mayeri Exerc. utrum fata religionum pendeant ab astris diss. I. §. 5. De hoc opere copiosius disserere voluit magnus Seldenus lib. III. de Synedriis cap. 16. sed morte praeventus imperfectum illud opus coactus est relinquere. Librorum *de vetula* auctorem esse fortasse ipsum illum Leonem Protonotarium, qui praefationem praemisit, suspicatur vir Clariss. Polycarpus Lyserus in historia poëtarum medii aevi p. 2089, ubi porro multis post Ovidium saeculis libros illos Ovidio esse suppositos ex hisce docet flosculis. Scilicet L. I. n. XXX. v. 3. edit. Goldasti p. 127. legitur vocabulum *treuga*, pro armistitio, quod aevi est recentioris. Lib. I. n. XXXVII. edit. cit. p. 133. l. ult. vox *Alkimia*, quae itidem serius ab Arabibus ad Latinos venit. Idem dicendum de *Algebra* et *Almucgrabala*, quae occurrunt n. XLI. v. 5. p. 135. *Algebraque* iterum L. III. n. II. v. 5. p. 163. *Cognoscere amicam* Lib. 2. n. I. v. 5. et 7. p. 136. est hebraismus, ex lectione S. Codicis haustus. *Pastorum* et *praelaturarum* meminit L. II. n. XIV. v. 3. et 8. pag. 143. quae voces Ecclesiasticae sunt. *Camisia* item, quae affertur L. II. n. XXIV. p. 150. l. 1. non est aevi Ovidiani. *Sibi* loco *ipsi* nonnunquam usurpat auctor L. II. n. XXXIII. v. 5. p. 155. n. XXXVI. v. penult. p. 157. *Dei unitatem* ubi stabilit auctor L. III. n. IV. p. 164. et 165. vocabula *principium* et *principiatum* adhibet, et Manichaeorum sententiae, de *duobus principiis* mundi sibi contrariis et coaeternis, meminit. Vocabulo *glorificare* nonnunquam utitur, quod est ecclesiastico. Christianum, ut L. III. n. V. v. ult. p. 166. Mundum ex nihilo *creatum* esse probat L. III. n. VI. p. 166. n. XVIII. p. 273. *Resurrectionem mortuorum* credit futuram L. III. n. XX. p. 175. Locum de incommodis senectutis ex Ecclesiastico profert L. III. n. XXIII. p. 176. De *religione Christiana* multa habet L. III. n. XXXII. seqq. ubi vaticinatus talia inducitur Ovidius et ex foliis Sibyllae haec hau-

fisse. v. L. III. n. XLI. v. antep. pag. 186. de quibus tamen constat, ea ignorata prorsus fuisse ante Commodi Imperatoris tempora. *Trinitatem* admittit iis loquendi formulis, quibus ne Christiani quidem primis seculis utebantur, L. III. n. XLII. XLIII. *Mariam* mediatricem appellat L. III. n. XLV. v. pen. pag. 188. eamque in coelos sumtam esse docet n. XLV. *Haec loco laudato Lyserus: qui pag. 2071-2076. etiam veterem editionem* Pamphili *confert cum editione Goldastina, eiusque varias et plerasque meliores lectiones annotat, atque integra, quae Goldastus omisit, supplet disticha.*

Catalecta Ovidii, et alia quaedam nomine suo suppresso iunctim vulgavit, auctoribusque suis MStorum ope magnam partem restituit *Goldastus* Francof. 1610. 8. In eo volumine occurrunt: Epigrammata scholastica de Virgilii XII. libris Aeneidos. Epistola Ovidiana Penelopes ad Vlyssem, Graece reddita a Carolo Vtenhovio. Ovidii iunioris somnus. Cornelii Maximiani Galli amores sive sex elegiarum libellus, de quibus dixi capite superiore. In exemplo huius editionis, quod exstat Hamburgi in Bibl. Ioannea, variae lectiones e MSto Codice adiectae sunt manu V. C. Frid. Lindebrogii, quibus non pauca emendantur et supplentur. Ofilii Sergiani Elegia de pulice. Albii Ovidii Iuventini elegia de Philomela. Iulii Sperati V. C. elegia eiusdem argumenti. Pamphili Mauriliani *a*) Pamphilus sive de arte amandi Elegiae LXIII. De Vetula libri III. cum praef. Leonis Protonotarii. Bedae Venerabilis elegiae II. de Cuculo. Benigni Floriacensis elegia de excidio Troiae. Bernardini Cilaenii Veronensis, qui Friderici III. Imp. temporibus vixit, amores, h. e. libellus elegiarum sive Odarum XXII. ad Iuliam, editus antea sub falso nomine Francisci Octavii. Antonii Codri Vrcei Bononiensis Rhythmus die S. Martini pronunciatus. Deni-

a) Huius Mauriliani meminit Guermundus commentario in artem Prisciani. Eius vero elegias et libros de Vetula, quos ipsos quoque a Mauriliano scriptos Barthius coniiciebat, cum MSto contulit in eodem Codice Lindebrogius.

Denique claudit hanc collectionem Goldastinam elegia Baptistae Mantuani Carmelitae contra Poëtas impudice loquentes. Vir Clariss. Christianus Daumius in Epistola ad Ioach. Fellerum: b) *Vetulam* Pseudo Ovidii, *Pamphilum* et alia opuscula *Goldastus se primum ex membranis edere ratus est: at ego habui editiones recenter inventa typogrophia natas, membranis illis longe meliores et locupletiores. Ideo cum Vossius et alii exinde, quae in rem suum esse vident, allegent, cur non et horum rationem habeamus? Iis quae Goldastus omisit, Aldus autem in Ovidii vita meminit, a claustralibus mopsis Ovidio stupide attributa, adiungo olim a me collecta carmina* de ventre, de tribus puellis etc. Est mihi haec scribenti in manibus editio vetus sine loci et anni nota in 4. ubi Pamphilo praemittitur Pseudo Ovidii *liber trium puellarum*, sive elegia de tribus puellis cantu inter se certantibus iudice poëta, qui tertiam, Iovis amores canentem, caeteris duabus praefert, sibique adiungit: et *liber de nuncio sagaci*, versibus hexametris homoeoteleutis sive leoninis, et *de pulice*. Elegiae de tribus puellis hoc est initium:

Ibam forte viam quandam nullo comitante,
Solus amor mecum, qui solet esse, fuit.
Dumque meos versus facio, meditorque puellam
Cui possim versus mittere quos facio.
Ecce procul video quasi tres nymphas venientes.
E quibus ut memini longior una fuit.
Haec medium sortita locum, currebat, et omnes
Currebant pariter, sed tamen illa magis.
Sed si forte manu iaculum sumsisset et arcum,
Illa mihi certe visa Diana fuit.
Sic etenim solet illa feras agitare per altas
Silvas, cumque suis currere virginibus.
Tunc ego nosse volens formas et nomen earum
Incepi subito currere post solio etc.

Liber

b) Io. Frid. Felleri monumenta varia inedita, trimestri XI. p. 611.

Liber de nuncio sagaci, in quo colloquium est puellae cum nuncio, qui dona a poëta ipsi affert, ita orditur:

Summi victoris fierem cum victor amoris
Sperabam curis finem posuisse futuris,
Rursus ad arma vocat me quaerit et ecce Cupido,
Dic, amor, unde venis pharetris sic undique plenis?
Cuius castra petis, vel cuius vulnera tendis?
Hinc procul hinc absis, quia mecum nulla videbis,
Tot tibi sunt Parides, et tot tibi sunt Ganymedes etc.

Bedae venerabilis (an Milonis potius, Monachi Elnonensis a. 870. defuncti) elegia una de conflictu veris et hiemis, atque altera c) de morte cuculi. Benigni Floriacensis elegia de excidio Troiae, Bernardini Cilaenii etc.

V. Reliquum est, ut editiones *Operum omnium* Ovidii referantur. Antiquissima est Romana 1471. Voll. duobus in f. per Sweinhemium et Pannartium: memoratur et alia sine anni notatione, quae utrum prior an posterior sit Romana, incertum est. Sequitur Venet. 1472. fol. per Iacobum Rubeum, natione Gallum, quae editio cum notis scriptis fuit Neapoli in Bibl. Iosephi Vallettae. Memorat et Maettarius Ovidium a. 1474. fol. Venetiis excusum cum hac subscriptione: *Ovidii opera omnia, Medea excepta et triumpho Caesaris, et libello illo Pontica lingua composito, quae incuria temporum perierunt, Iacobus Rubeus natione Gallicus, honestissimo loco natus, impressit, Nicol. Marcello duce Venetiarum 1474.* Ovidii opera per Baldasarem de Azzogridis, civem Bononiensem, Bononiae 1480. fol. quae fuit apud Nicolaum Heinsium, et emendata a *Barnaba Celsano* Vicentino, et Vicentiae 1480. f. apud Hermannum Coloniensem Lichtenstein, nitidissime facta. item Venet. 1484. et cum praefatione *Boni Accursii*, 1486. fol. Florentiae a. 1489. fol. Venet. 1495. cum

c) Incipit: *Plangamus cuculum, Dophnis dulcissime nostrum;* eadem, quam sub vero Alcuini nomine edidit Mabillonius Tom. 1. Analect. pag. 360.

Comm. Volsci et Clerici, et charta et characteribus typorum nitidis a. 1498. fol. in Bibl. Bigotiana.

Sed superiores editores paucis libris scriptis usi sunt, iisque fortasse non optimis, et in corrigendo non satis diligentes fuere, cum satis haberent, e libris forte oblatis singulas partes edere, sublatis, quae videbantur, librariorum peccatis, aut superiora exempla sine mutatione repetere. Primus, quod constet, *Andr. Naugerius* ad emendanda universa Ovidii opera adiunxit animum. Is igitur a se emendata Ovidii opera edidit apud Aldum a. 1503. 8. Voll. tribus. Et dicit in praefatione, se optimos Codd. habuisse. Quae professio etsi non satis certa est, tamen bonam operam ab eo navatam esse, comparatio huius editionis cum superioribus docet. Itaque hanc editionem valde laudat H. Stephanus, et omnium Aldinarum optimam esse iudicat, quod ad poëtas quidem attinet, in Pseudo Cic. p. 71. et in Epist. de typogr. sua pag. 22. 59. seq. ubi docet, quam corruptus sit Ovidius per eos, qui Aldinam lectionem e MSS. S. Victoris et aliis Parisiensibus mutarint, quod ad Colinaeum et Gryphium pertinet. Haec editio repetita est a. 1515. et 1533. Addidit quoque Aldus Andr. Naugerii in Ovidium castigationes. Hanc Aldinam secutae sunt plures aliae, ut Venet. 1516. 12. apud Alex. Paganium, Basileensis 1522. apud H. Petri, et edente Io. Sichardo 1527. 8. et 1548. 8. Veneta a. 1530. 12. Paris. 1541. 16. ap. Colin. Lugdunensis ap. Gryph. 1546. 12. tribus Voll. Basileensis alia cum commentariis Antonii Constantii Fanensis, Pauli Marsi, Barthol. Merulae, Domitii Calderini et aliorum, ac notis Iacobi Micylli Basileae 1549. 1550. duobus voluminibus fol. Plantinianae 1566. et 1578. 12. tribus voll. et cum scholiis Victoris Giselini, de quo supra dictum, 1595. forma minore. Sed harum edd. auctores non fecere operae pretium, nec post Aldum quisquam hoc egit, ut Ovidii opera universa ex libris scr. et edd. recenseret, ante *Herc. Ciofanum*, Sulmonensem, qui ea cum notis suis edidit Venet. 1578. apud Ald. Nep.

quae

quae editio Antverpiae apud Plant. 1582. 8. repetita est. Vsus erat MSS. viginti amplius. Nec tamen textum universum recensuit ad illos libros, ut novi textus auctor haberi posset: sed notas addidit suas. Sed eodem tempore ad id negotium accessit *Georgius Bersmannus*, Prof. Lips. cuius Ovidius prodiit Lips. 1582. 8. usus ed. Ald. castigationibus Ciofani et MS. Adami Siberi, in quo erant Tristia et Epp. Ponticae. Sed turbae de religione, per quas etiam motus est loco, eiusdem anni principio, non siverunt eum efficere, quod potuisset, si otium contigisset. v. praef. ad Fastos. Ea editio aliquoties repetita est, Lipsiae et Heidelbergae. Textus sumtus est ex ed. Micylli, cuius tamen castigationes valde contemnit l. c. Ab illo tempore nulla nova recensio facta est ante *Heinsios*. Interea prodiere Ovidii opera Francof. 1601. etc. apud Wechel. tribus partibus, uno volumine, in qua editione praeter Bersmanni, Micylli et Ciofani observationes integras in Ovidium occurrunt in *Heroides* Antonius Volscus, Hubertinus Clericus, Ianus Parrhasius, Io. Scopa, Aaron Battaleus, Gaudentius Merula, Domitius Calderinus, Georg. Merula et Baptista Egnatius et Guid. Morilloni argumenta: in *libros amorum* Dominicus Marius Niger, in *artem et remedia amoris* Barthol. Merula, in *Nucem* Niger et Erasmus, in *poëma de medicamine faciei*, iterum Niger, in *libros fastorum* Antonius Constantius Fanensis, Paulus Marsus, Phil. Melanthon et Vitus Amerbachius, in *Tristium libros* et *de Ponto* Barthol. Merula et Amerbachius, in *Metamorphosin* Raph. Regius, in *Ibin* Zarottus. Confer de hac editione Thom. Chrenium parte VIII. animadvers. sub init.

Hinc res ad Heinsios rediit: initio facto a patre *Daniele* ex cuius recensione, cum castigationibus Scaligeri, et Gruteri prodiit Ovidius Lugd. Bat. apud Elzivir 1629. et Amst. 1630. forma minore, 1649. et 1653. Sed ea tantum velut prolusio maioris operis fuit, quod filius *Nicolaus* perfecit, verus Ovidii Sospitator. Nam is multis anti-

quis libris, per opportunitatem itinerum per omnes cultioris Europae partes, collatis, *d*) textum accurate correxit, eiusque exempli editio optima facta est Amst. 1661. 12. Voll. 3. (nam et ante a. 1612. editio extat) additis eius notis eximiis: quas tamen se curis secundis castigatas et auctas daturum promisit. Sed promissa non potuit perficere: eratque *P. Burmanno* destinatum, hoc dono mactare orbem eruditum. Is igitur in tractandis poëtis felicissimus vir post Heinsium, idem poëta, ut Heinsius, excellens, post editionem minorem a. 1714. 1417, 12. sine notis, dedit editionem Ovidii praestantissimam qua textum, qua notas Amst. 1727. 4. Voll. 4. Nam et textum Heinsianum iterum castigavit e libris scr. et edd. addiditque praeter aliorum notas, Micylli, Ciofani, Dan. Heinsii et excerptas variorum, *Nic. Heinsii* pleniores longe et suas. In T. I. sunt Heroides, Libri Amorum, Ars amatoria, Remedia amoris, Medicamina Faciei, Halieutica, Epicedion Drusi, Sabini Epp. III. T. II. *Metamorphoses*, cum earundem et Constantii Fanensis et Glareani notis. T. III. *libri Fastorum* cum eorundem et Caroli Neapolis notis, et *libri Tristium* et *Epp. e Ponto.* T. IV. *Ibis* cum notis eorundem et Iac. Constantii Fanensis et Dion. Salvagnii Boessii, Appendix continens Vitas et Elogia Ovidii, praefationes Virorum doctorum et tres Indices. Dedicata est haec editio Duci immortali copiarum Caesarearum *Eugenio*, Carmine pulcherrimo de laudibus illius Ducis. Textus Ovidianus ipse ductus ex ed. Heins. 1668. cum notis Nic. Heinsii plenioribus ex edit. Burmann. prodiit Lipsiae 1758. 8. Voll. 2. cura *Io. Frid. Fischeri* cum praef. nostra.

Nic. Heinsii textum secuti sunt etiam *C. Schrevelius* in ed. cum notis variorum Lugd. Bat. 1661. 8. et *Burchardus Cnippingius*, qui cum integris eiusdem Heinsii et selectis variorum notis vulgavit ex officina Hackiana, Lugd. Bat. 1670. 8. tribus Voll. recusum Amstelodami a. 1683. in offici-

d) De his Codd. vid. P. Burmannum secundum in Commentariolo de Vita N. Heinsii, qui est in Capite Adversar. Heinsianorum.

officina Blaviana: *Daniel* etiam *Crispinus*, qui in usum Delphini Nasonem edidit cum interpretatione et notis, Lugd. 1689. 4. quatuor voluminibus, cuius indicem omnium vocabulorum, non accuratissime confectum esse notat Thom. Crenius III. animadvers. pag. 1. seq. sed correctior factus est in repetitione huius editionis Venet. 1731. 4. Cum notis variorum recusus Ovidius est Amstel. 1702. 8. tribus Voll. ex recensione *Mich. Mattaerii*, Lond. 1718. 12. tribus Voll.

Fuerunt etiam qui loca quaedam emendare et explicare tentarent, in his *Io. Iac. Caposerreus*; cuius coniecturae in loca quaedam Ovidii prodiere Lips. 1658. ex quibus nonnulla excerpsit P. Burmannus. Christoph. Aug. Heumannus in parergis Criticis, et in Actis Eruditor. a. 1716. p. 452. seq. et T. VI. supplem. p. 77. etc. Sed audacius plerumque, ut solebat. Viri porro quidam docti in Obss. Miscell. Dorvill. Vol. II. p. 21. seq. V. p. 73. s. VI. p. 195. s. 412. s. 531. s. VII. p. 287. s. et 461. seq. Mittimus libellos pueris destinatos sententiarum, phrasium etc.

Belgice interprete *Vondelio* Amstelod. 1674. 4. et per *Abrahamum Valentinum*, Lugd. 1678. 12. tribus Voll. et cum Ludovici Smidii observationibus. Amst. 1701. 4.



CAPVT XVI.

DE GRATIO, ET DE LABERIO AC PVBLIO SYRO MIMIS.

I. Gratii aetas. II. Editiones. III. De Laberio, eiusque fragmentis. IV. De Mimis Publii Syri.

I. GRATIVS, patria Faliscus, a) Poëta vix cuiquam veterum memoratus, nisi uni Ovidio, aequali suo, qui lib. IV. ex Ponto Epist. ult. eum laudat his verbis:

Aptaque venanti Gratius arma b) daret.

Vtrum Manilius quoque ad eum respexerit II, 44. ut in notis ad hunc locum coniiciebat Iosephus Scaliger, vide sis disputantem Barthium LVII. 17. Adversar. Scaligeri sententia placebat etiam Bartholino de Medicis p. 108. et P. Burmanno. Certe Nemesianus praeter rem se gloriatur primum de venatione latinum poëma condidisse:

Castaliusque mihi nova pocula fontis alumno
Ingerit, — ducitque per avia qua sola nunquam
Trita rotis — — —

II. Exstat eius *Cynegeticon*, sive de Venatione carmen, Versibus hexametris, pure et eleganter scriptum, sed extrema parte mutilum. Prodiit primum cum c) Ovidii Halieu-

a) Gratius v. 40.
At contra nostris imbellia lina Faliscis
Hispanique alio spectantur Saetabes usu.
Ad nomen suum alludit vers. 74. et 216.

b) Gratius v. 23.
Carmine et arma dolo venanti, et persequar artem
Armorum cassesque plagarumque ordiar astus.
Ita enim potius videtur legendus hic locus, pro eo, quod Vlitius edidit, *et arma dabo venandi.*

c) Halieuticon hoc quoque Gratio tribuit Vlitius, sed perperam omnino, ut superiore capite e Plinio annotavi.

Halieutico; Nemesiano et Calpurnio Venetiis apud Paulum Manutium 1534. 8. quae editio, manu Vlitii notata, fuit apud Marquardum Gudium. Eodem anno eademque forma recusa est Augustae Vindelicorum. *Georgio* autem *Logo* Silesio Gratium, Ovidii Halieuticon et Nemesianum nos debere, ex illius ad Antonium Fuggerum Epistola apparet, qua edendos refert accepisse se illos Romae a Ioanne Lucretio Aesiandro Germano, qui illos descripserat e vetustissimo Codice, quem *Sannazarius* Langobardicis scriptum litteris e Gallia aliquando in Italiam secum attulerat. Casp. Barthius ait, se habere editionem antiquissimam s. l. et a. literis Langobardicis, repertam in coenobio quodam Sylvae Hercyniae; sed in fine adscriptum nomen Andr. Lotteri, unde Lipsiensis fuerit necesse est. Vlitius eam editionem confictam esse, saepe dicit: quod sane est durum de tali viro: sed tamen nemo quisquam illius editionis exemplum se vidisse tradidit. Itaque eius rei iudicium in medio relinquendum. Ab eo tempore post editionem Lugdunensem 1537. 8. ap. Gryph. Gratium cum Nemesiano et Calpurnio notis illustratum ediderunt *P. Pithoeus* inter poëmata vetera Paris. 1590. 12. recusa Genev. 1596. 8. item Antverp. apud Tornaes. a. 1608. cum Nemesiano et Calpurnio; post *Caspar Barthius d*) Hanov. 1613. 8. cum Commentario simili ceteris suis, i. e. festinato, nec expolito satis. Post eum felicius longe, et cum Commentario copiosiori quidem, at erudito, *Ianus Vlitius* Archigrammateus Bredanus, cum Nemesiano Lugd. Bat. 1645. 12. edidit, qui tamen Barthio nimis insultat; unde *Matthaeo Lago* ansam dedit vindicias, sed infelices, nominis Barthiani scribendi, in quibus notae ac praefatio Vlitii ad examen revocantur, Lips. 1659.

d) Tribus illis Poëtis Barthius adiecit fragmenta *Vestricii Spurinnae*, quae ait se primum edere e Codice MSto, distinxisseque in Odas IV. quarum prima utcunque constituta inscribitur *de contemtu saeculi ad Martium*. Vnde Christiani Scriptoris esse suspicatur, vel testatur se suspicari. Ceteras tres brevissimas valdeque hiulcas ac laceras exhibet ibidem Barthius. Verum conferenti apparet haec Spurinnae universa depromta esse ex Plinii iunioris lib. III. Epistola 1.

1659. 4. Ediderat etiam idem Vlitius in ſcriptores Venaticos diligenter a ſe recenſitos neque indocte illuſtratos curas ſecundas circa a. 1655. excuſas. Extat et editio Londinenſis Gratii et Nemeſ. a. 1699. cum notis *Th. Iohnſoni*, ſed tironibus ſcriptis, additis tamen et variis lectionibus e MSS. duobus. Splendidior eſt editio *Gratii* in corpore Poëtarum Venaticorum per *Sigeb. Havercampum* edito Lugd. Bat. 1728. 4. Titulus operis, quod ſemel commemoraſſe ſuffecerit, eſt: Poëta latini rei venaticae et Bucolici antiqui, *Gratius* et *Nemeſianus*, cum notis integris Barthii, Vlitii, Iohnſoni, et ineditis *Ed. Brucei*, Britanni, et *Matth. Lagi* diſpunctione notarum Vlitianarum; *Calpurnius* cum notis integris *Rob. Titii*, *Hug. Martelli*, *Barthii*, *Vlitii*, *Diomedis Guidalotti* et *Badii Aſcenſii*, et obſervationibus *Georg. Kaempferi* in tres priores *Calpurnii* Eclogas. — Sed huic ſuceeſſit haud paullo melior *Petri Burmanni* in Collectione *Poëtarum minorum*, ut inſcripſit opus, in quo agmen ducit Gratius cum notis variorum et ſuis (Leidae a. 1731. 4. Voll. duobus) in quibus textum ad fidem librorum ſcr. et edd. recenſuit, et verba reſque bene illuſtravit. Etiam ſuperioris editoris notas ſaepe caſtigat merito.

Gratium e latino Anglicum fecit et cum eruditis notis edidit *Chriſtophorus Waſius*, (cuius Senarius ſive liber de legibus et licentia veterum latinorum Poëtarum exſtat) Lond. 1654. 12. hanc metaphraſin laudat eius diſcipulus Henricus Newton Epiſt. 53. ad Gisbert. Cuperum.

III. D. LABERIVS, eques Romanus, a Iulio Caeſare exoratus, ut ingrederetur ſcenam, et quos ſcriptitarat mimos ipſe *e*) ageret, *f*) quo facto ſtatim donatus quingentis ſeſtertiis et annulo aureo e ſcena per orcheſtram in quatuor-

e) Gell. XVII, 14. Sveton. in Caeſare c. 39. Macrob. II, 2. Saturnal.

f) De Laberio mimo adeundus etiam Petrus Baelius in Dictionario hiſtorico. Alius *Q. Laberius Durus*, cuius mentio apud Caeſarem lib. V. de bello Gallico c. 15. Huius tumulum oſtentant in Anglia Cantiani, licet certa parum fide, ut videtur Ioanni Bartely in Antiquitatibus Rutupinis (Richborough) Oxon. 1711. 8. p. 73.

tuordecim transiit, et ita dignitatem equestrem recuperavit amissam per illam actionem scenicam: sed cum tamen inde macula ei adspergeretur, questus est de ea re venustissimo carmine, quod servavit Macrob. Saturn. II, 7. Nihil ex eius Mimis, Horatio etiam laudatis, exstat praeter pauca quaedam fragmenta a *Rob. Stephano* collecta in fragmentis Poëtarum latinorum p. 138-144. Obiit Puteolis maior sexagenario, decem mensibus post Caesarem interfectum, auctore Eusebio. *Mimi* Laberii a veteribus citantur hi, quos observavit idem Christophorus Wase Exercitatione tertia Animadversionum Nonianarum: *Alexandria*, Gell. *Anna Perenna*, id. et Non. *Aquae calidae*, id. *Aries* Tertull. de Pallio, Charis. *Augur*, id. *Aulularia*, Non. *Belonistria* seu *Frugio (Phrygio)* id. *Cacomnemon*, Gell. *Caeculi*, Charis. *Cancer*, Prisc. Tertull. Apologetico. *Carcer*, Non. *Catularius* vel *Scylax*, Gell. Non. *Centonarius*, Non. *Colax*, id. *Colorator*, Gell. *Compitalia*, Non. Gell. *Cophinus*, iid. *Creanter*, *g)* Charis. *Ephebus*, Macrob. *Fullones*, Gell. Non. *Galli*, iid. *Gemelli*, Gell. *Imago*, Non. *Lacus Avernus*, Gell. Non. *Marcus*, Non. *Natal*, *h)* Gell. *Necyomantia*, id. *Nuptiae*, Non. *Panilici*, id. *Paupertas*, id. *Piscator*, Charis. *Restio*, Gell. Non. *Salinator*, Gell. *Saturnalia*, id. *Sedigitus*, id. *Sorores*, Gell. Non. *Staminariae*, Gell. *Taurus*, Diomed. Praelicenter verba latina Laberium finxisse notat Gellius XVI, 7. De mimis confer Vossium in Etymologico, de pantomimis Cassiodorum etiam lib. I. Epist. 20. et Benedictinos notis ad S. Ambrosium Tom. 1. p. 1026. De utrisque, Octavii Ferrarii et Nic. Calliachii dissertationes et Ferd. Mendozam ad Concil. Illiberitanum T. 1. Labbei p. 1321. seq.

IV. PVBLIVS Mimographus, natione *Syrus*, ob ingenii solertiam a Patrono suo manumissus, Iuliique Caesaris Imp. qui Laberianam asperitatem ferre nequibat, favorem expertus, obiit, incertum quo anno Augusti Imp.


Eius

g) an *Creon?* *h)* an *Natta?*

Eius praeter Hieronymum in Chronico ad Olympiad. 184. saepius meminit cum laude Seneca Philos. Plinius 8, 51. Hist. Gellius 17, 14. Macrobius 2. Saturnal. 2. et 7. et Petronius *Ciceronem disertiorem, Publium honestiorem* ait fuisse, ad quem locum conferendus Dousa lib. I. praecidan. in Petronium cap. 17. Pueris ediscendos olim traditos fuisse Publii Syri versus colligas ex Hieronymi ad Laetam Epistola. Ex *Mimis* eius sive *sententiis* lepidis et ad communem usum accommodatissimis pervenerunt ad nos non paucae, sive servatae ab antiquis, Seneca, Gellio, Macrobio, sive separatim in codicibus antiquis descriptae. Sane leguntur sub Publii nomine, legendae saepius pueris ac totae ediscendae sententiae eiusmodi 982. singulis versibus Iambicis expressae vel trochaicis, licet in his sint fortassis aliquae, quae ipsum non habeant auctorem. Inter editiones praestare putem illam, quae secundum litterarum seriem digesta, et a *M. Velsero* a. 1608. ex MS. Frisingensi locupletata cum notis ab *Adamo Sartorio* curatis subiicitur M. Antonii Mureti Orationibus et Epistolis, Ingolstadii, ac Lipsiae ex editione Cl. Iacobi Thomasii, iterum iterumque recusis et novissime Veronae 1729. 8. tomo quarto Mureti operum. Edidere eosdem Mimos, sed nec numero eodem, nec ordine *Desiderius Erasmus*, qui e Codice Cantabrigiensi recensitos ac castigatos paraphrasi etiam explicavit Basil. 1502. 4. *Georgius Fabricius* viginti antea ineditas P. Pyri sententias primus vulgavit in sua sententiarum collectione excusa Lipsiae 1550. et cum aliis sententiis a se collectis Lipsiae 1567. 8. *H. Stephanus* ad calcem sententiarum e Comicis, graecis et latinis a. 1563. forma minore. *Ianus Gruterus* una cum tragoediis Senecae a. 1604. 8. apud Commelin. et in Florilegio Ethico Politico sententiarum ac proverbiorum cum suis notis edito Francof. 1610. 8. tribus volum. in quo opere T. I. pag. 159. seq. occurrunt P. Syri ac Senecae sententiae aureae recognitae ad MSS. Palatinum et Frisingense, additis p. 793. seq. Gruteri notis. *Dionysius Gothofredus* ad calcem

Sene-

Seneca, *Tan. Faber* ad calcem Phaedri, *P. Pithoeus* inter Poëmatia antiqua, et *Iosephus Scaliger*, qui Graecis etiam versibus selectas sententias 375. reddidit. Vide eius Poëmata Graeca a Petro Scriverio edita Lugd. Bat. 1615. 12. p. 115. seq. Occurrunt etiam P. Syri sententiae, ne de Morelliana editione memorem Paris. 1611. 8. in *Theodori Zwingeri* morum Philosophia 2. Tomis edita Basil. 1575. 8. Ex MSto Frisingensi easdem recensuit post Gruterum *Huppertus Faber* Vbius Agrippinas Venet. 1618. Denique sententiae P. Syri 352. cum notis et comm. copiosiore postumo *Iani Gruteri*, antea inedito, atque ad calcem reiecta *Graeca* metaphrasi *Iosephi Scaligeri*, centum aliquot versibus ex autographo ipsius locupletata prodierunt nitide excusae Lugd. Bat. 1708. 8. curantibus Sigeberto Haverkampo et Abrahamo Preygero. Cum versione Graeca Scaligeri, notisque Erasmi et *Emanuelis Swedbergii*, Vpsal. 1709. 8. *Gerhardi Vossii* filii notae et castigationes, quas cum *H. Ernstii* variantibus lectionibus circa annum 1637. edere voluit, haud viderunt lucem. Vide Vossii Patris Epistolam 299. ad Salmas. *Gallicam* Caroli Montani, qui circa a. C. 1500. floruit, Metaphrasin memorat in Bibliotheca Gallica Crucimanius. Denique editioni Phaedri subiecit etiam *R. Bentleius* ad calcem Terentii, cum notulis criticis.



CAPVT

CAPVT XVII.

DE

M. VITRVVIO POLLIONE.

I. *Vitruvii nomen et aetas.* II. *Libri X. de architectura.* III. *Cardani de Vitruvii ingenio iudicium.* IV. *Editiones.* V. *Comment. et Interpr.* VI. *Versiones.* VII. *Epitome.* VIII. *Index Scriptorum, et Artificum a Vitruvio memoratorum.*

I. M. VITRVVIVS *a*) POLLIO, patria Veronensis, ut multis et probabilibus argumentis demonstrat Scipio Maffaeus in Verona illustrata P. II. scriptor non artis suae tantummodo inprimis peritus, sed, quod ipse in architecto requirit, alias quoque scientias et disciplinas doctus, et in Graecis scriptoribus diligenter versatus, etsi in dictione eius plebeii quid notarunt eruditi. Iulio Caesari se architecturae scientia innotuisse testatur praefatione libri I. Militavit in castris Iulii Caesaris, machinis bellicis praefectus, ut ex lib. 7. cap. 4. et lib. 10. cap. 16. colligit in Almagesto Ricciolus. Alius fuit Vitruvius Vaccius Fundanus, cuius mentio apud Livium 8, 19. seq. Alius Vitruvius Secundus apud Lampridium in Commodo, ubi male Casaubonus Victorini nomen reponit. vide Reinesium p. 340. Var. lect. Alciatus 8, 5. parergon iuris, profert ex Veronensi lapide *b*) hanc inscriptio-

a) Praenomen in ed. pr. et ed. Flor. 1496. etc. *Lucius* est: in quibusdam Italicis M. L. Repertum est etiam A. sed M. frequentissime, unde praefert etiam Polenus. Scribitur et *Victruvius*, ut mittam Inscriptionem paullo post allatam, in edd. pr. Sulpicii et Flor. Mentionem eius fecere e veteribus Plinius, Servius, Sidonius Apollinaris, ac si vera est Reinesii emendatio pag. 118. Var. Lect. ut pro βεγγειδίῳ βιτρουΐου legamus, Isaacus Tzetza ad Lycophronem p. 164. Videtur etiam illo usus fuisse Palladius in uno itemque altero loco librorum de re rustica.

b) Veronae inter eruditos Veronenses in summa Curiae fronte primum locum obtinet Vitruvius teste Onu-

ptionem: L. VICTRVVIVS L. L. CERDO ARCHITECTVS. Idem autem, inquit, est Cerdo quod Pellio. Sed ille Vitruvius Pellio, quem pro Pollione Alciatus obtrudit, recte a Philandro, a Barthio lib. 1. Adversar. c. 10. et Petro Burmanno praef. ad T. IX. part. 6. thesauri rerum Italicarum exploditur. Maffaeo in Verona illustr. probabile videtur, hunc Vitruvium Cerdonem fuisse libertum Vitruvii Architecti. De M. Vitruvii Epitaphio, quod prope Formias inspexit, ut aiunt, Alphonsus Rex, mentio etiam e Panormitano de dictis Alph. I, 47. apud Aeneam Sylvium p. 476. Opp. Ex sacris litteris Vitruvium profecisse, atque ex Mose architecturae praecepta, licet dissimulet, hausisse (quod velit Villalpandus T. 2. in Ezechielem p. 45.) non magis verisimile mihi videtur, quam ex Vitruvii praeceptionibus veram templi Hierosolymitani imaginem, pulcherrima licet ac splendidissima illa sit, a Villalpando nobis explicari, quam aliam longe exhibeat nobis Hebraeorum filii. De plebitate sermonis latini, quam in Vitruvio viri eruditi observarunt, notata nonnulla exstant in *Pihlmanni* Romano bilingui sive diss. edita Upsaliae in 8. de differentia linguae plebeiae et rusticae tempore Augusti a sermone honestiore hominum urbanorum. Vide memorias Trevoltinas a. 1711. pag. 914. nec non Io. Nicolaum Funccium de aetate virili Latinae linguae parte altera p. 299. seq. Vitam Vitruvii scripsere olim plures, *Daniel Barbarus*, *Philander* et *Bernardinus Baldus*. Baldi vitam Polenus addidit libro de Vitruvii edd. cum eruditis notis suis. Diligentissime illustravit res Vitruvii *Maffaeus* in Verona illustrata P. II.

II. Exstant eius *de architectura* ad Imp. Augustum *libri X.* ab aetate iam provecto *c*) scripti. Formae sive σχή-

Onufrio Panvinio antiquitatt. Veronens. lib. VI. p. 147. qui tamen Veronensem architectum hunc L. Vitruvium Cerdonem Lucii libertum non diffitetur se diversum existimare a scriptore M. Vitruvio Pollione Romano ingenuo.

c) Vitruvius lib. 2. praef. *Mihi autem, Imperator, staturam non tribuit natura, faciem deformavit aetas,*

σχήματα, quae ſubinde ad calcem ſingulorum librorum ſubieciſſe ſe Vitruvius innuit, ut VIII, 6. cum magna lectorum iactura interciderunt, etſi ab editoribus et Philandro partem ex ingenio utcunque reſtituta. Diſtributionem vero capitum in editione Florentina, quam aliae ſequuntur, multis in locis ineptiſſimam eſſe, et Vitruvium perpetua oratione libros ſuos ſcripſiſſe, probe notavit idem Philander. E latinis veteribus ante Vitruvium de eodem argumento ſcripſerant Fuſſitius, Terentius Varro, et Publius Septimius. In Labbei Bibl. nova MSS. p. 384. memorantur e Catalogo auctiore Scipionis Tettii *Vitruvii Rufi et Epaphroditi Architectonica.* Non integrum nos Vitruvium, ſed tantummodo librorum eius Epitomen habere putabat Barthius XXX, 7. Adverſar. ſed neſcio quomodo vir ille doctus pronus fuit ad Epitomas in veterum monumentis ſine magna cauſa ſubodorandas. In praef. libri I. ait ſe Vitruvius M. Aurelio et P. Minidio (MS. Numidio) et Cn. Cornelio ad apparationem balliſtarum et ſcorpionum, reliquorumque tormentorum perfectionem praeſto fuiſſe. Aedilitatem Varronis et Murenae memorat II, 8. Divum Caeſarem II, 9. *C. Iulius Maſiniſſae filius cum patre Caeſare militavit, is hoſpitio meo eſt uſus* VIII, 4. Cum obſervaſſet, plures de architectura praecepta voluminaque non ordinata ſed incepta, uti particulas errabundas, reliquiſſe, praefat. 4. *Corpus Architecturae* ſcribere ſe profeſſus lib. 2. cap. 1. primo volumine de artis officio tradit, atque omnium paene ſcientiarum peritum vult eſſe architectum, perinde ut coquum Sicon apud Athenaeum IX. p. 378. 381. ſq. 404. ſq. ſecundo de naturalibus materiae rebus, quem habeant uſum: tertio et quarto de aedibus ſacris, et de Doricis columnis Corinthiiſque et Tuſcanis atque Ioniis: quinto de locis publicis, foro, aerario, carcere, curia, theatro, porticibus, balneis, palaeſtris, xyſtis, portubus: ſexto de privatis aedificiis urbanis

tas, valetudo detraxit vires. Libro VIII. cap. 4. refert hoſpitio ſuo uſum C. Iulium Maſiniſſae F. qui cum Patre Caeſare Iulio militavit.

banis rusticisque, ex more et usu tum Romanorum tum Graecorum: septimo de expolitionibus ad firmitatem et ornatum, ubi multa etiam de coloribus: octavo de aquis et aquae ductibus: nono de gnomonicis rationibus, *d*) cuius libri praefatio in editis iusto citius abrumpitur, eius enim pars sunt adhuc integra tria capita priora: decimo denique de machinationibus.

III. Hieronymus Cardanus lib. 16. de subtilitate, Vitruvium annumerat duodecim viris, quos prae caeteris ingenii et inveniendi facultate valuisse existimat, qui sunt Archimedes, Aristoteles, Euclides, Scotus, Iohannes Suisset, cognomento Calculator, Apollonius Pergaeus, Archytas Tarentius, Mahometus Ibn Moses, Algebraicae inventor, Alchindus, Heber Hispanus, Galenus, et Vitruvius. Hunc vero postremum ait non ultimo, sed primo loco ponendum, si propria, non aliena inventa conscripsisset. Idem Cardanus in libro de scriptis propriis affirmat, se commentarium scribere coepisse in Vitruvium, postea res potius sectatum, non pauca Vitruviana explicasse in libris de rerum varietate et subtilitate.

IV. Vitruvii libri primum reperti sunt a Poggio in monasterio S. Galli, ut ipse memorat Epist. p. 346. Huius Codicis mentio nulla est apud Polenum, nec, is quo abierit, reperi traditum. Nec vere iudicare audeo, an ex eo cetera scripta exemplaria fluxerint omnia, cum eorum varietates et consensus nondum satis cognita sint.

De editionibus Operis Vitruviani et editoribus, unus satis diligenter scripsit *Io. Polenus* proprio Commentario, Patavii a. 1739. 4. edito. Nam ipse in animo habebat, novam editionem curare. Hunc igitur in recensendis iis sequemur.

Princeps igitur editio est *Io. Sulpicii* Verulani, adiuncto *Frontino* de Aquaed. quae loci et anni notam non habet, sed *Romae* facta videtur, in societatem laboris vocato *Pomponio Laeto*. Verba Graeca singula latinis lite-

d) Confer Vossium de scientiis Math. c. 47. §. 1. p. 279.

ris expressa sunt, ubi plura erant aut versus Graeci, vacuum spatium relictum est; item ubi figuras additas dicit Vitruvius, omnino una tantum figura inest L. I. c. extr. Eam cum MSS. magis quam ceteras, notat Polenus, qui et lectiones eius ceteris praefert. Ceterum haec editio ita rara est, ut de ea dubitaret Card. Quirinus, in Brixia literata, T. I. p. 122. Eius exemplum est in Bibliotheca Senatus Lips. habemusque et ipsi. Contra editio, quae *Hieron. Advocato* tribuitur ab eodem Card. Quirino l. c. p. 120. ex loco epistolae Io. Britannici, nulli usquam visa, est commentitia.

Sequuta est editio Florentina a. 1496. fol. facta, addito *Frontino* et opusculis quibusdam Politiani, non constat, a quo. In orthographia est accuratior Sulpiciana, in ceteris fere consentit: figuras duas habet. Anno post Venetiis editus est Vitruvius apud Sim. Papiensem Bivilaquam, repetita et Florentina, sed mutato tamen, interdum textu, et additis duabus aliis figuris. Iterum Venetiis a. 1511. fol. apud Ioan. de Tridino. Operi praefuit *Iucundus Veronensis*, qui textum in multis mutavit, in quibusdam e MSS. sed pluribus ex ingenio, ut ipse indicat, additis etiam figuris: bene ceterum de Vitruvio meritus. Ex hac ducta est editio Florent. 1513. 8. apud Iuntam, sed castigata iterum a Iucundo: sed tamen ferme ubique cum Veneta consentit: unde patet frustra hanc editionem a plerisque pro praecipua haberi. Ea repetita est a. 1522. item a. 1523. 8. Anno autem 1521. Comi in fol. prodiit cum versione Italica et Commentario auctore *Caesare Caesariano*, de quo videndus Polenus, iuvante Bono Mauro et Bened. Iovio, ut de ipsa hac versione, quam Critico non negligendam iudicat: alia similis Venetiis 1524. fol. cum epistola *Fr. Lucii Durantini*, repetita e Caesariana. Figurae sunt ex ed. Iucundi. Sed Italice saepius post editus est Vitruvius, de quibus videndus Polenus: nos latinas edd. curamus.

Sequi-

Sequitur editio Argentor. 1543. 4. adiuncto Frontino cum Indice copioso, in qua nihil e MSS. novi boni accessit. Anno post 1544. Romae primum prodiere *Philandri* Commentarii in Vitruvium, repetiti anno post Parisiis 8. sed sine textu Vitruvii. Ii primum cum textu Vitruvii prodiere Argent. 1550. 4. textus est idem qui anni 1543. Sed a. 1552. cum iisdem prodiit Vitruvius Lugd. B. apud Tornaesios, 4. cui editioni ipse Philander praefuit, secutus textum ed. 1513. a qua tamen interdum recessit, ex ingenio nonnullis mutatis. Additae sunt V. L. ed. Argent. Commentarius est castigatior et tertia parte auctior, ut titulus indicat. Figurae sunt diligenter, nec ineleganter factae; sed tamen aliquot locis nullae sunt, ubi Vitruvius se figuram addidisse dicit. Hanc editionem deligendam esse, si quis unam deligere ex omnibus velit, iudicat Polenus. Ea repetita est a. 1586.

Post Lugdunensem nulla facta est editio ante a. 1567. quo prodiit Vitruvius Venetiis, cum *Dan. Barbari* Commentariis copiosis, figuris multis et Indicibus. Textus est e Tornaesiana maxime, sed quibusdam tamen lectionibus, ex ingenio, ut videtur, mutatis, non admonito lectore. In commentariis omnia explicare studuit, usus etiam Philandri quibusdam notis, ut ipse singulis locis indicat, cum Philander difficiliora modo explicare instituerit. Vltima, post longum intervallum, facta est editio Amst. 1649. f. per *Io. de Laet*, Antverpiensem, quam vulgo optimam vocant, scil. propter splendorem chartarum. Textum se, dicit Laetus, secutum a. 1552. sed id non est diligenter factum, sicut nec Philandri Notae integrae sunt, ut promittitur in titulo. Omnino ille parum diligenter in tota re, in excerpendis aliorum scriptis, ut Barbari, Salmasii, versatus est. Accessere Elementa Architecturae collecta ab *Henr. Wottono*, *Baldi* Lexicon Vitruvianum (interdum decurtatum) eiusdem Scamilli impares Vitruviani, de Pictura L. III. *Leonis Baptistae de Albertis*: de Sculptura Excerpta e *Pomp. Gaurici* Dialogo: *Ludov.*

Demontiosi Comm. de Sculptura et Pictura, et Indices Varii: quae pleraque poterant omitti, cum ad Vitruvii opus nil prosint.

Quo magis erat optandum, ut *Io. Polenus*, qui post absolutum Frontinum edere Vitruvium cogitabat, absolveret opus institutum: ad quod quam paratus a doctrina necessaria fuerit, Frontini editio docet, quam ab libris scr. et edd. iisque diligenter excussis, commentarius de edd. demonstrat, in quo et de Codd. scriptis, quorum notitiam habebat, etiam excerpta, agit inde a pag. 130. Nam vere queritur P. Wesseling Obs. I, 15. nondum satis diligenter curatum esse textum Vitruvii: et suppetunt in Bibliothecis adhuc multi Codices nondum ad emendandum collati, ut e Poleni Commentario patet: et restant alii non ab eo memorati, ut in Bibl. Franequerana; ex quo quidam viri docti loca quaedam textus Vitruviani emendarunt, de quibus mox. Ex Italicis MSS. sumtae videntur multae lectiones, quae sunt in exemplo Vitruviano Laeti, quod ex Italia allatum est in Daniam, et nunc est in Bibliotheca Scholae Ripensis. Ex eo specimen hoc *e*) apponemus:

Pag. I. edit. Amstelod. 1649. fol. legitur: *Cum vero attenderem, te non solum de vita communi omnium curam publicaeque rei constitutionem habere*) noster emendatius: — *te non solum de vita communi omnium publicaeque rei constitutione curam habere.*

Metuens ne non apto tempore interpellans) Noster m. n. n. a. *tempore te interpellans.*

Pub. Minidio) *Numidio*, quod magis placet. Est enim *Minidii* obscurum in historia Romana nomen.

Tormentorum refectionem) *perfectionem.*

Commoda accepi) *commoda semper accepi.*

Con-

e) Omnes has lectiones a Chr. Falstero ad Fabricium missas, hic misit ad Polenum, ut ipse commemorat in libro cit. ubi de MSS. agit: sed quia Polenus non edidit opus, hoc specimen omittere noluimus.

Conscripsi perscriptiones) noster distinguit: *per scriptiones.*

Cap. I. Pag. 2. *Solertia ac ratione proportionis*) *solertia ac rationis proportione*, quam lectionem in notis iam ex Codice Arundeliano notavit V. C. *Ioannes de Laet* Antverpianus.

Rem persecuti) *consecuti*, quod praeferendum.

Et ut litteratus sit, peritus Graphidos, eruditus Geometriae et Optices non ignarus) *quare literarum oportet ut sit peritus, non ignarus Graphidos, eruditus Geometriae et non ignarus.*

De quibus argumentis rationem) noster *ornamentis* habet pro *argumentis*, fortasse non male.

Caryatides) *Carratides*, quod vitiosum utique est. *Carya* enim civitas erat Peloponnesi (vide *Vitruvium* lib. I. c. I.) *Carra* vero Mesopotamiae (vide *Isidorum* Lib. 15. Orig. c. 1.) de qua versus est *Lucani:*

miserando funere Crassus
Assyrias Latio maculavit sanguine Charras.

Pag. 3. *Haec enim Philosophia praescribit*) noster, *et haec enim ph. pr.* forte per tmesin, pro *etenim.*

Cap. II. Pag. 5. *effectus operis cum qualitate.*) *cum quantitate.*

Species dispositionis) *compositionis.*

Pag. 6. *ceterisque partibus symmetros est, sic est* —) *cet. part. symmetriae est eurythmiae qualitas, sicuti* — confer notas *Ioannis de Laet* ex Philandro et Codice Arundeliano.

Vt et columnarum crassitudinibus aut e triglypho) *aut e columnarum* —

Pag. 7. *temperabitur earum institutio* —) *temp. eorum inst* —

Si enim interiora perfectus habuerint —) leg. *prospectus.*

Cap. III. Pag. 8. *et ex quaque materia*) *atque e materia.*

Et sine impeditione, usu locorum, dispositio, quae distincta lectio mihi magis probatur.

Cap. IV. Pag. 8. *non pruinosus*) noster legit *pluviosus*.

Aeribus firmitatem eripit, et vaporibus fervidis exugendo —) leg. *a rebus firmitatem et vaporibus fervidis eripit exugendo* —

Si refrigeretur tinctum —) *refrigeratur*.

Pag. 9. *non minus etiam quod quae* —) *non minus etiam quae* —

Nam ex principiis) *namque* — Veteres editiones habent *nam quia* —

Omnia corpora sunt composita) noster *ut omnia c. s. c.*

Et his mixtionibus —) *ita mixtionibus* —

Ergo in quibus corporibus cum —) *Ergo in quibusque* etc. quod rectius est.

Dissolvit que caetera fervore.) *dissolvitque a caeteris fervore.*

Non minus aeris etiamque terreni —) *n. m. a. e. terrae* —

Et aeris multum) *aeris multum*, quod elegantius.

Qui sunt circa Pothereum flumen.) — *Catarhactum flumen*, sive *Cataractum*. Confer. Lib. VIII. c. 2. p. 155. et notas ibidem.

Pag. 10. *quatuor millibus passibus*) *quatuor millia passibus.*

Cap. V. Ibid. in lemmate: *De fundamentis murorum et turrium.*) *De fund. mur. et turrium constitutionibus.*

In moenium collocandorum —) *in moenibus collocandis*, quam lectionem se in Codice MSto invenisse testatur *Io. de Laet* in notis ad hunc locum.

Pag. 11. *ad loca praecipitia.*) — *praecipua* —

Perpetuae taleae oleagineae —) noster difficultatem, quam interpretes subeunt, tollere prorsus videtur legendo *tabulae* pro *taleae*.

Nu

Nec tempestas, nec caries —) *nec tempestates* —
Sagittae emissione,) — *emissionis*, sc. intervallo spatio.
Interior turrium) *interiora* —
In rotundationibus autem —) *in rotunditatibus autem* —

Quod neque arietes neque suffosiones) — *neque suffossores*, ὀρυγας *Vitruvius* noster vocat Lib. X. cap. 21. pag. 234.

Pag. 12. *poterit ulla ratione* —) *non poterit* — quae lectio omnino genuina est.

Seu locorum proprietates) *sed loc. propr.*

Cap. VI. Ibid. *Simul ac autem fervere coeperint,*) — *coeperunt.*

Pag. 14. *quae fiunt passus semel et tricies millies mille, et quingenties mille,*) noster, *quae faciunt passus trecentos* et *decies quinquaginta millia.*

Ter millies mille et noningenties trigesies septies mille) *tricies nongenta triginta septem millia.*

Supernas et Boreas.) *Supernas et Caecias.*

Pag. 15. *et impetu scandendo trudens*) *et imp. scan. procedens.*

Adversis directionibus vicorum et platearum) *aversis vicis et platearum directionibus.*

Et ab centro ubi est A) adde ex nostro, *et B.*

Faciatque iterum crescendo parem antemeridianae umbrae postmeridianam,) noster pro *crescendo parem* legit *decrescendo partem* —

Cap. VII. Pag. 16. *Sin autem mediterranea*) s. a. *mediterraneo.*

Et Iovi et Iunoni et Minervae) *Iovi, Iunoni et Minervae.*

Sed ab hostibus ea defensa et belli periculo conservabit.) *Sed ab hostibus defensio a belli periculo cons.*

Fuerunt et alii, qui hoc saxum volverent, vel Commentariis scribendis, vel nova recensione tentanda, sed

rem ad finem non perducerent, aut in lucem proferre sua non possent.

De *Bernardini Merulae* commentariis in Vitruvium, quos per plagium sibi vindicare voluit Gaudentius Merula, meminit Antonius Maioragius in Apologia contra Gaudentium edita Vltraiecti 1666. 4. p. 29. et 44. De *Adriani Auzuti* sive *Azovii* commentariis in Vitruvium et Frontinum, vulgandis Romae a Francisco Nazario, qui et ipse notas suas fuit additurus, spes facta fuit in Tentzelii dialogis menstruis a. 1692. pag. 825. 1010. in Diario eruditorum Mutinensi a. 1692. p. 297. et in Museo Minervae Venetae (Galleria di Minerva) a. 1695. pag. 236. *Ioannis Norchiati* Florentini circa a. C. 1550. clari commentarium affectum in Vitruvium memorat Iulius Niger p. 291. historiae scriptorum Florentinorum. add. Polenum p. 69. Idem de *Leone Baptisto Alberti*, quem Vitruvium Florentinum sunt qui dicant, et de eius decem libris de Architectura videndus p. 349. seq. qui post primam editionem Parisiensem Latinam a. 1512. 4. saepius vulgati sunt non Latine modo, verum Cosmo Bartoli interprete Italice quoque, et Iohanne Martino Gallice. Commentarios *Italice* editos in decem libros Vitruvii Venet. 1495. a *Sylvano Mauroceno* Veneto memorat Celsus Rosinus T. 2. Lycei Lateranensis p. 294.

V. Sed etiam fuere, qui loca quaedam et partes operis Vitruviani vel corrigerent, vel illustrarent. Huc pertinent *Claudii Ptolemaei* Epistolae septem Venetiis 1547. 4. editae Italice, in quibus est una ad Augustinum Comitem de Landis, in qua ratio illustrandi libros Vitruvii accurate et perspicue explicatur; de quo libro videndus Polenus p. 50. seq. Porro Mantuae 1558. f. prodiit liber *gli oscuri et difficili passi di Vitruvio* alla chiara intelligenza tradotti per *Giovanni Bertano*, in quo libro et res et verba plura obscura, inprimisque *scamilli impares* explicat suo modo, refutatus in his quidem a Baldo, sed asperius quam erat aequum. v. Polenus pag. 85. Et pertinet huc

etiam

etiam ille ipſe *Baldus*, partim propter *Lexicon Vitruvianum*, in quo eſt egregium adiumentum Vitruvianae orationis intelligendae, quod primum prodiit Auguſtae Vindel. 1612. 4. addita Vitruvii Vita; partim propter libellum de *Scamillis imparibus*, nova ratione explicatis, qui ibidem eodemque anno prodiit. Egregie etiam meritus eſt de Vitruvio *Salmaſius* in Exercitationibus Plin. in quibus non modo Vitruvio ſaepe utitur ad lucem affundendam Plinio, ſed etiam quadragies emendat: unde illa loca excerpta et addita ſunt editioni ultimae Amſtelodamenſi. Commemorare etiam h. l. iuvat *P. Weſſelingium*, qui in Obſervationum L. I, 18. et L. II. pluribus capitibus, praeſertim e MS. Franeccerano emendat, atque explicat; itemque *Heringam* V. C. qui in Obſervationum elegantiſſimarum libro c. 16. aliquot loca L. IX. c. 6. 7. corruptiſſima ex eodem Codice et ex ingenio correxit; ut alios mittam, qui ſingula loca aut obiter aut ex inſtituto tractavere, ut *Morgagni* locum qui ad rem medicam pertinet.

Huc etiam referendi, qui figuras operi adiunxere, quos ſupra indicavimus, cum editiones recenſeremus; quod eae plurimum proſunt ad intelligendum iis, qui artis architectonicae periti non ſunt. Eae figurae, ut *Iucundi*, ſunt interdum ab aliis artis peritis reprehenſae: quod non eſt mirandum. Omnino enim intelligi debet, non facile oratione opera architectonica ita accurate et perſpicue deſcribi poſſe, ut figuris exprimi poſſint accurate, id quod etiam ex aliorum ſcriptorum talibus deſcriptionibus, ut Caeſaris, Plinii iun. etc. patet, ipſius adeo Scripturae ſacrae. Itaque hic facilius eſt reprehendere et vitia deprehendere, quam ipſum facere, quod ſine vitio ſit, et in quo reprehendi nihil poſſit.

VI. Verſiones Vitruvii factae ſunt pluribus linguis, primum Italica; cuius generis ſupra memorata ſunt exempla quaedam, ubi de edd. Vitruvii diximus. Prima fuit *Caeſaris Caeſariani*, quae primum 1521. cum Comment.

prodiit,

prodiit, et aliquoties post est repetita, ut 1534. Venetiis, falso pro nova iactata ab editore in praef. *Fr. Lucii.* Secuta est versio *Io. Bapt. Corporali* Perusiae 1536. fol. tum *Dan. Barbari* cum Comm. Venet. 1556. f. 1567. 4. 1584. 4. 1629. fol. porro *Ant. Rusconi*, Venet. 1590. fol. et 1660. *Christophori Wase* Anglica Vitruvii versio promittitur in Philosophicis transactionibus Anglicanis num. LXXII. p. 2190. Novae *Anglicae* Vitruvii versioni praelusit *Rob. Castellus* architectus opere splendido Lond. 1728. fol. edito de villis veterum, *the villas of the ancients illustrated.* Acta Erud. 1731. p. 109. Deinde Vitruvius praelis Londinensibus subiectus Latine cum Anglica versione et variorum commentariis tam editis quam *Inigo Iones* et aliorum ineditis, multisque figuris et iconibus aere affabre descriptis, eodem *Rob. Castello* curante 1730. fol. 2. Voluminibus. Quod autem *Vitruvii Britannici* nomine exstat opus splendidum, nec Anglicam Vitruvii versionem, neque opus de Architectura continet, quale ab Henrico Wottono et aliis habemus, sed perpulchras delineationes aedificiorum et palatiorum illustrium magnae Britanniae, luculenter aere descriptas curante *Coleno Campello*, Lond. 1717. 1724. fol. maiore. *Gallice* Vitruvium vertit *Abel Foullonius* (a. C. 1563. aetat. 50. defunctus) sed, teste Crucimanio p. 1. Bibliothecae Gallicae, amici Foullonii, minime amici, versionem, quam cum iis communicaverat, suo ipsorum nomine ediderunt, Foullonii dissimularunt. Meminit iterum Crucimanius p. 530. et p. 230. seq. et 243. disserit de *Iohannis Martinii* et *Io. Govionii* Vitruvio, qui iunctis operis, ille humaniorum litterarum, hic artis aedificatoriae scientia insignis, et Francisci atque Henrici II. architectus, hunc scriptorem verterunt Gallice, Paris. 1572. f. et postea Genev. 1618. 4. Novissime illustris Colberti iussu *f*) Vitruvium Gallica versione donavit, adiunctis egregiis commentariis et delineationibus accuratis, vir non minus caetera eruditione, quam Architecturae insigni peritia clarus

f) Histoire des Ouvrages des Savans a. 1688. Novembr. p. 311.

clarus *Claudius Peraltus*, Caroli frater g) Parif. 1673. f. et ex fecunda recognitione 1684. fol. Idem praeterea Epitomen Vitruvii edidit, quam fua etiam lingua ex Gallico donarunt Angli, et librum cui titulus: *ordonance de cinq efpeces de colomnes felon la methode des anciens. Germanice* per D. Gualterum Hermenium Rivium, Medicum et Mathematicum, cum non contemnendis commentariis et iconibus, prodiit Vitruvius Norimb. apud Io. Petreium 1548. et Bafil 1575. fol. apud Sebaft. Henr. Petri, atque aliorum nova cura perpolitus 1614. fol. Eiufdem Rivii Bericht von der Architectur zu rechten Verftand der Lehren des Vitruvii prodiit Nurnb. 1558. fol. 1582. fol.

VII. *Epitome Vitruvii* alia latine Parifiis edita iam pridem eft curante Guil. Poftello 1540. 4. ap. Vafcofanum, incerti fed fortaffe antiqui fcriptoris, ut ait Voffius p. 463. libri de fcientiis Mathematicis; quam voluit editioni fuae fubiicere Polenus. Abfolvitur capitibus XXX. atque incipit: *De artis architectonicae peritia multa oratione* Vitruvius Pollio *aliique auctores fcripfere, verum ne longa eorum difertaque facundia humilioribus ingeniis alienum faceret ftudium* etc. Videndum, fitne *Epitome* Vitruvii a Poftello edita eadem cum illa *Petri Diaconi*, de qua in continuatione Chronici Cafinenfis lib. IV. c. 68. *Petrus Diaconus Solinum de mundi mirabilibus abbreviavit. Notarum librum ex parvo ampliavit*, *et Conrado Imp. dedicavit. Vitruvium de Architectura breviavit. Itinerarium ex omnibus veteribus libris collegit.* Volaterranus Comm. Rer. Vrb. IV. extr. ait in monafterio Bobienfi 1494. repertum effe Codicem, in quo effet libellus hoc titulo: *Vitruvius de hexagonis*, *octagonis et id genus*, inter medios rei agrimenforiae fcriptores, quorum bonam partem (inerant etiam Grammatici et alii libelli) ait a Thom. Phaedro in urbem advectam. Vitruvii Epitome Gallice

g) Journal des Savans 1674. 17. Dec. p. 169. Nazarii Giornale di Roma 1676. pag. 89. Philofophical transactions n. 112. p. 279.

Gallice per *Ioan. Gardetum*, et *Dominicum Bertinum*, Tolof. 1559. et Parif. 1565. 4. Peraltus quoque Epitomén Vitruvii dedit Parif. 1674. 12. 1681. 12. quae in Anglicam linguam e Gallico translata vidit lucem Lond. 1703. et in Italicam h) Venet. 1711. 8. Chriftiani Gueintzii *σκιαγραφία* Vitruvii, Halae Sax. 1648. prodiit

VIII. INDEX SCRIPTORVM ET ARTIFICIVM A VITRVVII MEMORATORVM.

Arge-

h) Galleria di Minerva Tom. 7. pag. 111.

i) Pictor. Vide Francifcum Iunium in Catalogo Architectorum, Mechanicorum, pictorum, aliorumque artificum, libris de pictura veterum fubiectum Roterod. 1694. fol.

Hera-

Telo-



CAPVT XVIII.

DE

M. MANILIO.

I. *Manilii aetas, et alii hoc nomine.* II. *Editiones.* III. *MStus Codex Lipsiensis.* IV. *Theodorus Manlius Claudiano celebratus diversus a Manilio.*

I. In Auctore Astronomici, quod sub *Manilii* nomine editur, non una difficultas est, vix satis expedienda. Prima est in nomine auctoris: in quo libri scripti non multum adiuvant. Nam antiquissimus quidem, Gemblacensis, nullum nomen praescriptum habet: Lipsiensis *Arato Philosopho* inscribit: Vossianus *Marco Mallio Antiocho Poeno*: Cassinensis unus *C. Manilio Poëtae illustri*: omninoque MSS. recentiores ne duo quidem inter se hac in re consentiunt. Tum vero nemo Grammaticorum veterum huius libri mentionem facit, aut ex eo aliquid me-

 morat,

morat, per quod in vestigia veri deduci possimus. Primus, quem quidem sciamus, sub *M. Manilii* nomine commemorat Gerbertus Epist. 130. in qua rogat amicum, ut sibi apographum *M. Manilii de Astrologia* curet. Vnde certe patet, illis temporibus Codd. scriptos sub hoc titulo ac nomine extitisse. In praenomine apparet etiam varietas: nam in Cassinensi est C. qui Boniucurtianus est, idque et in numis repertum. Sed horum nulla est auctoritas, et ille Codex Cass. non attingit aetatem Gerberti et libros, unde illi hoc praenomen cognitum fuit. In ipso nomine varietas, cum *Mallius*, *Manlius* et *Manilius* appelletur in libris, non est magni momenti: et ratio est pro *Manilio*; cum satis constet in libris scriptis nunquam *Mallii* aut *Manlii* nomen corruptum esse in *Manilius*, saepe autem *Manilii* in *Manlius* vel *Mallius*.

Maior difficultas est in auctore ipso eiusque aetate. Sunt, qui faciant eundem cum *Manilio* vel *Manlio Antiocheno*, quem Astrologiae conditorem et P. Syro mimographo parem facit Plin. XXXV, 17. Nempe, dum quaerunt hominem apud veteres, facile quisque adquiescit in eo, quem reperit huic similem. Alii cum incidissent in *Manlium* Mathematicum apud eundem Plin. XXXVI, 10. qui pilam dicitur imposuisse obelisco, ab Augusto posito in Campo Martio, hunc esse auctorem putaverunt, Mathematici nomine moti: sed auctor Astronomici non necessario Astronomus et Mathematicus professione fuit: quippe nec Aratus fuit, ut nec Celsus Medicus: et peritiores deprehenderunt quaedam in libro illo, quae arguerent hominem, non satis doctum in astronomicis. Nec ipsum nomen *Manlii* apud Plinium certum est: Harduinus quidem id adeo delevit, quum in nullo Codice scripto reperisset, quod et Pintiano accidit: nec pronunciare de ea re audet Ill. Rezzonico in Disq. Plin. p. 201. ubi hunc Plinii locum ex instituto tractat erudite, ut solet, etsi in Codd. Ambros. et ed. pr. nomen Manlii reperit: quod et nos in ceteris primis reperimus, nisi quod in Rom. secunda vitiose est *Mannius*.

Sed

Sed si maxime certa illius loci lectio est, tamen inde nihil certi est pro nostro Manilio; quippe non est in eo aliquid proprium nostro, unde ille agnosci possit, unde et aetas eius constitui. Et sunt, qui eam ad Constantianum vel Theodosianum seculum detrudant, vt Gevartius ad Stat. Silv. p. 186. qui eundem cum *Theodoro Manlio* faciebat, in cuius Consulatum scripsit Claudianus: quod et aliquando placebat G. I. Vossio, qui tamen sententiam post mutavit; argumentis haud sane satis idoneis, ut bene iudicabat Bentleius. vid. praefat. ad ed. Bentlei. pag. XII. Idem videbatur Iac. Gothofredo in notis ad veterem expositionem mundi pag. 25. Paganino Gaudentio in Disp. hetrusco sermone scripta, qua caussam poëtarum agit, a Platone e rep. sua eiectorum: item Tan. Fabro ad Lucret. VI. extr. Causa erroris oblata est a Claudiano, qui Manlium Theodorum etiam propter siderum scientiam laudat. At hic de sideribus, non carmine, sed sermone prosaico scripsit, ut ex ipsis Claudiani verbis colligi potest, v. 251. ubi ipsius *sermonis mella politi* blandis Orphei carminibus praefert: quem librum etiam prosaico sermone scriptum adhuc extare in bibliothecis, testatur Salmasius praef. ad Ampelium p. 9. voluitque edere Phil. Iac. Maussacus. add. Huetium ad Manil. p. 84. seq. Ruperti Epp. ad Reines. p. 600. Alb. Rubenium in diss. de Vita Fl. Manlii Theodori p. 27. De hac tota causa exspectamus Dissertationem ill. Rezzonici promissam eo, quo diximus, loco. Maxime quidem probabilis videtur eorum opinio, qui operis huius auctorem ad Augusti aetatem referant, qui sunt plerique. Idem Bentleius putabat, Auctorem fuisse aliquem ex Asia peregrinum, cuius nomen esset incertum, etsi hoc certum esset, eum Augustei aevi fuisse. Huetius Carthaginiensem fuisse, putabat, nescio quibus argumentis, ut traditur in Memoriis Trevolt. a. 1709. p. 1426.

Opus autem eius non integrum superstes est. Scaliger quidem ad L. V. p. 348. notat, periisse librum secundum sphaerae barbaricae, et suffragia Planetarum, hoc

est, Librum sextum et septimum. Sane de occasu siderum et planetarum viribus se dicturum aliquot locis promisit. Ingenium poëtae, qui res tam tenues tam apte exornare potuerit et illuminare, laudat merito Scaliger, etiam eius Exordia et digressiones: adde descriptiones, ut funambuli etc. Estque adeo propterea dignus qui legatur, etsi in rebus Astronomicis non magis expers est peccatorum quam Aratus. Fati astrologici defensorem fuisse, multis locis patet. Vitia orationis, propter quae maxime videbatur Gevartio et aliis serioris aetatis esse, pleraque sublata sunt crisi Bentleiana.

II. Primus Manilium circa a. 1416. reperit *Poggius*, quo iam anno 1459. Florentiae 30. Octobr. aet. 78. defuncto, lucem demum viderunt Manilii Astronomica primum per *Io. Regiomontanum*, qui exemplum eorum, ut aliorum Mathematicorum librorum, ex Italia attulerat, Norimb. 1472. 4. cuius editionis tempus, nullam enim anni notam adscriptam habet, assertum vide a Io. Gabriele Doppelmayero in der historischen Nachricht von den Nürnbergischen Mathematicis und Künstlern, Nürnberg 1730. fol. p. 9. et Commentatione Schwarzii peculiari de hac editione, Noribergae edita. Deinde cum *Laurentii Bonincontrii* a) Miniatensis Florentini qualicunque commentario Bononiae 1474. fol. De *Bonincontrii* in Manilium commentario Scaliger ad lib. V. pag. 406. *Quibus Bonincontrius in Manilium potest satisfacere, illis ego nunquam mirabor nostra displicere: quia ab illis neque confessionem ab ingenuitate, neque sensum literarum a genio eorum exigimus.* Laudat Bonincortius

a) Etiam Bonincontrium hunc poëtica vena valuisse, patet ex eius libris tribus rerum naturalium et divinarum, scriptis carmine heroico, qui lucem viderunt Basileae a. 1540. In hunc Bonincontrium Grammaticae Mantuanum Professorem, carmen Alberti Mussati inter huius Epistolas versibus scriptas p. 50. T. 6. thesauri scriptorum Italiae parte secunda. Apud Petrum Martyrem Anglerium Epistola 669. data a. 1520. pro verbis: *tunc quae fatax Astronomus Manilius heroico de cometis tradidit carmine subierunt in mentem.* Putem legendum: *tunc quae sagax* etc. aut forte *fallax*, nam Ep. 741. p. 428. b. testatur Martyr parum se tribuere Astrologicis hariolationibus.

tius Codicem suum (Cassinensem) pro vetusto, ut solent editores, sed eum hodie constat esse recentem. Ea editio repetita est Romae 1484. fol. at parum integra, ut observavit Apostolus Zenus diss. Vossian. P. I. p. 43. et 44. Ei proxima videtur Bentleio, quae s. l. et a. in Italia facta est, cuius exemplum in Bibl. Reg. Londinensi est. Extat et Mediolani facta editio 1489. ap. Ant. Zarotum, emendata locis trecentis a *P. Steph. Dulcinio* (quae fuit in Bibliotheca V. C. du Boze) repetita a. 1499. In praefatione dicit se Codices Manilii scriptos habuisse, acceptos ab Hieronymo Torniello: ut didici e Saxii Hist. typogr. liter. Mediol. p. CCCXI. qui et de Dulcinio videndus. Illius editionis a. 1489. mentio est etiam ap. Maettarium: sed neuter, quid praestiterit in Manilii textu Dulcinius, docet: nam id non solent curare, qui istas notitias librorum conscribunt. Ab eo tempore prodiit Manilius apud Aldum 1499. fol. inter alios scriptores Astronomicos Graec. et Lat. Habemus etiam in manibus editionem Romanam 1510. 4. apud Mazochium, noviter, ut habet titulus, et diligentissime emendatam, qua nec Scaliger, nec Bentleius usus est. Textus eius consentit plerumque cum MS. Paullino Lipsiensi: sed habet et lectiones ab eo et Scaligerano diversas. In Germania cum Firmico et aliis Graecis et Arabicis Astronomis (latine versis) per *Prückneruni* fol. Basil. 1533. et 1551. tum Lugduni forma minore a. 1566. Quae editio elegans et accurata, facta est apud Io. Tornaesium, ac debetur *Antonio Molinio* Matisconensi, qui ex antiquo Codice Manilium emendasse se profitetur. Postea una cum *Iosephi Scaligeri* notis, qui primus prae ceteris insigniter de hoc Poëta meritus est, Paris. 1579. 8. et ap. Commelinum 1590. 8. cum variantibus lectionibus, notisque Francisci Iunii, qui multa itidem praeclare observavit, *quod eum Scaliger in suis ad Manilium dissimulavit, candorem in eo requiro*, inquit Vossius Epist. ad Grotium p. 24. Huius editionis exemplum collatum cum MS. Collegii Corporis Christi Oxon. fuit apud Clariss.

Visum Iacobum Perizonium, qui id legavit Bibl. Leidensi. Cum secundis Scaligeri curis Manilius iterum excusus Lugd. Bat. 1600. 4. cum iisdem Scaligeri notis et auctoris MS. tertium auctis et emendatis, adiectisque etiam Thomae Reinesii et Ismaelis Bullialdi ad quaedam loca animadversionibus, cura Io. Henr. Boecleri Argentorat. 1655. 4. Non alio opere magis sibi placuit *Scaliger*, quam notis in Manilium, *b*) nec tamen in alio saepius hallucinatum indicat Huetius lib. V. commentariorum de rebus ad se pertinentibus p. 291. *Credas, notas illas a primo aetatis fervore extrusas: adeo scatent castigationum facilitate*, ait Io. Conradus Dietericus in vita Augusti Imp. p. 9. Traiectiones in Manilio sine necessitate hariolantem perstringit etiam Salmasius ad ius Atticum p. 408. qui saepius ab Scaligeri sententia in interpretando Manilio discessionem facit in commentario ad Solinum et libro de annis climactericis. Non raro praeterea Scaligerum reprehendit idem ille Huetius in suis ad Manilium notis, editioni Manilii in usum Delphini Paris. 1674. 4. a *Mich. Fayo* curatae subiectis, cum Paraphrasi et Indice verborum. Quicquid sit de peccatis Scaligeri, primus operae pretium fecit in Manilio emendando et explicando: estque plenus bonae frugis commentarius. Huetium novas etiam notas et var. lect. exemplo suo adscripsisse testantur Iesuitae Parisienses in Memoriis Trevoltinis 1709. mense Augusto p. 1426.

Ad Manilium emendandum accessit etiam *Rich. Bentleius*, usus MS. Gemblacensi, Excerptis Lips. Veneti et Vossiani, quos Codices plerumque inter se consentire tradit: porro Pithoeani Var. Lect. et Codd. quatuor aliis recentioribus: denique edd. antiquis, Bononiensi et Rom. Bonincortii, Itala f. l. et a. et recentioribus omnibus. His subsidiis et ingenii acumine adiutus textum Manilii permultis locis correxit. Prodiit haec editio Londini a. 1739. 4.

cete-

b) Scaliger II, 3. Ausonianar. *Manilii paene Astronomicum quot versus habet tot habet mendorum prodigia, quae nos, ut spero, omnia fere sustulimus.*

ceteris hac in parte omnibus longissime praeferenda. Addita est orbis caelestis tabula e Marmore Farnesiano, cuius editionem promiserat Blanchinus in Diss. de Kalendario et Cyclo Caesaris, allata Roma a *Martino Foulker.* *Valkenarius* quidem, V. Cel. eum iure vocat felicissimum fraudum in Manilio repertorem, in praef. ad Virgilium cum Graecis collatum p. XIV. Ceterum facile concesserimus *Dorvillio*, eum interdum a vero aberrasse, qui in notis ad Charitonem pluribus locis contra eius emendationes disputat, et Manilium ipse vel emendat, vel illustrat. Similiter *Heringa* V. C. Obs. c. IX. Manilii loca quaedam vel defendit a Bentleii correctione vel ipse emendat.

Vltima et recentissima est *El. Stoeberi*, V. C. Argentor. 1767. 8. Textus est Bentleianus; additae sunt notae selectae variorum et ipsius, item selecta Iudicia Variorum de Manilio, et *Pontederae* Epistola de Manilii Astronomia et anno coelesti. Notae ad intelligentiam verborum et rerum pertinent, sed vel inprimis ad emendationem textus. In qua re usus est Excerptis MS. Lips. collati cum exemplo Argentoratensi a Gotl. Corte, MS. Regio Paris. recentiori illo quidem, sed non spernendo, ut a Bentleio factum, qui eius lectiones a Montefalconio acceptas, vix commemorare dignatus est. Ex editionibus primus ille in hoc negotio usus est editione Noribergensi, omnium prima, et Romana, quam nos ei miseramus, praeterea Aldina, Basileensi et Lugdunensi. Denique etiam habuit apparatum ad novam editionem et libros observationum *Iustini Vierschrot*, viri eruditissimi, qui Ducis Gothani a literis fuerat, et novam editionem Manilii erat molitus. Vellemus ab eo textum ipsum castigatum esse. Sed e Bentleii recensione iam descriptus typis fuerat, cum ad eum negotium hoc deferretur, et nolebat librarius sumtus in ea re factos perire.

III. Fuere et alii, qui in edendo Manilio laborare coeperunt, sed labores suos vel non absolverunt, vel in lucem proferre non potuerunt. Ludov. Parrhasius Emend. II, 7. *Iac. Susii* scriptum commentarium laudat, et ut edatur optat.

Excerpta quaedam ex eo interdum occurrunt Obf. Misc. Anglicano Dorvillianis. *Ruggerus Cotesius* quoque voluit edere Manilium cum notis, de quo v. Falsterum Cogitat. Philol. p. 127. et *Gotfrid. Richterus*, ut patet ex eius Specimine Observ. Ienae 1713. editarum, in qui Bentleio Var. Lect. MS. Lipf. misit: de quo v. praef. Bentleii ad Manilium. De *Iustini Vierschroti* conatu diximus ante. Loca quaedam Manilii feliciter castigavere Salmasius ad Solin. et de annis Climactericis, If. Vossius ad Catullum, nonnulla etiam Gevartius in Electis, in quibus observationes in Manilium totum promittit, quas adornare se ait lib. 2. cap. 5. Barthius in Adverf. etc. Idem Salmasius affert versus quosdam ex apotelesmaticis *Dorothei Sidonii*, Graeci poëtae, quem in suis Astrologicis secutus esse fertur Manilius. Legisse etiam videtur et in quibusdam verbotenus paene reddidisse *Manethonem*, de cuius Apotelesmaticis dictum lib. III. Bibl. Graecae c. 20. Firmicus autem, latinus scriptor, non creditur Manilium oculis usurpasse, quod pluribus se argumentis docere posse ait Salmasius p. 587. de annis Climactericis, etsi Scaliger contendit multis in locis ipsissima eum verba Manilii exscripsisse. Vide inprimis notas ad librum Poëtae quintum pag. 348. et Reinesii Epistolas ad Bosium p. 176. ubi non dubitat, librum octavum Firmici e quinto Manilii esse compilatum, uti alii caput tertium libri primi Firmicum contendunt petiisse e Manilii prooemio libri IV. Saltem non per omnia Manilium secutum, neque, ubi eum secutus videri possit, in Manilii verba iurasse, probe observat Huetius in notis ad Manil. p. 65. et 68. Et licet multos Graecos laudat Firmicus, innuit tamen, excepto Figulo, neminem nosse se ex Latinis, qui apotelesmatica latinis literis tractarit. Multo autem minus Firmicum expressit carmine Manilius, ut Vossio aliquando in mentem venit, de Art. Gram. II, 26. quod et ipse retractavit de Poëtis Lat. p. 36.

Versionem Britannicam versibus fecisse *Th. Creech*, tradit Tolandus T. II. Opp. Postum. 294. *Ed. Sherburnus* autem

autem vertit Librum primum, et Commentarium addidit cum Hist. Astronomiae Lond. 1675. fol. de quo Opere v. Transact. Anglic. n. 110. p. 233. et Act. Erud. 1702. p. 523.

IV. Codicum MSS. antiquissimus et optimus putatur *Gemblacensis*, usurpatus a pluribus, inprimis Bentleio, de quo supra. Ei simillimus in lectionibus est Lipsiensis, quem et ipsum antiquissimum faciunt, qui de eo memorant, et Gemblacensi aetate proximum, qui eo sunt usi, aut eius excerptis. Et habet ille lectiones etiam proprias et valde bonas, sed et valde vitiosas. Omnino proclives nimis semper fuere docti viri ad extollendos libros scriptos, et eorum antiquitatem et bonitatem, quos ipsi haberent, aut quibus usi essent, ut saepe observavimus. Nemo accuratius et meliori iudicio usus est eius lectionibus *Elia Stoebero*, cuius praefatio consulatur pag. 14. sqq. Aetas Codicis seculum tertium decimum excedere non videtur: ita chartae adhuc nitidae sunt, et scriptura elegans, et rara compendia: quae nec per totum librum, ab una manu esse videntur. Quod *Arati Philosophi Astronomicon* inscribitur, id ab argumento ductum est. Nam et Priscianus saepe Astronomicon Caesaris Germ. *Aratum* appellat. Quod *Philosophum* appellat, id videtur indicare, exemplum, e quo hic liber descriptus est, fuisse aevi Ottonum, quo hoc nomen tributum est omnibus, qui doctrinam subtiliorem tractarent, ut Gerbertus Abbas in Cod. aliquo istius aetatis dicitur *Philosophans*. In fine recentior manus Germani hominis subscripsit hoc distichon: *Carmina praeclaras signant coeli regiones, Fistula quas cecinit Christiani docta magistri.* — De aliis MSS. notis et ad usum vocatis ante dictum per occasionem edd. Bentleianae et Stoeberianae. A Petrarchae aetate coeptum esse textum interpolari, notat Bentleius in praef. — Capitum argumenta e MSS. dedit Barthius Advers. X, 26.



CAPVT



CAPVT XIX.

DE

CAESARE GERMANICO.

I. *Germanici aetas.* II. *Eius Metaphrasis Arati.* III. *Editiones et antiquus in illam qui fertur scholiastes.* IV. *Epigrammata Germanico tributa, et scripta deperdita.* V. *Index Scriptorum a Scholiaste Germanici laudatorum.*

I. CAESAR GERMANICVS, Augusti Imp. Nepos, Drusi F. praeter alias virtutes, quae Imperium *a*) illi, ni saepius recusasset, conciliare potuissent, ingenium in utroque eloquentiae *b*) genere excellens nactus, veneno, ut creditum est vulgo, periit Antiochiae, quod, licet omnia alia prae se ferens, Tiberius, qui ex Augusti voluntate adoptaverat, iussit illi praeberi a Cn. Pisone *c*) anno V. C. 772. aetatis 35. Christi 19.

II. Extant eius 1. *Aratea Phaenomena* latinis versibus hexametris, non infeliciter, etsi liberius paulo expressa, ad Augustum Imp. iam senem. *d*)

2. Fragmentum *Diosemeion*, sive prognosticorum; quae non tam ex Arateis petita Diosemeiis, quam ex aliis Graecis

a) Vide Dionem lib. 57. p. 604. seq. et 615. Svetonium in Caio Caligula cap. 3. seq.

b) De Poëtica Germanici facultate Ovidius 1. fastor. v. 13.

Scimus et ad nostras cum se tulit impetus artes
Ingenii currant flumina quanta Tui.
Scilicet et fas est, vates rege vatis habenas.

Idem IV, 8. e Ponto v. 67.

Non potes officium vatis contemnere vates:
Iudicio pretium res habet ista Tuo.
Quod nisi Te nomen tantum ad maiora vocasset.
Gloria Pieridum summa futurus eras.

Plura de eius laudibus et ingenio Menkenius in Bibl. scriptorum militia et scriptis illustrium p. 216. sqq.

c) Tacit. III. Annal. 14. Sueton. Tib. 52. Cal. 2.

d) Etiam C. Iulium Caesarem Dictatorem, praeter libros de ortu et occasu siderum, Arati poëma latino carmine reddidisse Autor est Iulius Firmicus lib. 2. prooem. et lib. 8. c. 5. Priscianus et Svidas: sed forte Germanicum Caesarem confuderunt cum Iulio. Ceterum Metaphraseos Germanici meminit etiam S. Hieronymus ad T. 1. *In phaenomenis Arati legitur, quem Cicero in latinum sermonem transtulit, et Germanicus Caesar, et nuper Avienus et multi, quos enumerare perlongum est.* Ante Hieronymum Lactantius V, 5. *Vt Germanicus Caesar in Arateo loquitur carmine.* Caesarem in Arato laudat plus simplici vice etiam Priscianus, versiculos nostri repetens.

cis Astrologis deprompta, singulorum siderum in quovis dodecatemorio apotelesmata exponebant.

Poëmata haec non *Germanici Caesaris*, cui Ovidius ingeniosi vatis laudem tribuit Fastosque dicavit, sed *Domitiani* Imp. esse, quem Germanici *e*) nomen, velut a victa gente, adscivisse constat, vix dubitant Gerh. Io. Vossius de scientiis Mathematicis p. 169. de Poëtis latinis p. 48. et Ianus Rutgersius lib. 2. c. 9. Var. Lect. quem liquido hoc ostendisse ait Colomesius ad Gyraldum pag. 271. denique Nic. Heinsius ad Val. Flaccum p. 165. Sed non inficiandis argumentis Augusti nepoti vindicantur a Casp. Barthio Adversf. X, 21. cui iunge Burmanni ad Flaccum notas p. 10. et Cl. *Mullerum*, in App. versionis Taciti Germ. T. 1. p. 606.

III. Prodierunt Bononiae a. 1474. quam editionem innuebat idem Barthius, cum Bononienses membranas allegabat lib. 47. c. 18. Inde Venetiis ex Aldi officina, et plus vice simplici Basileae, et Parisiis 1559. 4. ap. Guil. Morellum, cum castigationibus. Etiam cum Proclo, Leontii sphaera, Arato ipso, Metaphraseos a Cicerone compositae reliquiis, Rufi Festi Avieni Metaphrasi, et *antiquo*, qui vulgo appellatur, Germanici *Scholiaste f*) in Sicilia reperto.

e) Vide quae viri docti ad Martial. VIII, 65. ad Svetonii Domitianum c. 13. Barthium ad Stat. T. 1. p. 352. Silium lib. 3, 607. *At tu transcendens Germanice facta tuorum.*

f) Aldus edidit hoc titulo: *Fragmenta Arati phaenomenon per Germanicum in latinum versi cum commento in Sicilia reperto.* Proprie vero hoc, quod vocat, commentum non est commentarius in Arati Metaphrasin, unde H. Grotius illud tanquam alienum in Arateis suis praetermisit: sed ut Ioan. Fellus Oxoniensis Episcopus in sua Eratosthenis editione pulchre observavit, *latina versio catasterismorum Eratosthenis*, additis quibusdam excerptis e *Nigidii Figuli* sphaera Graecanica, et recentioribus quibusdam e Plinio, Fulgentio Planciade, et Isidoro de natura rerum assumentis. Persuasit sibi nempe Fellus commentarium istum (quicquid Scaliger aliique viri docti aliter senserint) Germanici ipsius esse (quod et Politiano c. 38. Misc. et Barthio pridem visum) ab eoque non Aratum modo, sed et Eratosthenem translatum esse latine. Neque hanc sententiam tantum coniecturis niti, quod in veteri MS. exemplari, quod olim in Sicilia traditur repertum, nec non altero veteri exemplo Collegii Etonensis Regii utrique simul compareant, aut quod restrictior stellarum in singulis asterismis numerus aevum profiteretur saltem Claudio Ptolemaeo antiquius: sed Lactantium Firmianum hoc statuere affirmato L. I. c. XI. ubi Caesaris Aratum laudans illa ipsa refert verba, quae in commentario isto pariter et in Graeco Erato-

perto, et ab Aldo et Guil. Morello ante edito, lucem adspexerunt a. 1589. 8. ex officina Sanct. Andreana. Denique elegantissime, sed scholiaste illo antiquo omisso, in Syntagmate Arateorum, quod Ios. Scaligeri ductu adornavit notisque illustravit *Hugo Grotius*, tum admodum adolescens, Lugd. Bat. 1600. 4. Huic editioni quantum tribuerit Ios. Scaliger, ex eo patet, quod, cum Ioan. de Wouwern vellet editionem novam instituere, eum ab hoc consilio deterruit, Epist. p. 404. ad calcem Epp. Wouwern, quod melior Grotiana fieri non posset. In hac editione, praeter versus aliquos hactenus ineditos Diosemeion, ex veteri codice, g) literis Romanis capitalibus exarato, quem a Iac. Susio Grotius acceperat, quique postea in Bibliothecam Is. Vossii pervenit, accesserunt formis aeneis expressae imagines XLIV. signorum coelestium, etsi toto coelo eas saepius aberrare ipse, qui vulgandas curavit, Grotius non diffitetur. Has imagines ab insigni artifice, Iacobo Geynaero, luculenter incisas aeri seorsim postea luci exposuisse comperi Io. Iansonium Amst. 1621. f. easdemque minoribus formis expressas in Mythographis suis exhibuit, et Poëticon Astronomicon Hyginianum exornare iussit *Thom. Munkerus*, ibid. 1681. 8. Post Grotium *Germa-*

Eratosthene reperiuntur. Quales tamen hodie illi commentarii leguntur, qui possunt Germanicum agnoscere auctorem, cum ad Prognostica laudentur hi versus Prudentii ex lib. I. in Symmachum. pag. 365.

Denique cum luna est, sublustri splendet amictu,
Cum subcincta iuvit calamos, Latitiria Virgo est.

Itaque recte id negavit Io. Meursius Epistola ad Iustum Lipsium T. 2. Sylloges Burmannianae p. 36. M. Antonio Delrioni auctor commentarii praesentis, vocatur *Calpurnius Bassus*, aliis *Caesius Bassus* incerta plane coniectura. Casp. Barthius *Fulgentium* suspicabatur incertiore etiam divinatione. Thomas Munckerus in dissertatione de auctore Mythologiae, quae sub Hygini nomine ambulat, refert se in pervetustis Puteaneae Bibliothecae membranis Arateorum Germanici scholiasten deprehendisse latinum ab edito satis diversum, sed cum iam describendum eum sibi proposuisset, deprehendisse paulo post, esse Graeca in Aratum scholia latinitate donata. Idem Vir Clariss. loca complura scholiastae quem vocant Germanici sanavit non infeliciter in notis ad Mythographos latinos. Indicem auctorum in hoc commentario allegatorum dedi in Bibliotheca Graeca lib. III. cap. 18.

g) Mentio huius Codicis apud Ios. Scaligerum Epist. 29.

Germanici Aratea cum integris Hugonis Grotii notis, suisque et variorum animadversionibus, et una cum Epigrammatis Graecis et Latinis, Germanico Drusi F. tributis, carminibusque sive fragmentis carminum perpaucis Iulii Caesaris, Augusti et Neronis, vulgavit *Io. Conradus Iulius Schwartz*, Coburgi 1715. 8. addita explicatione numorum, miscellaneorumque Theologicorum appendice. Non ingratam, opinor, rem fecisset eruditis, si Germanico veterem etiam, quem vocant, scholiastem, recensitum a se emendatumque, adiunxisset. Alia denique editio Luneburgensis scriptorum Germanici debetur *Christ. Frid. Schmidio*, Rectori Scholae Luneb. a. 1728. Epigramma in Thracem puerum illustrat Angelus Decembrius lib. VI. de politia literaria c. 69. *Scholiastes* autem Germanici, ipse ille, qui Metaphrasin Arati condidit, Germanicus est, si Barthio credimus T. 1. ad Statium p. 465. et ad Claudianum p. 123. ubi eum in Grotii Arato praetermissum dolet. Aliud videtur Hadriano Iunio, quem vide lib. VI. Animadvers. cap. 20. Sane Barthius ipse alibi observavit, versus, qui sine nomine p. 143. a scholiaste Germanici afferuntur, esse Prudentii, tot saeculis Germanico iunioris. Nonnulla etiam ex iis, quae scholiastes Germanici habet p. 141. 143. eadem leguntur in mythologicis Fulgentii, ut lib. 1. p. 780. et lib. 2. p. 822. nec non ap. Plinium XVIII, 26. Fulvius Vrsinus pag. 114. Virgilii cum Graecis scriptoribus collati, scriptorem commentarii illius *Calpurnium Bassum* vocat. Nonnulla eius loca tentat aut illustrat Meursius Critici Arnobiani IV, 3.

IV. *Epigrammata* quaedam sub Germanici nomine occurrunt in appendice Virgilii, et inter Poëmata vetera collecta a P. Pithoeo; ut Graeca in praesenti praeteream, quae leguntur in Anthologia Epigrammatum Graecorum. Oravit causas Germanicus, etiam triumphalis, atque inter caetera studiorum monumenta reliquerat et Comoedias Graecas, teste Sveton. Calig. c. 3. Sed horum omnium nihil quicquam ad nos pervenit.

INDEX

INDEX SCRIPTORVM A SCHOLIASTE GERMANICI LAVDATORVM

ad pag. edit. Guil. Morelli Paris. 1559. 4.

h) Epimenides. Confer indicem in scholiastas Arati, quem dedi lib. 3 Bibl. Graecae capite 18.





